

PErlegi hunc Librum, cui Titulus [*Tentamina Physico-Theologica de Deo*,&c.] In quo nihil reperio Fidei Ecclesiæ Anglicanæ aut bonis Moribus contrarium, multa verò, quæ ingenio & eruditione non vulgari conscripta adversus Atheos, cùm Epicuri de grege, tum alios, dignum reddunt, qui

Imprimatur,

Tho. Grigg. R. in Christo P. D. Humfr. Ep. Lond. à Sac. Domest.

Ex ædibus Lond.
Feb. 15. 1664.





PErlegi hunc Librum, cui Titulus [*Tentamina Physico-Theologica de Deo*, &c.] In quo nihil reperio Fidei Ecclesiæ Anglicanæ aut bonis Moribus contrarium, multa verò, quæ ingenio & eruditione non vulgari conscripta adversus Atheos, cùm Epicuri de grege, tum alios, dignum reddunt, qui

Imprimatur,

Ex ædibus Lond.
Feb. 15. 1664.

Tho. Grigg. R. in Christo P.
D. Humfr. Ep. Lond.
à Sac. Domest.



TENTAMINA PHYSICO-THEOLOGICA De DEO:

SIVE

THEOLOGIA SCHOLASTICA

Ad Normam Novæ & Reformatæ Philosophiæ Concinnata, & Duobus Libris comprehensa:

QUORUM ALTERO

De Dei Existentiâ adversus Atheos & Epicureos ex ipsis Ipsorum Principiis disputatur.

ALTERO

De Ejusdem Essentiâ & Attributis:

PRIMO

Secundùm Theologiam Ethnicam, ubi Explicatur Quantum Hactenus Alii in Gentilium sententiis de summi Numinis Naturâ Eruendis Hallucinati fuerint:

DEINDE

Secundùm Theologiam Christianam, Et quid de Divinâ Essentiâ ac Attributis statuendum sit differitur.

Quibus Postremò accedit specialis dissertatio de Primo Numinis Attributo ÆTERNITATE.

Authore *Samuele Parkero* A. M. nuperrimè è Societate Ss Trinitatis *Oxon.*

LONDINI,

Typis *A.M.* venales apud *Jo. Sherley* ad Insigne Pelicani in Parvâ Britanniâ, & *Sam. Thomson* ad Insigne Capitis Episcopi in Cœmeterio D. *Pauli*, & *Rich. Davis* OXON. 1665.


J.P.
Sc.

REVERENDISSMO
In Christo Patri & Domino, Domino
GILBERTO
Providentiâ Divinâ, Archiepiscopo
Cantuariensi, Totius *Angliæ* Primati
& Metropolitano;
Et Augustissimo Principi
CAROLO II.
Magnæ *Britanniæ*, *Franciæ*, & *Hiberniæ*
Regi, à Secretioribus Consiliis.



ULLUS dubito quin mireris (Præsulum Amplissime) inter Majorum Gentium Clientelas Pedibus tuis provolvi Recentem quendam Ignotæ Frontis Clientulum: & forsan obstupescis ho-

minis Fiduciam, qui tua ſupremis negotiis occupati Tempora tam tenui ſtrenâ morari auſit. Nolumus tamen Munuſculi Tenuitatem excuſare, quòd ſcilicet Supremum Numen nec Cultorum humilitatem, nec Munerum vilitatem aſpernetur; Quippe novimus Maximo Jovi *olim Tuſculo fieri, Dîſq; humilem feriri Agnulam perinde ac* Hecatombas; *atque præſertim in primo cujuſque* Libamine *Superos leviſsimis minutiis, ſetis nempe & capillis permulceri.*

Quorſum enim iſtiuſmodi argutiis audentiam meam veſtra Auſpicia implorantis cauſatum irem, cùm Te Patronum *efflagitet ipſa Inſtituti* Ratio, *ipſa Opellæ materies? Etenim cùm velim* Deo Opt. Max. *ſtudiorum* primitias *conſecrari, quî fœlicius litaturas ſperarem, quàm ſi (priſco ritu) in Summi* Pontificis *dextram libandas ſubmitterem?* Ne *autem mirum videatur ſi immaturas iſtas & crudas adduxerim; cùm quòd Influentiis &* Radiis *quibuſ-*

buscunque desuper fœnerandis destitutæ adoleverint; tum quòd Animæ Germinantis Impetum represserint, quorum potius intererat tenella Conaminum Germina Radiis maturantibus inspirasse: Si vero Jubare vestro afflentur (Illustrissime Præsul) fiet non modò ut revera in Lucem prodeant, verùm fortè ut indies maturescant, dum tandem studia nostra ad meliorem frugem pervenerint. Quî enim, si quid valeant cælitus Influentiæ, fieri possit, quin fœtus quantumlibet tenellus & immaturus nascatur, (ut plerumque solent Adolescentium partus minus vigoris & maturitatis adipisci) cui Tanti Syderis aspectus faveat, tandem fœlici Genio & Sorte *fruatur.*

Neque porro Materiæ dignitas humilioris Patronatûs Authoritate uti permisit; sibi postulat Immensa Numinis Majestas Sacratissimos & prorsus Augustos Mæcenates; *Si minus itaq; Operis Authori, saltem Argumento accedas*

cedas

cedas Patronus. *Quinetiam cum* Pro Aris *dimicaverim, cujus potius Auxilia implorarem quàm vestra, Venerande Antistes, qui iis tanquam* Numen Tutelare *præsideas.*

Neque equidem (ut liberè dicam) quenquam novi cujus rebus magis quàm vestris conducat Conatibus nostris subvenire; Quippe cùm prodii Numinis Vindex, non video cujus tantundem intersit, ut Victor evadam, quantum Summi Pontificis: *Nempe si* Optimo Numini *Imperium abrogetur, quid sequitur nisi protinus* Maximo Pontifici *abrogandum esse? Si diruatur* Capitolî Immobile Saxum, *quorsum diutius superesset* Ædes Flaminea? *Si denique sit* Religio fabula, Umbra *statim fiet Sacerdos*: *Propterea cum Religionem propugnare volui, mihi non modo Dignitatem Vestram, (cujus utpote Cordi pariter ac Curæ sit) demereri, sed & Rationibus vestris juxta ac Divinis inservire*

vire

vire videor; Adeo res eadem ſit de N*umine bene mereri, atque de veſtrâ Clementiâ.*

N*uper prodière Dimidiati & Triviales quidam Philoſophi, qui Philoſophiæ ſpecie Atheiſmum vindicare gloriantur: Scilicet hominum Propudia ſceleribus obruta ſcelerum Vindicem Imperio, quò impunè abeant, exuere moliuntur: Sic Flagitia Flagitiis (tanquam* Pelion Oſſæ) *cumulando, eo tandem uſq; Impietatis evehuntur, ut ipſum Cœlum* Superoſq; laceſſant. *Hoſce* Gigantum Fraterculos *non ſat duxi expugnare, niſi Telis ex ipſius Philoſophiæ penu depromptis confoderam; ut fabulantur Superos olim* Titaniam Prolem *iiſdem Montibus, quos in Cœlum jaculabantur ipſi, Obruiſſe.*

N*on ſum* N*eſcius viros eſſe alioquin cordatos, qui Philoſophiam, quam adornare molior, Atheiſmo famulari arbitrantur, atq; adeo* R*eligionem, niſi everſâ iſtâ, incolumem non eſſe; &*

 proinde

proinde ut alteram tueantur, alteram eversum eunt, quo demum fit ut in Religionis causâ non tam cum Impietate, quàm cum Philosophiâ dimicetur. Cæterùm tam rato invicem devinciuntur Fœdere Religio & Philosophia, ut Nemo quidem alterius hostis fuerit, qui non bellum eodem tempore Alteri indixerit. Dempto Numine penitus evanescit Philosophiæ solertia: Naturæ Theatrum, si quod aliud, seriò Θεὸν ἐκ μηχανῆς *postulat, neque enim unius Phænomeni exitus ritè solvi potest, nisi tandem in Scenam deducatur Numinis Providentia: Propterea sicubi Sacræ Paginæ Atheorum proterviam redarguant, continuò ad Naturæ solertiam remittunt, utpote quam* Supremus Opifex *suæ sapientiæ Monumentum & Præconem reliquerit: unde cecinit Vates se cætera prope Atheum professus*

--- Cum dispositi quæsissem fœdera Mundi
Præscriptosq; Maris fines, Annique meatus,
Et Lucis Noctisq; vices; tunc omnia rebar
Consilio firmata Dei. ---

Jam

Jam verò (Illustrissime Antistes) *etiamsi Tentamina nostra eundem exoptant* Arbitrum, *quem gloriantur* Patronum, *haud tamen iis Gratiam vestram latè in vestras Laudes eundo Ambire institutum est, non modo quòd hanc fidenter polliceatur Operis Institutum, scilicet in scientiæ Pietatisq; vindicias conscripti; verum etiam quòd planè novimus Generosam vestræ Clementiæ Indolem (ut mentis cujusque* Heroicæ) *tam nolle suas Virtutes in se laudari, quàm velle in aliis provehi: Tua itaq; vivant Præconia, si quibus tam Erectus Animæ contigerit Genius, ut sint tuas Virtutes imitando: VerùmEgo quorsum quæ latè per omnium ora volitarunt, (quas utiq; Ipse non aliter novi, quàm quoniam vulgo innotescunt) peroratum irem? Dum itaq; Principes, Ecclesia, Academiæ, & totus deniq; Britanniæ Orbis Vestræ Dignitatis Vigilantiam, Pietatem, Prudentiam, Eruditionem, Munificientiam prædicare*

 con-

conspiraverint, mihi in Choro & Vulgo *Laudantium sito sat fuerit, si Laudibus tam Illustri Concentu celebratis* Plausus *addidero*: *Nisi quòd porrò liceat* Optimum Numen *obtestari, ut Amplissimis Vestræ Clementiæ Dotibus Benignissimam Providentiam semper accumulare pergat, quò mactus omni Gloriâ ac Virtute, Gestisq; Optimis ad Apicem Terrenæ Beatitatis evectus, serò tandem in Triumphantis Ecclesiæ Gloriam & dignitatem coopteris.*

Sic Comprecatur

Clementiæ Vestræ

Humillimus Cultor

Sam. Parker.

ELENCHUS RERUM.

CAP. I.

De priscis Philosophis, qui vulgo Athei habentur.

ANaxagoras, Theodorus, Diagoras, Epicurus, *aliiq; Philosophi vulgò Atheismi incusantur. Prædictos Philosophos, etiamsi Athei fuissent, cordatiores iis fuisse,* [redacted] *qui sunt Græciæ prorsus ridiculam superstitionem amplexati. Superstitio magis Deo exosa est, quàm Atheismus. Philosophi, qui pro Atheis habentur, non ipsam Religionem, sed Ethnicam superstitionem contempsisse videntur. Cujus indicia sunt: Primò quòd ipsorum Delatores non criminantur eos omnem religionem sustulisse; sed solum aniles quasdam ceremonias. Secundo quòd* Athenis *in eos animadversũ sit.* (1) *Cujus urbis superstitio fœdissima erat, &* (2) *tam severa decreta adversus illos qui illam omni punctulo non tenerent, ut nemo, cui scrupulus aut prudentiæ aut probitatis, à delationibus securus esse potuerit. Tertiò, missâ* Socratis *causâ, quòd olim* Nomen Christianum *eodem crimine oneraverint.* Cl. Stillingfleeti *exceptio diluitur. Prædicti Philosophi singulatim ad Tribunal vocati Atheismi absolvuntur. Primo* Anaxagoras, *deinde* Theodorus Cyrenaicus, *tum* Protagoras, *proximè* Diagoras, *&* Euhemerus, *& postremo* Epicurus; *Providentiam Mundi Gubernationi abrogavit præ nimiâ Beatitatis Divinæ æstimatione: defenditur adversus* Lactantium. *In eâdem sententiâ cum Epicuro* Arnobius. *Petulantes* Stoici Epicuro *infesti eum Atheum esse impudenter calumniantur: Ut aliis exosum propinarent, suppositititias Epistolas, quibus pene omnes alii Philosophi turpissimis convitiis perstringuntur,* Epicuri *nomine confingunt.* Johannis Jonsii *super hac re dissertatiuncula. Pia* Epicuri *de Deo sententia* αὐτολεξεὶ *seu propriis verbis affertur. Laertii de eo testimonium. Nemo denique* Epicuro ἀθεότητα *impingit, qui non pariter planè fateatur eundem Numen aliquod agnovisse. Eum solum per consequentias criminantur. Illo pacto liceret cuivis hominum Sectæ Atheismum objectare.*

Cap. 2. *Adversus Atheos disputatio.*

MIttitur quæstio ista, an Deus lumine naturali investigari possit? *Quare. Probatur esse* Ens *aliquod ingenitum, cujus probationis* non

non intereſt an cauſarum naturalium ſeries ſempiterna fuerit, necne. Deus à ſeipſo exiſtit negativè *non* poſitivè. *Adverſus Atheos non concluditur probando eſſe Rem aliquam æternam, niſi porrò evincatur ratione eam pollere, eſſeque Cauſam Mundi Architectricem. Ad quod itaque pergitur. Ratio, cur Deus nunquam Miracula edidit, ut Atheiſmum redargueret. Mundus ſapienti Opifice extructus. Poſtulatum diſputationi ſubſternitur. Speciatim convellitur* Epicuri *hypotheſis de Mundi Origine, quoniàm quæ illam diruunt, alias quaſcunq; ſubvertunt. Proponitur. Cui primo objectatur Atomorum Infinitudo, deinde totidem multiplicari caſus, quot ſunt Atomi; tum Pondus atomis ingenitum.* Epicurus *Democrito plus ſapuit. Acceleratio motûs Atomorum decidentium. Quæritur quorſum Atomi huc potiuſquam illuc fluant. Quæritur utrum pari an impari velocitate deferantur. Si omnes atomi deorſum decidant, Mundus quoq; jugiter deorſum rueret. Motus declinationis in Atomis* Cicerone *convellitur. Defenditur* Cicero *adverſus* Gaſſendum. *Accommodatior pro* Epicuro *proponitur hypotheſis, & diruitur. Objectatur diverſa atomorum Magnitudo. Figura. in quibus totidem repetuntur caſus, quot ſunt Atomi. Conceſsis hiſce omnibus commentis aquam nihilominus* Epicuro *hærere. Datur* Epicureis *mundum, ſi Chaos foret, ad Providentiam non referri potuiſſe. Cum autem elegantiſſima ſit machina Providentiã Architectricẽ deſiderat. Proponuntur pauca Providentiæ ſpecimina in Sole. Unde ex omni immẽſitate punctũ, quod occupat, unicè commodũ elegerit. Unde tam opportune iſtum, quem tenet, ordinem, neq; propiorẽ, neq; remotiorem. Unde Sol Terræ, aut Terra Soli circumgyretur. Unde in Orbem potiuſquam in Diallelum, aut quovis alio motu feratur. Unde tantâ velocitate. Unde per lineam Eclypticam, & cur per Eclypticam obliquo feratur motu. Unde huc uſque excurrat, & non ulterius. Unde huc uſque in Septentrionem provectus ad Auſtrum reducatur, & vice verſâ. Provocantur Athei ut hypotheſes confingant, quibus explicetur quomodo ſine Providentiâ Solis motus peragatur. Deſunt cauſæ, quam propugnamus, hoſtes. De Lunæ Inſtitutione; quorſum propius quàm Phœbus ad utrumq; polum evagetur. Quorſum illius Diſcus diverſimodè excavetur. De Planetarum conſtanti motu & harmoniâ. Providentiam poſtulat, ne tota terrarum ſuperficies aquis obruatur. De Lacunis & Anfractibus quàm opportunè in Terræ Globo excavatis. Non eſſe æternas Terræ & Oceani viciſſitudines. Varii maris Æſtus. Salſedo. De percolatione Aquarum, ut fontes dulces ſcaturiant. De Pluviis. Chymici nullâ arte poſſunt Aquas*

dulces

dulces à marinâ abstrahere. Omnium Anacephalaeosis. Deinde ab Artis Operibus ad Naturæ Opera arguitur. Hæc istis solertiora sunt, & proinde plus Artis postulant. Balbi Ciceroniani præclara dissertatio. Ineptum esse Cottæ ad Naturam *effugium. Naturam aut Rationem esse aut Temeritatem & Fortunam.*

Cap. 3. *De Generis Humani Ortu, & Corporis Humani Structurâ.*

GEmina Dei Imago Sol & Homo. Putidissimas esse fabellas, quibus expedire conantur Athei, quî genus humanum sine Providentiâ progigni potuit. Mittuntur Poetarum fabulæ. Philosophorum hypotheses perinde commentitiæ. Proponuntur. Singulas evertere operæ pretium non est. Speciatim itaque evertitur Epicurea, *quæ fingit homines è terræ pustulis nescio quibus prodiisse. Providentiæ fuisse utrumque nasci sexum in omni Animantium genere. Non modo homines, sed & reliqua omnia Animantia eo ritu nasci necesse esset. Mirum est nullos unquam jam inde è Terrâ prodiisse. diluitur primum responsum, quòd scil. non idem sit Terræ vis & temperamentum. Diluitur secundum, nempe quod non eadem sit Cælorum Positura. Obiter sugillantur* Cardanus, Pomponatius, Vaninus. *Vana* Paracelsi *jactatio. Arguitur ab innumeris periculis & incommodis, quibus obnoxii forent istiusmodi Terræ Fætus. Tam præclara est Corporis humani Structura, ut nullo casu, qualiscunque fuerit, fieri potuit. Proponitur Institutum Philosopho Christiano dignum. De Galeni libro* de usu partium. *Exemplo proponitur utilitas Manuum. Proponuntur diruenda hypotheses, quibus Athei ea in Corpore Phænomena, quæ præ aliis quomodo casu fieri potuissent, expediendo esse se existimant. Oesophagum, Ventriculum & Intestina non potuisse casu excavari. Non potuisse Cor, Venas & Arterias nisi Providentiâ efformari. Non potuisse Nares impetuosâ spiritûs eruptione disrumpi. Non potuisse* ἐγκέφαλον *& nervos nisi solertissimâ ratione & consilio fieri. Proponitur duplex objectio: una à quotidianâ Animantium generatione, altera à sponte ortis. Objectiones istas perplexius Atheos irretire ostenditur. Ad primam reponitur Facultatem Generatricem Providentiâ institui. Brevis enumeratio Organorum generationi inservientium. Admirabilis mutua partium generationem peragentium adaptatio in utroque sexu. Fæmina, prout rei opportunitas postulat, iisdem partibus, quibus viri, aut fruuntur aut destituuntur. De Aristotelis opinione,*

opinione, qui fœminam esse virum imperfectum statuit, & Quid de eâ sentiendum sit. Quam mirificâ Providentiâ in infinitis animantium Generibus, partes generatrices in utroque sexu invicem adaptantur. Naturæ σόφισμα est coitûs Desiderium & Voluptas. Prædictorum Anacephalæosis. De miris seminis virtutibus & stupendâ Fœtus formatione. Gassendi super hâc re dissertatio. Obiter ab Illustriss. viro diluitur calumnia. Solertissima Justini argumentatio à fœtûs formatione ad possibilitatem futuræ resurrectionis. Præciditur in Naturæ *voce refugium. A Providentiâ esse instinctum, quo bruta animalia fœtuum nutritioni & educationi providere moventur. Instinctus neque ab Imitatione, neque à Voluptatis & Doloris sensu oriuntur. Altera objectio examinatur. Malè & iniquè ab Insectorum exortu ad hominis exortum arguitur. Subtilissima insectorum machinulæ solertissimam causam Architectricem produnt. Providentiæ esse constantem & perpetuum eorundum Insectorum ortum. Apposita hujus rei è Gassendo illustratio. Dein arguitur ex pudendo hypotheseων defectu, quæ insectorum exortum sine Providentiâ moderatrice expeditum eunt. Argumentum ab Artis Opusculis exaggeratur. Plerumq; non fiunt animalcula è putri materiâ, sed è seminulis ibi latitantibus. Deus mundi initio quibusdam particulis ejusmodi vim indidit, quâ seminum moleculas contexerent, & elaborarent. Non tanta Insectorum varietas, quanta videtur. Quibus usibus inserviant Insecta.*

Cap. 4. *Generalia aliquot Capita Adversus Atheos.*

1. *QUi Deum agnoscit, præclara sententiæ suæ argumenta affert: è contra qui inficiatur, nulla.* 2. *Absurdè & præposterè ab Essentiâ Dei argumenta adversus illius existentiam duci, ubi* Lucianus *ad partes vocatur.* 3. *Confodiuntur Athei non modo argumentis nostris, sed & propriis, iisdemq; implicantur nodis, quos ut solvant, divinam naturam abrogatum eunt.* 4. *Nostrâ causâ nihil omnino referre, quas mundi hypotheses amplectamur. Ubi porro ostenditur Philosophiam nequaquam esse Atheismi tyrocinium.* 5. *Mutilas & imperfectas esse hypotheses, quibus Athei Naturæ Phænomena sine Providentiâ expeditum eunt.* 6. *Ut multa Phænomena expediant, de materia particulis & rebus inanimatis, tanquam mente, mentisque affectibus prædita forent, loquuntur.* 7. *Atheos nihil lucrari, cum Naturæ Phænomena ad causas naturales referunt, sed perplexius irretiri.* 8. *Nostrâ non referre utrum naturæ opera peragantur mechanico*

chanico quovis causarum naturalium Artificio, an omnia immediatò Dei concursu perficiantur. 9. *Invictissimum esse ratiocinium, quod ab artis operibus ad Naturæ opera ducitur. Ubi quod excipiunt nos Artificialia artificum industriâ quotidiè effici videre, cum nihil tale in naturalibus intueamur, fusiusculè perstringitur.* 10. *Neque quicquam est, quòd aliqua in rerum Naturâ melius fortasse disponi potuissent.* 11. *Iniquum est ut argumenta nostra quidquam prajudicii ad hariolationibus & commentitiis hypothesibus patiantur.* 12. *Quo clarius totius nostræ argumentationis vis percipiatur, oportet ut mens à consuetudine ocullorum desuescat.* 13. *Aristotelea Hypothesis de Æternitate mundi iisdem absurditatibus laborat, ac* Epicurea. *Totius argumenti conclusio.*

Cap. 5. *Rejicitur* Cl.Cartesii *Adversus Atheos Argumentatio.*

Duplex Cartesii *sophisma. Primum proponitur. Cui respondetur. Nos nullam Dei ideam assequi possumus : ubi monentur ut probent Mentis Ideas plus esse quàm Phantasiæ Apparentias. Nullius substantiæ ne quidem materialis ideam efformare possumus. Obiter perstringitur fanatica Platonis Philosophia. Dei attributa non adæquatè capimus. Quicquid infinitū est intellectū fugit. Proponitur problema de Infinito* Cartesianis *solvendum. Quæritur unde compertum habeam mihi ideam Dei à Naturâ inditam esse. Ex innatis ideis probatum eunt* Epicurei *humanam esse Dei formam. Sæpe gentis cujusq; mores & instituta pro natura decretis ostentantur. An certè sciant* Cartesiani, *si semper ab omni hominum societate sepositi fuerant, num ullam Dei ideam adverterent.* Cartesiani *dogmata, quæ probare nequeunt, pro anticipatis naturæ notionibus præfidenter obtrudunt. Fundamentum Argumenti* Cartesiani. *Obscuritas terminorum, quibus utitur* Cartesius. *Quæritur sitne* Realitas Objectiva *finita an infinita. Quæritur an sit substantia, necne. Non habemus adæquatam & perfectam Dei Ideam. Mens humana instructa est facultate ideas fabricandi.* Cartesii *argumento mundorum infinitudo probari posset. Quomodo mens humana rem perfectissimam comminisci posset. Quid per Infinitum intelligitur. De* Esse Formali & Objectivo *idearum. Realiter idem sunt. Nihil perfectionis à nobilitate objectorum ideis accedit. Causa, quæ* Esse formale *idea producit, producere valet* Esse objectivum. *Respondetur ad quæstionem* Cartesianorum. *Defenditur doctiss. Theologus adversus* Cartesium. *Respondetur ad similitudinem ex picturis desumptam.*

Proponitur alterum Cartesii *sophisma. Id* Cartesius *non excogitavit, cum inter Scholasticos multum vexetur.* Anselmus *primus illius auctor. Olim à viris doctis impugnatum. Rejicitur duplex Aquinatis responsum. Duo alia responsa afferuntur.*

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Gentilium de Deo Placita perperam ad Supremum, quem colimus, Deum traduci: Sed aut de Sole aut de Animâ Mundi, quæ Suprema Omnium Numina esse censuerunt, intelligi oportere.

Explicatur Quotuplex sit Gentilium theologia. --- Qui Exortus. Unde ortus sit Solis siderumque cultus. Solem Deo per omnia similem. Hellenismi *ortus, & Apotheoseos causa. Statuarum cultûs origo. Poetas Gentilitiæ Theologiæ fabellas assuisse. Quorsum Philosophi illorum fabulas mythologicè interpretati sunt. Perperam Gentilium de Deo placita Deo* Opt. Max. *accommodari. Mittitur de Trinitate, quatenus è Gentilium scriptis innotescit, dicere. De iis solùm Dei Attributis, quæ naturali ratione innotescunt, agitur. Mittuntur Philosophorum sententiæ, qui post Christianismi exortum vixerunt. Sol & Anima Mundi Gentilium suprema Numina. Antiquior* Solis *quàm* Mundi *cultus. Quomodo Veteres Solem & Animam mundi in unum Deum conciliavere. Nullus erat siderum cultus antediluvianus. Duplicique ratione probatur. Cl. Seldeni responso occurritur. Explicantur* Genes. cap. 6. commata 2, & 11. *Solarem cultùm non multùm à diluvio exortum fuisse Maimonedis, Isaaci Maronitæ, Mosis aliisque testimoniis probatur. Fuisse Catholicum.* Πυρσθείων *ortus. Unde mos in locis sublimibus sacrificandi. Solem Jovis & Summi Numinis nomine designari. Solem non modo pro supremo sed & pro unico Numine habitum fuisse. Solis* πολυονομίαν πολυθεότητι *initium dedisse. Solem Universi Opificem, omniumque deinceps Parentem olim habitum fuisse. Dominum. Gubernatorem. Sol unde* Heliogabalus *nuncupetur. Gentilium sacra Obscœna ad vim*

Solis

Solis generatricem spectare. Sol idem qui Priapus, Idem cum Priapo Baal Peor. Generalis Solis Providentia. Sol vocabulis & titulis plerunque imperium & dominium denotantibus ornatur. De Baal. Beelsamen. De Molocho, & infantum in ejus honorem vivicomburiis. Reprehenditur Vossius. De Mithrâ. De Adone. Sidera ex Veterum opinione Intellectu prædita. Illorumque Intellectus nostro longè acrior. Stellis mentem eo solùm consilio tribuerunt, ut aptæ forent Numina haberi. Qui animam mundi venerati sunt, Soli & Cælo tanquam Totius capiti Principatum *tribuere. Specialis Solis Providentia. Animæ Humanæ Æthere nascuntur. Sol Omnium & singulorum Inspector. Sol singula prævidet & præstituit. Opinio de Solis Providentiâ Astrologiæ divinatrici originem dedit. Telesmata immò & ipsa oracula vim suam divinatricem à siderum Influentiis accepisse crediderunt Veteres. Fatum & Parcas esse vim Siderum. Veteres stellis suum cuique ordinem assignarunt, primum vero & Regium Soli. Unde nata Astrologiæ & Ethnicæ Religionis intima connexio. Unde denique veteres Astrologi Religionum ortus & interitus ab Astris provenire statuant.*

Cap. 2. *Veteres Philosophi Animam Mundi Supremum esse Numen censuerunt.*

VEteres materiam quandam æthereeam esse Animam mundi *dixisse: eamque esse summum omnium Numen. Expressa* Varronis, Plinii, Pythagoræ, *aliorumque opinio. Cur* Ægyptii *bruta animantia coluere. Cur Patres cùm Deum definitum eant, disertim Mundum illiusque partes excludant. Apud Veteres* Deus *idem cum* Naturâ. *Quorsum Philosophi Poetarum fabellas ad res Physicas accommodavere. Mundum sub Jovis nomine designari. Philosophos, qui unicum esse Numen statuerunt, ad* Animam mundanam *respexisse. Voce* τȣ̃ Παντὸς *Universum & Deum significari contra A. Steuchum* Eugubinum *innuitur. Isti solum Philosophi, qui Mundum immensum esse dixere, Dei Immensitatem statuerunt. Cùm Dei Omnipræsentiam prædicarunt, Dei Nomine* Spiritum mundanum *intelligunt. Voce* Spiritus *non rem immaterialem, sed pertenuem quamlibet substantiam intelligunt Philosophi. Apud quos* animus, anima, Spiritus, ψυχὴ *nihil aliud significant quàm Aerem & Ætherem, aëreamque quamvis substantiam. Mens & νȣ̃ς apud veteres non substantiam, sed facultatem denotant.*

Animæ Mundanæ rerum omnium creationem; providentiam; imperium tribuere. Unde nata divinatio per mundi Elementa. Fatum esse cum naturæ ordinem, quem fabricavit Spiritus æthereus. *Cur Deos Fato subesse vellent Stoici. Cur Poetæ fingant* Parcas *ex Cœli Terræq; coitu prònasci. Opinio veterum particulares quaslibet animas ex animâ mundi oriri. Veteres animam immortalem dixisse, solùm quòd crederent eam dissoluto corpore in animam mundi refundi. Animas omnes semper esse partes animæ mundanæ.* Hippocratis *aliorumq; è priscis* θερμὸν; *& Stoicorum Ignem nihil aliud fuisse quàm* Animā mundanā. *Unde Stoici substantiam Animæ humanæ igneam esse autumarunt. Igni quicquid Divinum est attributum. Unde est quòd statuant solum Jovem mundi conflagrationi superesse. Platonis & Aristotelis opinio de Diis ambigua. Plato Socratis fato perterritus animi sui sententiam dissimulavit. Ejusdem inconstantia. Obscuritas. Plato geminum mundum, visibilem & intellectualem, suprema Numina esse credidit. Numen Primarium extra hujusce Mundi pomaria abegit. Aristoteles summum Numen intra Cœlos coegit. Ipsum Cœlum Deum esse apertè docuit, Zabaistas secutus.*

Cap. 3. *Gentilium Theologiam Historicam Plerumque Sacræ Historiæ Perperam accommodari.*

RES Græcanicas passim viris doctis ad Hebraicas aptari. Aliarum Gentium gesta rebus hebraicis perperam accommodari. Precariam & commentitiam esse posse analogiam inter res Græcanicas & Hebraicas triplici capite probatur. (1) *Quòd fortuita esse potuit.* (2) *Quòd tantæ varietatis sit Græcorum de Diis historia, ut fieri non potuit, quin ad alias historias quascunq; analogiam gerat.* (3) *quòd perexiguas arripiant analogias, quales in quibuslibet facillimè investigari queant. Vossius, Bochartus,* &c. *sæpiusculè ad partes vocati.*

Cap. 4. *De substantiâ & Essentiâ Divinâ.*

CUjusmodi sit Dei substantia nos penitus celari. Anomæorum *arrogantia. Triplex fons ignorantiæ nostræ circa divinæ.* (1) *Immensitas Majestatis divinæ. Quid sit incomprehensibilitas. Ineffabilitas. Deus nullâ voce* κατ᾽ ἰδίαν *exprimitur.* (2) *Ejusdem Invisibilitas, Ipsam,*

sam Θεότητα *nusquam apparuisse. Angelos Dei Personam gessisse. Ænigmaticas & symbolicas, non reales fuisse Dei repræsentationes in Prophetarum somniis. Non potuisse olim* Majestaticam Dei repræsentationem *impunè videri.* Exod. 33.20. *explicatur rejecto* Cl. Episcopii *glossemate. Unde adeo frequens* Gloriæ Dei *mentio in* S. Codice. (3) *Intellectûs, quandiu Corpori alligatur, imbecillitas. Intellectum nihil percipere, nisi quòd sit materiæ conditionibus imbutum. Examinatur Dei definitio. Quid sit* Spiritus *inquiritur. Illorum opinio, qui spiritum extensum esse volunt. Opinio Stoicorum, Epicureorum, Tertulliani Omnia esse corporea. Spagyricorum medium aliquod inter corpus & spiritum assignantium opinio. Singularum è prædictis opinionibus censura. Prima incerta est. Secunda non modò* λογομαχία *est, sed & periculosa, ac prorsus obscura. Tertia aut secum pugnat, aut ad alteram è prædictis transit. Concluditur tum Spiritûs tum Dei* ὀσίαν *indagari non posse. Deumque tam incorporeo quàm corporeo præstare. In* S. Codice *Deus per analogiam ad corpus tenue, quod* Spiritum *appellamus, Spiritus dicitur. Non minùs propriè Lux & Ignis appellatur quàm Spiritus. Transitur à Dei substantiâ ad ejus essentiam. Essentia Dei infinita est. Infinitatem Essentiæ Divinæ aliud quidpiam esse ab ejus Immensitate & Æternitate. Quorsum quidpiam fi itum & infinitum dicatur. Perfectionem Essentiæ in Actualitate consistere. Infinitam* Actualitatem *esse, cui nulla immisceatur* Potentialitas. *Infinitudinem Essentiæ Divinæ in essendi necessitate positam esse. Quid velint Scholastici, cum Deum* Actum purum *appellant. Infinitatem Essentialem Dei ab iis labefactari, qui Deum* positivam *sui ipsius* Causam *esse volunt. Causa cur Divinâ potentiâ Infinita Essentia produci nequit. Cur Deus solus à seipso* negativè *esse potest. Quòd Deus à se sit* negativè *fundamentum habet positivum, sc. Immensitatem suæ perfectionis. Nova methodus probandi Infinitatem Proprietatum Dei. Unde Veteres Deum* Τὸν ὄντα *cognominarunt. Nomen Tetragrammaton non Dei Essentiam, sed Constantiam & veracitatem connotare. Fasne sit Deum in Categoriâ aliquâ includere. Quid sit Categoria. Peripateticos futiliter se gerere in Categoriis assignandis. Irridendam esse eorum superstitionem, cum Deum religiosè è Categoriis excludant.*

Cap.

ELENCHUS RERUM.

Cap. 5. De Dei Attributis In Genere.

Diſtinguitur inter Perfectiones abſolutas & quadantenus ſic dictas. Pleraſque Controverſias de Divinis Perfectionibus ex eo provenire quòd ad iſtam diſtinctionem non attendatur. Ex innumeris Dei Virtutibus eas ſolùm nobis innoteſcere, quarum ſimulachra in Creaturis edidit. Divinas Perfectiones ex creatis triplici viâ Cauſalitatis, Eminentiæ & Remotionis inveſtigari. Demonſtratur prima, quòd quicquid Perfectionis creaturis inſit à Deo emanaverit. Demonſtrantur ſecunda & Tertia, quòd quicquid Imperfectionis Creaturis inſit a Deo non derivetur. Viam Remotionis pertinere ad ſolas Perfectiones materiales. Viam eminentiæ ad ſolas Perfectiones Spirituales. Perfectiones Materiales Deo Eminenter convenire, Spirituales formaliter. Quid velint Myſtici Theologi cum ſtatuunt omnia de Deo Affirmanda & Neganda. Perfectiones Dei Phyſicas olim Attributo Maximi denotari, Morales Attributo Optimi. Eſſe Deum ἁπλῶς & abſolutè Optimum Maximum. Virtutes Ethicas, quæ non niſi Corporeis conveniunt, Deo non convenire, convenire verò omnes alias. Quæritur an fas ſit paſſiones Deo tribuere. Veterum Plerique Affectus omnes in Brutâ Animi parte collocarunt, Stoici verò in parte rationali. Perperam Utrique. Quorſum Scholaſtici Affectus à Deo ablegaverint. Affectu quoq; includuntur mentis actio & Corporis Commotio. Corporis commotio non tam affectus eſt quàm illius effectus. Quomodo anima ſuas motiones Corpori communicet. Affectuum pars, quæ animi eſt, quidni Deo conveniret? Paſſiones non eſſe diſtinctas ab invicem facultates. Eſſe eas voluntatis operationes, & proinde poſſe Deo convenire. Paſſiones ritè temperatas virtutes eſſe, & propterea perperam Deo abrogantur affectus, ſi eidem tribuantur Virtutes. Demum diſſeritur affectus veros & proprios Deo convenire. Reprehenditur Maimonides. Unde Zelotypia Deo reſpectu Iſraeliticæ Idololatriæ tribuatur. Quid ſit miſericordia. Plerumque vocabulis impropriis S^s Codice deſignatur. Miſericordiam in Deo eſſe Amorẽ Benevolentiæ erga miſeros. Quid ſit Ira Divina. Quicquid ad intrinſecã affectuũ noſtrorũ naturã pertinet affectibus Divinis ineſſe. Affectus Divini etiamſi à noſtris differrent, tamen nihil impedit quin eandẽ nomenclaturã ſortiantur. Litem, quã huc uſq; movi, de verbis non eſſe. Si ſit Logomachia, non me ſed adverſarios in culpâ eſſe. Affectus, qui impotentiam reſipiunt, Deo ἀνθρωποπαθῶς tribui. Eſſe tamen proprios affectus alienis nominibus expreſſos. Dolorem in

in Deo esse propriè illius Odium. Pœnitentiam in hominibus esse dolorem, in Deo Iram. Episcopius & Crellius sugillantur. Nulli affectus à Deo amovendi quatenus affectus, sed quòd speciales defectus includant. Quæritur an Attributa Dei invicem distinguantur. Vindicatur Taurellus. Qualitates à Corporibus non esse distinguendas. In spiritualibus facultates perperam à substantiis distingui. Res fusiùs in Intellectu *&* Voluntate *diducitur. Aliquammultis argumentis demonstratur ea non posse ab invicem distingui. Infertur reliquas Dei facultates ab invicem non discrepare. Quæritur an conceptus nostri de Divinis Attributis sint* negativi. *Dei Attributa nihil Negationis reipsa in se continere. Conceptus nostros de iis esse potius confusos & indefinitos quàm negativos.*

Cap. 6. *De Æternitate.*

VOces, quibus Æternitas in S. Codice *exprimitur, eam non nativâ vi vocis, sed à naturâ rei, cui tribuuntur, significare. Dei Æternitatem nonnunquam in* S. Codice *comparatè exprimi. Probatur durationem divinam sempiternam esse. Inquiritur sitne Æternitas successionis expers necne? Quid sit* concreta *sive* interna duratio. *Durationem rei ab ejusdem existentiâ non distingui. Durationem rei permanentis esse extrinsecè solùm successivam. Quomodo discriminetur permanentium duratio à successivis. Durationem rei cujusque permanentis esse illius quietem. Ignem corporibus omnibus permistum esse, eaque absumere. Res non Tempore sed Physicis causis immutantur. Substantia cujusvis pariter ac Dei permanentiam successionis expertem esse. Mutationes naturales Rerum hypostasin non attingere. Explicatur Boetiana Æternitatis definitio.* Durationis Abstractæ *perquàm tenuem esse Realitatem. Locum & Tempus præ exilitate realitatis suæ Intellectum nostrum penè effugere. Locum & Tempus non esse Res solidas & positivas. Tempus ab Æternitate discriminari non aliter quàm Pars à Toto. Definiuntur Æternitas, Tempus, Ævum. Parallelismus inter Locum & Tempus. Scholasticorum sententia Tempus à Motu emanare. Obiter sugillatur Hobbiana Temporis definitio. Motum non esse Temporis causam, sed solùm externam illius Mensuram. Fusiusculè adversus prædictam Scholasticorum sententiam disputatur. Potius motum successionem suã à Tempore adipisci, quàm Tẽpus à Motu. Et Pressius urgẽtur Tria*

Argu-

Argumenta adversus Æternitatis Indivisibilitatem. Diluuntur varia Responsa. Diluuntur Objecta è Psalm. 90. 4. & 2. *Pet.* 3. 9. *Nulla Mutatio Deo accedit Æternitatis successione. Alia aliquot Objecta difflantur. Si captum fugiat, quî fluat aterna successio, fugit quoque quî non fluat. Non captum fugit Æternitatis successio sed infinitas. Tametsi forent Objectiones, quæ solvi non possent, tamen nihil valerent adversus Æternitatis successionem, quòd perinde omne Infinitum tollant. Geometriæ Postulata si ad Infinitum quodvis aptarentur prorsus incerta aut absurda forent. Demonstratur Spatii Immensitas. Eâ de re egregia* Lucretii *argumentatio. Quicquid objectatur adversus Æternitatis successionem perinde impetit spatii immensitatem. Æternitas nullâ primâ parte inchoatur. Ex Infinito finitorum Numero fit tandem infinitum. Istam propositionem* Æternitatis prima pars, quæ assignari potest, assignari potest, *tametsi Identica sit, tamen, quòd falsæ hypothesi innitatur, falsam esse ostenditur. Cavendum esse à voculâ* Omnis *quoties de Infinito agitur. Postremam objectionem ipsam Æternitatem* à parte post *abrogare. Quæritur an Æternitas sit Incommunicabilis Dei Proprietas. Haud pauci veterum Mundi Æternitatem collegerunt ex Infinitate Benignitatis Divinæ. Istâ Ratione quidlibet fere probari potuisse ostenditur. Divina Benignitas Libera est, & proinde potest pro arbirio quodlibet magis minusve perfectum efficere. Qui Dei Bonitatem necessariò optimè operare volunt, illius Bonitatem, Potentiam, sapientiam, Dominium indignè imminuunt. Asseritur & probatur Mundum potuisse ab æterno fieri. Aliud esse Initium Essentiæ, aliud durationis. Nihil contra Possibilitatem Æternitatis Mundanæ, quod, cum de Æternitatis successione egerimus, non diluimus. Laudatur Cartesius, quòd noluit Atheismum refutare ab impossibilitate seriei sempiternæ in causis & effectibus. Desideratur in Cartesio constantia. Circa Infinitum quodlibet nos non posse ratiocinari.*

LIBER

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

De Antiquis Philosophis, qui Atheismi vulgò incusantur.

INTER veteres Philosophiæ Professores omne Numen sustulisse perhibentur *Anaxagoras Clazomenius Jonicæ Sectæ Antistes, Theodorus Cyrenaicæ Sectator, Bion Boristhenites ejusdem Auditor, Diagoras Melius, Euhemerus, Protagoras & Epicurus.* Hos cæteri pene Omnes Philosophi tam Ethnici quàm Christiani infinitis convitiis lacerant, maledictis configunt, atque in eos tanquam *Cyclopum Sobolem* & *Mezentios* Deorum Contemptores tum Diis tum Hominibus exosos Iracundi involant: Cæterum quid de iis statuendum sit, si mitius judicare lubeat, paucis ostendemus.

Imprimis igitur etiamsi tales fuerint, quales fuisse perhibentur, tamen plerisque aliis *Philosophis*, qui seipsos ad insanam Vulgi superstitionem demiserunt, longè Cordatiores fuisse facile crediderim: Plerunque enim adeo turpes aut ineptæ fuere *Ethnicæ Superstitionis* Ceremoniæ, ut fieri non potuit, quin Philosophi (modò tales omnino fuerint) Deum (si quem agnoverint) ab istiusmodi Ineptiis planè abhorrere videant; ut sanè è Philosophis Nemo iis favere potuerit, nisi qui prius aut Sincero Numinis cultui omnino valedixerat, aut saltem tantilli esse reputaverat, ut nihil referre crederet, cui

aut quomodo aut deniq; an omnino peragatur. Atheos nullius, quantumlibet fœdæ & putidæ, Superstitionis piget, sed quodlibet adorant, modò inde Capiti consulatur, adeo ut æquius reliquos omnes Philosophos, quotquot insanis & frigidis Vulgi Ritibus passim uti consuevere, tanti criminis suspectos teneamus, Deoque, quem adorare simulaverant, planè illusisse & clanculum renunciasse arbitremur. Ut *Plato* quanquam Græcanicam Superstitionem apertè *Libris de Legibus* procul à *suâ Republ.* tanquam fœdissimam & Philosophis indignam abigendam esse prædicat; eandem tamen *in Timæo* non modo amplexandam, sed etiam divinitus traditam concionatur; Et vulgo quidem pernotum est eum nihil non de Diis vulgi ritu fabulari, ne tandem Socratis poculum exhauriret. Sic & fertur Aristotelem, dum *Eleusinia Cereri* Sacra fecisse videbatur, Scorto suo immolasse. *Laert. l.5.*

Quid quæso agerent Philosophi, cum Deorum flagitia, adulteria, stupra, Intemperantiam, ærumnas, servitutes, perturbationes adverterent? Unde *Momus Luciano* inducitur Atheos in publico Deorum conventu excusans, ὅτι μὲν γὰρ τῶν ῥαψῳδῶν ἀκούουσιν ὅτι καὶ ἐρῶμεν, καὶ τιτρωσκόμεθα, καὶ δουλεύομεν, καὶ δεσμούμεθα, καὶ στασιάζομεν, καὶ μυρία ὅσα πράγματα ἔχομεν, καὶ ταῦτα, μακάριοι καὶ ἄφθαρτοι ἀξιοῦντες εἶναι· τί ἄλλο, ἢ δικαίως καταγελῶσι, καὶ οὐδενὶ λόγῳ τίθενται τὰ ἡμέτερα; *Jupiter Trag.* *Quum ex Poetis audiunt nos amare, vulnerari, servire, vinculis obstringi, seditionibus turbari, innumeris molestiis implicari, præsertim cum beati & immortales esse contendamus: quid aliud quàm nos jure deriderent, & flocci facerent?* Quomodo à risu temperarent, cum dispicerent (inquit *Tertullianus*) Mœcum *Anubim*, Masculum *Lunam*, & *Dianam* flagellatam, *Jovis* mortui Testamentum recitatum, & tres *Hercules* famelicos irrisos, & *Mercurium* Mortuos cauterio examinantem? His adjice *Cœlum* castratum, *Saturnum* profugum, *Jovem* vagientem, à *Briareo* liberatum, ne à cæteris Diis ligaretur, *squammatum, cornutum, plumatum, & in aurum præ libidine conversum Deum, Vulcanum* fabrum, *Apollinem* imberbem,

Æsculapium

Æsculapium Apollinis filium βαθυπώγωνα *prolixè barbatum*, *Bacchum* ramo ficulneo muliebria patientem, Sauciatam *Venerem*, *Martem* vinctum, utriusque adulterium deprehensum? Quid agendum erat cum putidos, aniles, crudeles, fœdos ritus aspicerent? Quid cum Præstigias Sacerdotum illiberales, sordidas? Quid cum Incantationes impias? Quid cum Superstitiones fabulosas & ab omni ratione vacuas? Quid cum *Eleusinia Mysteria*, *Bacchi Orgia*, *Veneris Sacra*, quæ quomodo *Athenis* (ubi in prædictos Philosophos animadversum erat) celebrata Αἶσχος κοσμικὸν *Mundi probrum* merito appellat *Clem. Alex.*? Quid denique cum totum undiq; Deorum cultum aut Immanitate, aut Fœditate, aut ludicris Ineptiis refertissimum? Aut sanè obtusi admodum sint necesse est, aut meticulosi, qui tam vesanas Religiones non abdicarent; adeo ut indubium sit cæteros Philosophos (nisi prorsus Fungi & Buccones fuerint) quotquot Plebeculæ Religionem amplecti videbantur, præ metu duntaxat, quod nequaquam crederent, simulavisse. *In Protrept.*

Cæterum Nostri liberalioris ingenii sese in Libertatem asserentes, veritatem passim propalare sustinuerunt, & immanes Superstitiones palam annixi sunt abrogare. De quibus itaque Lanctantius, *Impugnatæ sunt à Prudentioribus falsæ Religiones; quia sentiebant esse falsas: sed non est inducta vera; quia qualis aut ubi esset, ignorabant.* Et *Clemens Alex.* de impudicis *Ethnicæ Superstitionis* ceremoniis edisserens, sic demum concludit, ὧν δὴ χάριν θαυμάζειν ἔπεισί μοι, ὅτῳ τρόπῳ Εὐήμερον τὸν Ἀκραγαντῖνον, καὶ Νικάνορα τὸν Κύπριον, καὶ Διαγόραν, καὶ Ἵππωνα τὸν Μήλιον, τόν τε Κυρηναῖον ἐπὶ τούτοις ἐκεῖνον, ὁ Θεόδωρος ὄνομα αὐτῷ, καί τινας ἄλλους συχνούς, σωφρόνως βεβιωκότας καὶ καθεωρακότας ὀξύτερόν που τῶν λοίπων ἀνθρώπων τὴν ἀμφὶ τοὺς Θεοὺς τούτους πλάνην, Ἀθέους ἐπικεκλήκασιν, εἰ καὶ τὴν ἀλήθειαν αὐτὴν μὴ νενοηκότας, ἄλλα τὴν πλάνην γε ὑπωπτευκότας. ὅπερ οὐ σμικρὸν εἰς ἀληθείας φρονήσεως ζώπυρον ἀναφύεται σπέρμα, &c. *Quâ de causâ venit mihi in mentem admirari, quonam modo Euhemerum Agrigentinum, & Nicanorem Cyprium, & Diagoram & Hipponem Melium, &* *Lib. 2. c. 3.* *In Protrept.*

& illum post hos Cyrenæum, cui nomen erat Theodorus, & multos alios, qui moderatè ac continenter vixerunt, & reliquis hominibus acriùs hunc de Diis istis errorem perspexerunt, Impios & Atheos cognominarunt, qui etiamsi veritatem ipsam non consideraverint, tamen errorem quidem certè suspicati sunt: quod quidem non parum existit semen ad excitandam scintillam ad intelligentiam veritatis. Vide his suffragantem Josephum *lib. 2. adv. Appionem.* An non longè satius sit omnem Religionē aspernari, atq; sit eam tanquam genuinam agnoscere, quam fictam, spuriā, & inanem esse arbitramur?
Lib. 3. *Jamdudum* (inquit Arnobius) *me fateor mecum reputantem in animo rerum hujuscemodi monstra solitum esse mirari audire vos dicere quenquam ex his Atheum, Irreligiosum, Sacrilegum, qui Deos esse*
* Lib. 4. *omnino aut negent aut dubitent; * cum sit rectius multò Deos esse non credere, quàm esse illos tales.* Quemadmodum si inter solos Pontificios versarer, eorumq; Religionem tot anilibus tricis & ineptiis inquinatam animadverterem; & si fidei Normâ forem omnino destitutus, ex quâ *Religionem Christianam* à Pontificiorum nugis abhorrere perspicerem; & si deniq; nullæ superessent historiæ, quibus innotesceret quâ ratione hujusmodi Deliria irrepsissent; si ita, inquam, se res haberet, confiteri non piget me Religionem Christianam valdè suspectam habiturum esse; immò tanquam ineptam, frigidam, nec Aniculis dignam penitus repudiaturum, neque aliter Nomini *Christiano* infensus forem, atque sim *Pontificio.*

His porrò an è *Plutarcho* adjiciam crassiùs & Vehementiùs adversus *Numinis Majestatem* Superstitione quàm Atheismo peccari; atq; igitur longè clementiùs in dictos Philosophos animadverti oportere, quàm in eos, quotquot unà cum Vulgo turpissimâ superstitione provolvebantur, etiamsi id serio
περὶ Δεισιδ. egerint? Ὁ μὴ νομίζων (inquit) Θεοὺς εἶναι, ἀνόσιός ἐστιν; ὁ δὲ τοιούτους νομίζων οἵους οἱ δεισιδαίμονες, οὐ μακρῷ δόξαις ἀνοσιωτέραις σύνεστιν; Ἔγωγ' οὖν ἂν ἐθέλοιμι μᾶλλον τοὺς ἀνθρώπους λέγειν περὶ ἐμοῦ, μήτε γεγονέναι τὸ παράπαν

μηδὲ

μηδὲ εἶναι Πλούταρχον, ἢ λέγειν ὅτι Πλούταρχός ἐστιν ἄνθρωπος ἀβέβαιος, εὐμετάβολος, εὐχερὴς πρὸς ὀργήν, ἐπὶ τοῖς τυχοῦσι τιμωρητικὸς, μικρόλυπος, &c. *Qui opinatur nullos esse Deos, impius est? qui tales esse credit, quales superstitiosus, non longè magis impiis opinionibus tenetur? Ego sanè malim inter homines de me hunc esse sermonem, nullum omnino esse Plutarchum, quàm hoc dici esse Plutarchum hominem inconstantem, vafrum, ad iram proclivem, vindictæ ob levissimas causas cupidum, ob minima quæque indignantem,*&c. Et protinus ὁρᾷς δ' οἷα περὶ τῶν Θεῶν οἱ δεισιδαίμονες φρονοῦσιν, ἐμπλήκτους, ἀπίστους, εὐμεταβόλους, τιμωρητικοὺς, ὠμοὺς, μικρολύπους ὑπολαμβάνοντες· ἐξ ὧν ἀνάγκη καὶ μισεῖν τὸν δεισιδαίμονα καὶ φοβεῖσθαι τοὺς Θεούς. *Vides quid de Diis sentiant superstitiosi? stupidos, infideles, inconstantes, vindictæ cupidos, crudeles, & qui minimis rebus offendantur eos esse putant: unde necesse est superstitiosum Deos & odisse & horrere.* Et quidem (ut pergit) quid tam contumeliosè dixit aut dicere potuit *Niobe* de *Latonâ* (maximè sibi exosâ) quàm de hac credere fecit superstitio fatuos homines? An non præstaret nullam usquam *Junonem* extitisse arbitrari, quàm Vetulam fuisse adeo tetricam, crudelem, & sanguinis sitientem, ut quæ diceret

—— τοῦ Ἐγὼ μέσον ἧπαρ ἔδοιμι
Ἐσθέμεναι προσφῦσα. ——

—— *Utinam medium Jecur ejus*
Nacta vorare queam. ——

An non denique melius erat Carthaginensibus jam inde ab initio *Critiâ* vel *Diagorâ* ad condendas leges adhibito decrevisse nullum esse Deum, quàm talia Sacra facere, qualibus Saturno operabantur? Præstat sanè Nullum Numen agnoscere, quam aut Brutum aut Impium esse arbitrari.

Verum enimvero plusquam verisimile videtur prædictos Philosophiæ Antistites non omnem Religionem, sed solùm Idola, Gentilitios Deos, & Græcanicam δεισιδαιμονίαν derisui

habuisse,

habuisse, atque idcirco ἀθεότητ@ damnari. Sicut Cl. Joh. Gerh. Vossius, *Rationi magis consentaneum est, Atheos vocatos, à nostris quidem, quia sic apud Gentiles legissent; à Gentilibus verò, quia Deos Gentium pro Diis non haberent.* Quid enim vulgarius, quàm eos, qui Superstitionem oppugnant & abrogare adnituntur, à Superstitionis Mancipiis Atheismi crimine notari; etenim cum nullam esse Religionem præter suam arbitrantur, si qui eam convellere moliantur, in eos ita debacchari solent, quasi omnem funditus delere conarentur. Cujus rei exemplo esse possunt *Pontificii*, qui ingenti fiduciâ & plenis buccis primis Reformandæ Ecclesiæ Authoribus Atheismum exprobrare solent. Quod quidem Philosophis istis accidisse non obscuris Indiciis comprobandum arbitramur.

De Idol. l. 1. c. 1.

(1) Imprimis enim ipsis ab ipsorum delatoribus non Crimini datur omnem omnino Religionem, sed solùm futiles quasdam ceremonias contempsisse. Quemadmodum Ælianus, testium adversus Clientes nostros haud minimus, cum narravisset Euhemerum, Diogenem Phrygem, Hipponem, Diagoram, Epicurum *Barbaris Indis, Celtis, Ægyptiis* impietate præeuntes fuisse in contemptum Deorum delapsos: continuo subnectit, *Sed Barbari hi, quos dixi, contendunt & esse Deos, & Nostrî curam gerere, & præsignificare futura per Aves, Signa vel Omina, Viscera, & alias quasdam observationes & doctrinas,* &c. Quasi pietatis erat ludicris divinationis Artibus authoritatem ac fidem tribuere; & impietatis, aniles divinationis ritus despicatui ducere: Et profectò quid usitatius apud *Ethnicos Scriptores*, quàm ex Divinatione Providentiam elicere, ex Providentiâ Numinis existentiam; quocirca si qui divinationem abrogatum irent, statim postulabantur tanquam omnem Providentiam, & proinde Divinum Numen penitus explodere voluissent? Sic nihil tertium admittebant inter Ἀθεότητα & Δεισιδαιμονίαν, & exinde quotquot δεισιδαιμονίας luem, quæ totum Orbem infecerat, evasissent, quamvis alioqui

Var. Hist. lib. 2. cap 31.

V. Luciani Jup. Tragœd. ubi disceptatio de Providentiâ ad Oracula & eorum prædictiones devolvitur.

qui bene pii, in Atheorum censu numerabantur. Verum hujusce Apologiæ Æquitas & Ratio clarius constabunt, cum tandem ad specialem cujusque delationem pervenerimus, in quibus scilicet nihil, quod ipsius Religionis contemptum importet, reperiatur, sed semper, solùm quòd aliquam Superstitionis partem aut neglexerint aut irriserint, incusantur; adeo ut ex ipsis eorum delationibus liqueat, solùm eo quod superstitionem oderint, Atheismi accusatos fuisse.

2. Deinde advertendum est *Athenis* in prædictos Antistites animadversum fuisse, ubi scilicet severissimæ Leges turpissimam superstitionem præscripserant.

1. Etenim primò sicut Græcia præ aliis Regionibus olim Superstitionum fæcunda (adeo ut *Anacharsis* Scytharum Rex neque ignobilis Philosophus civem quendam, qui Græcorum mysteria in Scythiâ imitari aggressus est, morte mulctaverit, (referente Clemente Alex.) ὡς ἄνανδρον αὐτόν τε παρ' Ἕλλησι γεγονότα, καὶ τῆς θηλείας τοῖς ἄλλοις Σκυθῶν διδάσκαλον νόσου *utpote qui effaminatus evasisset apud Græcos, & fæmininum morbum alios Scytharum doceret:*) Ita *Athenæ* præ reliquis *Græciæ* Urbibus superstitioni deditæ fuere, unde vulgo dictæ *Deorum Patria & Officina*; hinc Athenienses exagitat *Comicus, quòd* Αἰγυπτίων αὐτῶν τὴν πόλιν πεποιήκασιν ἀντ' Ἀθηνῶν *Athenas in Ægyptum mutavissent:* Immo adeo tandem ibi pergrassata fuerat Superstitionis lues, ut Urbs ὅλη βωμὸς, ὅλη θῦμα Θεοῖς καὶ ἀνάθημα, inquit Xenophon *de Repub. Athen.* Insuper Reipub. Institutis decretum erat Cives unà cum Dîs Patriis Θεοὺς ξένους Deos Peregrinos hospitio exceptos colere; ex quo ibidem quotannis celebrabatur Festum Θεοξένια, adeo ut Proclus iis exprobraverit, quòd omnes Barbarorum Deos & Ritus accersiverant. Et Plinius suâ ætate statuas ultra ter mille Athenis numerat. Denique eo usque adulationis & turpitudinis prolapsi sunt Athenienses, ut ipsum *Demetrium* (quamvis Divinis honoribus eum ornavissent & suffitibus coluissent) adulationis fœditate offenderent, quem propterea de iis dixisse fertur.

In Protrept.

Lib. 1. in Timæum. l. 34. c. 7

V. Athenæum deip. l.6. c.14. fertur. *Athenienses omnes Ipsius ætate viriles & generosos animos amisisse.*

2. Et sicut Athieniensium cultus omnium turpissimus, ita leges (cruenti isti Draconis Δέσμοι) ad cultum spectantes omnium acerbissimæ: † Ælian. var. hist. l.5. c.17. Veluti † εἴ τις πρινίδιον ἐξέκοψεν ἐξ Ἡρώου, ἀπέκτειναν αὐτόν. *Si quis vel parvam Ilicem è luco Heroum excidisset, eum morte mulctarunt.* Adv. Appion. lib.2. Memorat insuper Josephus *Athenienses vel verbo solummodo præter illorum legem de Diis loquentes inevitabiliter punivisse.* Sic de Stilpone narrat In ejus vitâ. Laertius, in Areopagum pertractum fuisse, quòd *Minervæ effigiem Deum non esse* dixerat, rem autem non inficiatum fuisse, sed rectè se locutum asseruisse: μὴ γὰρ εἶναι αὐτὴν θεὸν, ἀλλὰ θεάν· θεοὺς δὲ εἶναι τοὺς ἄρρενας. *Non enim Deum esse sed Deam: Deos quippe Mares esse:* Areopagitas tamen (tetricos illos Rhadamanthos) nihilo placatiores factos jussisse continuò ipsum Urbe excedere. An critica Grammatici quæstiuncula exilio digna? Si ita, Quidni pueri non jacturâ Natis, sed morte aut exilio Solæcismos expiarent? Quinetiam ne delicta quælibet circa Sacra impunè irent, mos erat Senatum posterâ Mysteriorum die convenire. Andocides in Oratione περὶ μυστηρίων· Ἡ γὰρ βουλὴ ἐκεῖ καθεδεῖσθαι ἔμελλε κατὰ τὸν Σόλωνος νόμον, ὃς κελεύει τῇ ὑστεραίᾳ τῶν μυστηρίων ἕδραν ποιεῖν ἐν τῷ Ἐλευσινίῳ. *Senatus illic consessurus erat secundùm legem Solonis, quæ jubet posterâ mysteriorum die consessum facere in Templo Eleusinio.* Immo verò Res Brutas & Inanimatas, si circa Religionem deliquerant, in Judicia vocare solenne erat; sic in Festo Βυφονίων quotannis Bovem immolabant in memoriam Bovis istius *Athei* occisi, quòd sacras fruges in Bacchanalibus aut Diipoliis attingendo temeraverat: Et insuper bipennem, quæ Bovem occiderat, in judicium vocabant; eam tamen, actione solenni Pompâ expositâ, quæ Judicum clementia, absolvebant. Pausanias, In Atticis. ἔνθα τῷ σιδήρῳ, καὶ πᾶσιν ὁμοίως τοῖς ἀψύχοις δικάζουσιν *ibi* (de Prytanæo loquitur) *de ferro, aliisq; inanimatis judicium fit.*

Jam cum adeo futilis & ludicra fuerit Atheniensium superstitio,

ſtitio, cumque fuerint ſancita tam ſevera decreta adverſus eos, qui illam omni punctulo non tenuiſſent, quî pote quin, quibus minimus vel ſapientiæ vel probitatis ſcrupulus, aliquo pacto tum Superſtitioni renunciarent, tum ad *Areopagi Tribunal* poſtularentur? v. g. Capitis periculo tenebatur quiſq; Θεοὺς τιμᾶν καὶ Ἥρωας ἐγχωρίους ἐν κοινῷ, ἑπομένους νόμοις πατρίοις· *Deos venerari atque Heroas patrios & Indigenas publicè ſecundùm patrias ſanctiones:* Iſtam legem citante Porphyrio lib. 4. περὶ ἀποχῆς. Et memorat Pollux quo die quiſpiam è juventute Lib. 8. c. 9. Athenienſi in Albo Civium inſcribebatur, jurare ſe ſemper Sacra & Numina Patria culturum. Cæterum *Leæna*, *Lamia* fœdiſſima Demetrii Scorta, *Burichus*, *Ademantus*, Athenæus deip. *Oxythemis* ſordidiſſimi ejuſdem Aſſentatores (ut Deos l. 6. c. 14. alios Novitios & turpes prætercam, ut Orthanem & Coniſſalum è Priapi famulitio, Tychonem è Veneris) in Heroum numerum relati fuerant, & in eorum honorem Aræ ac Delubra extructa: Itaque aut turpia hujuſmodi Monſtra Libationibus, Pæanum cantibus, cunctiſque Religionis ceremoniis colenda, aut contemptûs adverſus *Deos patrios* rei ſint neceſſe eſt. Atque hinc quidem patet quam iniquè agant Viri Docti, cum quemvis impium eſſe opinantur, quoniam ab Areopago ſic eſſe judicabatur, quæ tamen palmaria & pene unica objectio eſt, quâ prædicti Philoſophi impetuntur.

3. Poſtremò quòd qui illos Atheiſmi accuſarunt, aliis, quos pientiſſimos fuiſſe abundè novimus, pari vehementiâ Atheiſmi ſcelus intentarunt, ſolùm quòd apertè à veſanâ eorum ſuperſtitione abhorruiſſent: ut enim *Socratem* prætercam, cui *Anytum*, *Ariſtophanem*, & *Melitum* crimen impietatis impegiſſe pervulgatum eſt, tamen nec *Lyſia* apologiis, nec meis opus eſt, quibus illi impietatis nota abſtergatur, quippe hoc abunde præſtiterunt *Melitus* morti damnatus, *Anytus* ab *Heracleotis* exterminatus, Paleſtræ & Gymnaſia ob *Socratis* mortem *Athenis* clauſa, æneaque imago in *illius* honorem ab ipſis judicibus reſipiſcentibus erecta, & denique totius orbis de *So-*

exitio innocentiâ consensus; eo itaque misso, præclarissimum hujusce rei specimen videtur, quod ejusdem flagitii invidiâ Christianum nomen oneraverint olim superstitionis patroni, quæ calumnia jam tum adeo invaluerat, ut apud Gentiles ἄθεοι & Christianus pene synonyma evaserant. Cujus rei perquàm luculentissimi sunt testes, quotquot libros aut *Apologeticos* pro Christianis, aut *adversus Gentes* scripsere, quibus licet impensè desudatum sit, ut Christianum nomen ab ἀθεότητος criminatione perpurgarent, nihilo minus in plerosque, qui quoniam nomina Christianismo, ideo quoque pœnas dederunt, tanquam Atheos atque omnimodæ religionis hostes, animadversum est: & *Julianus*, teste *Sozomene*, ipsum Christianismum ἀθεότητος nomine designare solitus est. Quinetiam memorat Justinus *Abrahamum*, *Eliam*, aliosque ex Antiquis Patriarchis complures ἀθέους & nullius Numinis cultores habitos fuisse, perinde ac *Socratem*, *Anaxagoram*, aliosque iis similes, sic (inquit alibi) quoniam Christiani Ethnicorum Numina κακοὺς καὶ ἀνοσίους δαίμονας esse docebant, ἄθεοι cognominati sunt, & subjicit, ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι, *Profitemur nos talium, qui habentur, Deorum esse expertes & Atheos*; Quinimo à Philosophorum innocentiâ passim à Christianis atheismum depellit, causatus nempe non aliter Christianis evenisse, quam aliis, qui Christum præcesserant, quibus, si putidas idololatriæ nugas arguere ausi sunt, atheismi nota actutum inusta est; οἱ καὶ προηγησάμενοι τοῦ Χριστοῦ κατὰ τὸ ἀνθρώπινον λόγῳ πειραθέντες τὰ πράγματα θεωρῆσαι καὶ ἐλέγξαι, ὡς καὶ ἀσεβεῖς καὶ περίεργοι εἰς δικαστήρια ἤχθησαν. *Qui ante Christum fuere quod ratione pro captu humano innixi res plerasque contemplari, explorare & arguere contenderint, tanquam impii & curiosi ad judicum tribunalia sunt pertracti*: immò verò apud *Arnobium* ipsi *Salvatori Jesu* objectatur illum *omnem religionem ex orbe expulisse*. E quibus perspicue efficitur aut Atheos fuisse Christianos, aut tales non fuisse Philosophos, cùm in eâdem causâ utrique sint: si itaque fidem mereantur Gentilium delationes, ne quidem

Stillingfleet Orig. Sac. l. 3 cap. 1. sect. 20.

Lib. 5. cap. 15.

Apol. 2.

Apol. 1.

Lib. 2.

quidem Christiani absolvantur, sin minus, insontes Philosophi, adeo utrosque damnare par est, aut neutros.

" Verùm excipit [i] Vir Cl. Aliam esse Christianorum cau-
" sam, aliam Philosophorum; quoniam constat illos non modo
" Ethnicorum superstitionem aspernatos esse, sed præstantiori
" Numinis cultui nomina dedisse: de his autem nihil quid-
" quam tale constare, ideòque non insontes pronunciandos
" esse, nisi quoque pariter liqueat, dum superstitionem pessum
" dederint, præstabiliori cultu usos fuisse.

[i] *Stillingfleet Orig. sac. l. 1. cap. 1. sect. 10.*

Cæterùm impræsentiarum ut mittam non deesse argumenta, quibus Philosophos, qui tanquam athei proscinduntur, non omnem religionē conculcavisse adstruatur; hoc inquam misso, cum ab illis Atheorum infamiam abstergere aggredimur, id quod volumus non aliud est, quàm quoniam Græciæ vulgus Atheos fuisse æstimabat, quotquot *δεισιδαίμονες* non erant, (quod ex eo liquet, quoniam Christianis, Judæis, aliisque atheismi actionem passim intendebant, quia superstitionis expertes erant) propterea cum nulla sit alia ratio, extra hanc unam (quæ agnoscitur apprimè falsa esse) quæ nos ad tam iniquam de Philosophis illis opinionem moveret, quàm immaniter iniquum esse arbitramur ab *eâdem* causâ tam turpis convitii reos agere: si enim Gentiles novimus in Christianis Atheismi incusandis mendaces esse, iisdem, dum Philosophos ejusdem culpæ insimulant, fides subtrahenda est, præsertim cum aliunde suppetant conjecturæ, quæ molliorem de illis persuadeant censuram. Neque hinc causamur eosdem pios esse, sed impios non esse, cui abundè favere dicimus, ut prius, parem Christianorum causam; sic tametsi nulla reperirentur eorum pietatis indicia, nihilominus multò iniquissimi essemus, si impietatis reos esse vel suspicemur quidem. Atque ita etiamsi à pari Christianorum causâ penitus insontes esse non probantur, tamen inde penitus elevantur adversariorum testimonia, nempe si Christianum nomen propter rejectam superstitionem in Atheismi crimen vocaverint, sequitur eâdem

de causâ eos Philosophorum nomina detulisse: vel saltem cum abundè compertum sit quidquid hujusmodi criminis Christianis affingunt meras esse calumnias, propterea perquam iniquum esse arbitramur, si propter solas eorum delationes prædicti Philosophi in reos referantur. Cæterum plerosque religionis haud expertes fuisse in confesso erit, cum singulorum accusationes seorsim expenderimus. Ut igitur unum & alterum, de quibus vix quidquam memoratur, præteream. Imprimis *Anaxagoram* coram tribunali sistamus.

Laert. in ejus vitâ. Plutarch autem in Periclis vitâ refert eum à Pericle propter periculi suspicionem. Urbe emissum fuisse.

Hic à *Cleone* quodam impietatis accusabatur, *Athenisq;* exulabat quinque talentis mulctatus, & nisi restitisset *Pericles*, capitis damnatus, ὅτι τὸν ἥλιον μύδρον ἔλεγε διάπυρον *quod Solem candentem & ignitam laminam dixerit*; quod idem repetit *Laertius* in Epigrammate suo, quale potuit conficere Poetarum haud Princeps.

Ἠέλιον πυρόεντα μύδρον ποτὲ φάσκεν ὑπάρχειν
Καὶ διὰ τοῦτο θανεῖν μέλλεν Ἀναξαγόρας.

Candentem ferri massam Phaetonta putavit
Quondam, & ob id morti addictus Anaxagoras.

Eadem testantur *Augustinus de Civit. Dei, lib. 19. cap. 41. Plutarch. de placitis Philos. lib. 2. Plin. lib. 2. cap. 58.* Et quæ quæso in hac opinione impietas? Bene erat *Thaleti Anaximandro, Anaximeni*, aliisque *Anaxagora* decessoribus, quod Philosophiam *Athenis* non docuissent, si enim id evenisset, verisimile est eos idem, atq; ille, fatum expertos fuisse. Primus enim *Anaxagoras* ex *Joniâ* scholam traduxit *Athenas*.

Clem. Alex. Strom. l. 1.

Cæterum ut pergam, testatur *Hermippus* apud *Laertium*, *Periclem*, cum nullum ei crimen impingi comperisset, dixisse, μὴ ἐν διαβολαῖς ἐπαρθέντες ἀποκτείνατε τὸν ἄνθρωπον. *Nolite igitur iniquis calumniis inducti hominem occidere.* Suffragatur *Plutarchus* in vitâ *Periclis*, additq; Cleonē ex Periclis odio Anaxagoram accusasse:

accusasse. Numen autem omne eum non sustulisse inde clarum fit, eo quod disertè docuerit mentem quandam κοσμοποιὸν in ordinem ὕλην compegisse. Testibus Laertio in ejus Vitâ, & Simplicio in Arist. περὶ φυσ. ἀκροασ. Quinimo πρῶτος τῇ ὕλῃ νοῦν ἐπέστησε, *primus omnium extitit, qui mentem materiæ adjecit.* *Aristoteles* item illius laudi vertit, quòd omnium primus mentem quandam statuerat mundi esse causam; & alibi Ἀναξαγόρας τε γὰρ μηχανῇ χρῆται τῷ νῷ πρὸς τὴν κοσμοποιΐαν. Eadem *Plato dialogo de animâ, Cicero* item passim, & *Euripides* apud *Euseb.* Præpar. Evang. lib. 14. cap. 16. & *August.* de Civ. Dei, lib. 8. cap. 2. *Suidas* item & *Harpocration* in voce Ἀναξαγόρας. Adeo insuper palam insignis & nota erat hæc *Anaxagoræ* opinio, ut *Mentem* inde fuisse cognominatum memoretur. Ὅτι τοῖς ὅλοις οὐ τύχην οὐδ᾽ ἀνάγκην, διακοσμήσεως ἀρχήν, ἀλλὰ νοῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον, ἐμμεμιγμένον πᾶσι τοῖς ἄλλοις, ἀποκρίνοντα τὰς ὁμοιομερείας. *quòd Universitati non Fortunam, neque Fatum ordinatæ descriptionis principium, sed Mentem puram ac sinceram princeps præfecerit cæteris commixtam, & paritum similitudines servantem:* Quod idem testantur Timon & Laert. in illius vitâ. Quid autem sit, quod veteres per mentem indigitavere, norunt pueri, qui nondum ære lavantur; & quid speciatim *Anaxagoras* monet *Augustinus* cum narrat *Anaxagoram* Deum mentem appellavisse, Et Themistius. Orat. 15. νοῦν καὶ θεὸν πρῶτος ἐπαγαγόμενος τῇ κοσμοποιΐᾳ, de Anaxagora loquitur. Denique quid de *Anaxagoræ* Religione censendum sit docet *Plutarchus*, cum tradit *Anaxagoram discipulum suum Periclem omni liberavisse superstitione, quæ terrorem in rebus æthereis imprimit ignorantibus earum causas, & iis, qui rerum divinarum metu pavent, percelluntur que rudes earum; quem eximens naturalis ratio pro terrificâ & æstuante superstitione, securam inserit cum bonâ spe religionem.*

Lib. 8. Phys. acroas. c. 1.

Metaphys. l. 1. c. 4.

Plutarch. in vitâ Periclis.

In vitâ Periclis.

Quod *Theodorum* è sectâ *Cyrenaicâ* attinet, primò ἄθεον, deinde θεὸν (quoniam placuit (ut fertur) seipsum

Deum

Deum nuncupari) appellatum. Accusatum fuisse fertur ab *Euclide* Hierophante, & nisi eum *Demetrius Phalereus* eruisset, in *Areium pagum* tractus fuisset, quòd mysteria Deorum (*sacra utique sacrilegiis omnibus tetriora*) τοῖς ἀμυήτοις, *nondum initiatis* aperuisset. Quâ in re sicut nihil impietatis deprehendimus, ita supersunt quædam pietatis suæ vestigia, eo quòd fateatur *Laert.* ipsum ipsius librum de Diis inscriptum non contemnendum vidisse: & postea narret, cum quidam illi in *Ptolomeum* jocanti objecisset illum non solum Deos, verùm & reges ignorare: *quo pacto* (respondit Theodorus) *illos ignoro, quandoquidem te Diis inimicum puto?* ubi non modo Deos esse se arbitrari profitetur, sed videtur iracundo verborum tenore, subinnuere se iniquè contemptûs adversus Deos accusatum esse: quibus accedit quòd conquestus est *quæ ille dextrâ tradiderat, hæc auditores sinistrâ accepisse*, Memorante *Plutarcho*. Brevi videtur festivæ & audacis indolis fuisse, adeoque palam fortasse & fidenter risu & jocis carpsisse *Atheniensium* Idolomaniam, eoque in periculum venisse. Ingenii festivitatem, ut complura alia, sic speciatim indicant illius verba apud *Laert.* cùm scil. adstruxisset *Stilpo Megarensis* coram *Areopagitarum* tribunali, *Minervam* Deum non esse, quia fœmina erat, proinde Dea, jocosè lusisse fertur *Theodorus* Πόθεν δὲ τοῦτ' ᾔδει Στίλπων; ἢ ἀνασύρας αὐτῆς τὸν χιτῶνα ἐθεάσατο. *Unde hoc noverat Stilpo? num amotâ pallâ ipsam inspexerat.* Audaciæ autem specimen dedit egregiâ illâ responsione, quam *Lysimacho* crucem minitanti respondit. *Ista, quæso, ista horribilia minitare purpuratis tuis; Theodori quidem nihil interest, humine an sublimè putrescat. De eodem Laert.* ἦν δ' ἀληθῶς ὄντως μὲν θρασύτατος.

Protagoras, cui *Diogenem Smyrnæum* vel potius *Cyrenæum* addit *Epiphanius*, non accusatur Deos sustulisse, verùm de iis duntaxat dubitavisse, Περὶ μὲν Θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔθ' ὡς εἰσὶν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσὶν, &c. *De Diis quidem statuere nequeo,*

Laert. in Aristippi vitâ.

De Iside & Osyride, & de tranquil.

In vitâ Stilponis

Cicer. Tuscul. Quæst. l. 1.
In vitâ Stilponis

Adv. Heres. tom. 2. l. 3. in tract. de expos. fidei cathol.

neque an sint, necne: Ob hoc autem principium operis pulsus ab Atheniensibus est, librique in foro cremati sunt sub præconis voce. Eadem *Suidas* in Πρωταγόρας: verum non tam rem in dubium vocare videtur; quàm eo temporis eâ de re utpote Juveni nimis arduâ non disputaturum profiteri; Quemadmodum intepretatur *Cæcilius* apud Minutium Fælicem, *illum consultè potius quàm profanè de Divinitate disputare.* In Octavio.

Diagoras Atheorum parens & antistes ducebatur, adeo ut demum illius impietas in diverbium abierit. Diagoras Melius *de prophanis & perfidis & impiis dicitur,* inquit *Suidas* in voce *Diagoras*; Si tamen hujus ἀσέβειαν audire velis, gemina esse perhibetur, tum quòd *Herculis* statuam in focum injiciens dixerit, *In hoc decimo tertio Agone, ut quondam Euristeo, mihi inservias oportet,* à quo Joco in Deum stipitem Atheus audivit, Etiamsi Poema suum inde exorsus est, quòd *omnia supremo Numine gubernentur.* Tum quòd arcanos *Orphei* sermones vulgo exponeret, *Eleusinia* item & *Cabeirorum* mysteria nondum ἐπόπταις publicaret. Lex enim erat *Attica,* Τὸν ἐξειπόντα τὰ Μυστήρια τεθνάναι. *Qui mysteria evulgarit, capital esto.* Hinc *Æschylus* in vitæ discrimen venit, cùm in tragœdiis nonnulla, quæ hæc initia spectabat, evulgasse crederetur. Unde Ἀθηναῖοι τὰ Ἐλευσίνια in diverbium abiit, de iis qui secretò de re quâpiam arcanâ tractarunt. Adeo nimirum scrupulosè Gentiles mysteria sua celabant, ut antequam licebat quemvis ἐπόπτην *Inspectorem* admitti, oporteret quàm plurimis inferioris dignitatis fungi officiis v. g. ad ἐπόπτου dignitatem in *Mithræ* (*Persarum Numinis*) mysteriis transibant per octoginta officiorum gradus, uti perhibet *Athenagoras.* Hinc mysteria propalare longè pessimum censuerunt sacrilegium: Adeo ut timuit *Venusinus Poeta* sub eodem tecto habitare, eodemve navigio vehi, quo socium haberet mysteriorum evulgatorem.

Clem. Alex. protrept.

Athenag. legat. pro Christ.

Sam. Petit. de legibus Atticis, p. 33.

In legat. pro Christ.

Vetabo,

Carm. l. 3. Ode 2.

Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcana, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemq; mecum
Solvat faselum, sæpe Diespiter
Neglectus incesto addidit integrum.

Nec *Diagoræ* impietati dispar est ista *Euhemeri*, qui Impius & Impostor audit à *Plutarcho*, quod Deorum natales, patrias, conjugia, progenies, res gestas, sepulcra dinumerat, & per provincias monstrat, ut refert *Minut. Felix*: & *Cicero* cum de hominibus egisset, qui in Deorum censum relati erant. *Quæ ratio* (subjungit) *maximè tracta est ab Euhemero, quem noster interpretatus & secutus est, præter cæteros, Ennius*, & alibi, si bene memini, *Ab Euhemero autem & mortes & sepulturæ Deorum demonstrantur*. Quod factum quoniam omni impietate vacare sentimus, non est, ut eidem ulla impietas imputetur.

Lib. de Iside & Osyride. In Octavio. p. 22. ed. Ouzel. l. 1. de nat. Deor.

De *Epicuro* aliquanto prolixiùs agemus, atque id propterea quòd ab omnibus omnia Numina conspuisse creditur, & tam paucos defensores nactus est, ut ipse jam secundus accedam. *Epicuri* fateor *nomen* (ut de Christiano *Tertull.*) *infestum esse, sed solius nominis crimen est*, Quotusquisque enim doctorum reperitur, qui in *Epicurum* non liberè debacchetur: à *Clemente Alexand.* διὰ πάντων ἀσεβῶν dicitur *per omnia impie se gerens*, & ἀθεότητος καθάρχων *impietatis Princeps*. ἔλεγε (inquit *Epiphanius* de *Epicuro* disserens) μὴ εἶναι Θεὸς, ἀλλ' ἢ μόνον τύχην διοικεῖν τὰ πάντα. Extat porrò oratio adversus *Epicurum* mendaciis & calumniis referta, ab *Himerio* sophistâ composita apud *Photium*; passim eum denique vellicant *Plutarch. Galenus, Cicero. Arnob. Lactant. Orig.* &c. Cæterum Ego utcunque fateor *Epicuri* opinionem ab æstimatione Dei Deo prorsus indignâ ortam

Apol.

Protrept.

1. Strom.

In Sermone compend.

Biblioth. p. 1083.

esse

esse (censuit enim Dei fælicitatem mundi curâ & gubernatione turbatam esse, at quàm anile est credere immensam sapientiam ullâ curâ vexari posse!) utcunque insuper agnoscam quicquid Dei Providentiam mundo abrogaverit proclives ad atheismum efficere, & universum Dei cultum abolere, tamen inficias eo *Epicurum* aut consultò Deos & religionem sustulisse, aut ab contemptu de iis erravisse. Quod enim eum persuasit Deorum providentiam auferre (unde etiam Deos ipsos sustulisse accusabatur) nihil aliud fuisse constat, quàm eximiam existimationem, quâ sese imbuisset de beatitate, majestate, & beneficentiâ divinâ, sic *Lactantius*, tametsi in *Epicurum* longè æquo acerbior sit, tametsi iniquè & detortè ejus dogmata referat, & quæ honesta sunt pravâ & iniquâ interpretatione vexet, tametsi denique summis viribus probare satagat, ex *Epicuri* sententiâ nullos esse Deos, tamen *Epicurei* delirii caput esse confitetur, *Quòd putaret Epicurus à Deo esse alienum malum facere atque nocere, quod ex affectu iracundiæ nascitur; sic enim* (inquit) *Epicuri ratiocinatio processit, si Deus mundum gubernet, impiis irascitur, ira tranquillitatem delibat, quicquid tranquillitatem delibat à Dei beatitate alienum est.* Atqui sanè nescio plus perfectionis Deo deterat *Epicurinè* opinio an *Lactantii*, qui ita *Epicurum* refutat, quasi Deus suam Divinitatem & beatitudinem retinere non posset, nisi provideret rebus humanis; *Quæ igitur* (inquit) *in Deo potest esse beatitudo si semper quietus & immobilis torpet?* Et rursus *Deum sc. à mundi administratione vacare non posse, si vivat aut vigilet. Quietus esse quomodo potest, qui vivit & sentit? nam quies aut somni res est aut mortis.* Quasi Deus non satis beatus per seipsum foret, nisi cum creaturis versaretur, & mundi administratione torporem & somnum, qui aliàs in illum irrepsisset, excuteret. Rectiùs longè *Epicuri Schola* de Naturæ Divinæ longè absolutissimâ αὐταρκείᾳ statuit, quippe quòd sit, *Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri*; ac quæ (uti ejusdem Scholæ alius)

De falsâ sap. c. 17.

De irâ Dei. c. 3.

De irâ Dei. c. 17.

D   suâ

Lucret. Velleius apud Cic. de nat. Deor. l. 1.

suâ sapientiâ & virtute gaudeat; verum obiter illa; ut ad institutum revertar. Fontem *Epicurei* erroris fuisse æquo cautiorem metum, ne aliquid perfectionis à Deo delibaretur luculentius patescit ipsorum *Epicureorum* testimoniis. Sic *Velleius* apud Ciceron. *Quod æternum, beatumque est, id nec habere ipsum negotii quicquam, nec exhibere alteri, itaque neque irâ neque gratiâ teneri, quòd, quæ talia essent, imbecilla essent omnia.* Jam vero si ab hac sententiâ (sola enim hujusce est adversus eum calumniæ origo) *Epicurus* Atheus habendus est: quot pari ratione, non modò eruditi sed & eximiè pii in Atheorum classem transcribendi! Ut enim reliquos mittam, ne sim justò prolixior; Atheusne *Arnobius?* (spero *Lactantium* erga Præceptorem suum mitiorem fore) tamen multò similior hic *Epicuro*, quàm sit *simia bestia turpissima nobis*; etenim dum comprobare satagit Deos irâ adversus nomen Christianum commotos examina malorum, quæ tunc temporis mortales urebant, non immisisse, perorat, *Et tamen O magni cultores atque antistites numinum, cur ut irasci populis Christianis augustissimos illos asseveratis Deos, ita non advertitis, non videtis, affectus quàm turpes, quàm indecoras numinibus attribuatis insanias?* &c. quasi Deus irasci non potuit, nisi insaniret: & multa hujusmodi passim in illius libris observare est, ut cum docet nec animas humanas Dei progeniem esse, nec actus, quibus vita humana transigitur, Summo Numini curæ esse: *minora* (inquit) *hæc illo sunt, & magnitudinis ejus destruentia potestatem; & inde Angelorum curæ permissa esse voluit.* Verum ut pergamus: Non desunt, qui suspicantur *Epicurum* ne quid invidiæ aut criminis subeat apud populum Deos posuisse, ut *Cotta* apud Tullium, *cùm quos verbis asseruit, re sustulit*; sed præterquam quòd iniqua hæc conjectura omni justo fundamento careat, eum purgant acerrimi ipsius hostes, *Non erat* (inquit *Lactant.* jam citatis *Cottæ* verbis respondens) *tam versutus Epicurus, ut fallendi studio ista loque-*

De nat. Deor. lib. 1.

Adv. Gentes, lib. 1.

Adv. Gentes, lib. 2.

De nat. Deor. lib. 3.

loqueretur; *cum hac etiam scriptis ad æternam memoriam consignemus*: *sed ignorantia veritatis erravit*, *indoctus enim à principio verisimilitudinis unius falsæ sententiæ*, *necessario in ea*, *quæ sequebantur*, *incurrit*. *Prima ejus sententia fuit iram Deo non convenire*, *sed uno affectu amputato etiam cæteros affectus adimere Deo necessitas ipsa cogebat*. *Si nullus affectus in Deo est*; *quia quicquid afficitur imbecillum est*; *ergo nec cura ullius rei nec providentia est in eo*; *huc usque pervenit sapientis hominis disputatio*. Quin & Cicero eos, qui hoc *De nat. Deor. lib. 1.* idem de *Epicuro* suspicati sunt, *de homine minime vafro male existimare docet*, *&c.* Verùm isne Deos agnovit populi timore, qui se nunquam voluit populo placere? qui adeo apertè populi superstitionem deriserit? An non paris erat periculi *Martem*, *Jovem*, *Venerem*, *Vulcanum*, aliosq; id genus fabularum Deos, atq; erat omne numen repudiare? quisnam igitur, qui sibi persuadeat, quòd *Epicurus*, qui prius palam professus est, posterius præ timore dissimularit. His amplius ut ad calumniarum fontem adversus *Epicurum* digitum intendam, sic se res habet.

Inter innumeras Philosophorum sectas, quælibet unam quandam præ reliquis sibi inimicam habebat, sic *Peripatetici* adversantur *Platonicis*, *Cyrenaici Cynicis*, [c] *Epicureis Stoici*; unde est quod *Arrianus Stoicos*, quorum mores à Stoicismo abibant, *Epicureos inversos* nuncupet. *Stoicæ* autem sectæ Genius (quæ *Epicuream* cane & angue pejus exosam habuit.) Imprimis ventosus & petulans erat. Sic *Rubellio Planto* apud *Tacitum* objicitur quòd assumpsisset *Stoicorum arrogantiam*, *sectamque*, & *Cic.* 3. *de nat. Deor.* *Asotos ex Aristippi*, *acerbos ex Zenonis schola exire*. Nimirum proximè ad Cynicos accesserunt Stoici, fuit enim Zeno Stoicorum Princeps Cynici Cratetis Auditor: Ἐστὶ καὶ κοινωνία τις τῶν αἱρέσεων ἐστιν. *Societas quædam inter has sectas est*. inquit Laert. unde Satyricus, *Et qui nec Cynicos nec Stoica Dogmata curat*, *A Cynicis tunicâ distantia*. Et sanè Stoici Cynicismum ad *Juven. Sat. 13.*

[c] *Inter Stoicos & Epicuri sectam secutos Pugna perpetua est.* Quintil. *l.* 5. *Instit. Orat. c.* 7. *Annal.* 14.

virtutem (*i. e.* Stoicismum) ἀπαγωγὴν esse statuebant; τὸν Κυνισμὸν (inquit Laertius) εἰρήκασι σύντομον ἐπ' ἀρετὴν ὁδὸν *Cynicismum dixere brevem ad virtutem viam* : Epicurus autem è contra inter Κυρίας Δόξας posuit μὴ Κυνιεῖν. Dein *Stoici* pariter aliorum derisui admodum obnoxii fuisse videntur, quis enim à risu sibi temperaret, cum homunciones aspiceret jactitantes se viros solos esse, cæteros sapientiam professos fœminas, sese quantumlibet tetricos affectibus vacare, & injuriis omnibus obnoxios, ab iis nihilominus securos esse, se solos Sapientes, Liberos, Divites, Reges, Deo pares, *&c.*? Quis insuper cachinnos inhiberet, cum austera & veneranda Silicernia intueretur de tricis & affaniis tanto æstu ad invicem digladiari; quippe etiam vulgo innotuit *Stoicos* totâ ætatē litibus circa nugas logicas & Grāmatisticas impendisse. *Epicuri* autem tum Philosophia tum indoles toto Cœlo à Stoicismo aliena fuere, *Stoicorum* enim logicam contempsit; unde *Hieronymus* adversus *Ruffinum*. *Quoniam Stoici logicam sibi vendicant, & tu hujus scientiæ deliramenta contemnis, in hac parte Epicureus es*. Quinimo viri lepida nacti ingenia non potuerunt, quin tristes eorum & graves ineptias largo risu carperent, quod subinnuit *Cic.* cum profiteatur *se dolere tantam Stoicos Epicureis irridendi sui facultatem dedisse, non enim ignoras* (pergit ille) *quàm ista derideant*, &c.

Lib. 6.

Comicus apud Athenæum. l. 12 Ἀκούσατ' ὦ Στόακες ἐμπορεῖ λήρου. *Vos Stoici nugivenduli me audite.*

De Divinat. l. 2.

Hinc petulantes senes *Epicuro* infensi non modo *Epicurea* dogmata in pravum sensum detorquere satagunt, sed & in ipsum *Epicurum* omnibus conviciis debacchantur: sacrilegus statim, & bellua, & quid non flagitiosum audit. Quorum palam fit invidia ex eo quòd quamlibet eum accusandi ansam arripuerint: *Colotes Epicuri* discipulus præceptoris solertiam admiratus procidens ipsum ad genua complectitur, hinc comminiscuntur *Epicurum* discipulos docuisse, ut divinos honores sibi deferant; & quoniam testamento mandavit *Epicurus* sua natalitia annuo convictu celebrari, honores divinos affectavisse vociferantur: At *Aristoteli*, *Theophrasto*, *Lyconi*, qui perinde

inde in sui memoriam vani statuas erigi curaverunt, nihil tale culpæ vertitur. Atqui porro *Stoicis* calumniatoribus ipsum potius *Epicurum* quàm *Epicuri* dogmata exosum esse inde verisimile videtur, quòd etiamsi *Aristippus* Sectæ insignis (*Cyrenaicæ* scilicet) Princeps expresse docuit voluptatem corporis quantumcunque fœdam, beatitatem supremam esse, præstantioresque corporis quàm animi voluptates, tamen neutiquam totidem acerbis convitiis laceratur, quot *Epicurus*, si igitur *Epicurum* exploserunt propter sententiæ turpitudinem, quidni etiam *Aristippum*? Cæterum imprimis *Epicurum* oderunt malevoli, deinde fortiter calumniantes sinistram illi imputarunt sententiam, quo omnibus exosum propinarent, etenim illos non potuit latere *Epicurum* ab *Aristippi* sententiâ apprime abhorruisse: (quam tamen eidem perquàm fidenter affinxerunt) utpote qui diserte exclusit sensuum oblectamenta, & summâ cum cautelâ solius mentis tranquillitatem se intellexisse monuit. Horum denique omnium omnes calumnias abundè falsimoniæ revincunt *Epicuri* mores, qui utcunque pleno ore intemperantiæ & luxuriæ incusetur, cui nempe vitio vertunt ævum egisse in gulâ, otio, Venere, aliisq; tetris voluptatibus demersum, tamen quis non

Laert. in Aristippi vitâ.

Timone dicitur ἀναγωγότατος ζωόντων *apud Laert. & apud Athenæum,* 7. 6 Γαστρὶ χαριζόμενος, τῆς ὃ λαμυρώτερον οὐδέν.

——— *Epicurum*
Suspicit exigui lætum plantaribus horti?

& profectò tam impudentis & putidæ calumniæ vanitas nullo negotio redargui potuit, si sat sint quotidiana ejus in victu ratio, si *Laertii*, *Plutarchi*, *Ciceronis*, *Senecæ*, *Porphyrii*, aliorumque omnium, etiam quotquot *Epicuro* minus æqui fuere, testimonia.

Nec denique satis reputabant malevoli isti calumniatores suis maledictis *Epicurum* confodere, nisi alios quoque omnes ei infensos redderent, & propterea supposititias epistolas, quibus reliqui fere omnes Philosophi fœdissimis convitiis perstringuntur,

stringuntur, *Epicuri* nomine confinxerunt, ut eo dolo reliquas sectas adversus *Epicurum* concitarent, de quibus epistolis à *Diotimo* confictis vide *Laertium* lib. 10. Hæc cùm meditarer, ad manus pervenit Liber plusquam Aureus *Joannis Jonsii de Scriptoribus historiæ Philosophicæ,* qui eximiè hujus rei specimen in *Diotimo Stoico* disseruit; en illius

Lib.2.cap.25. verba. *Diotimus Stoicus Zenonis Epicurei, omniumque Epicureorum acerrimus insectator epistolas quasdam, quibus Philosophorum priscorum vita perstringeretur, nomine Epicuri fictas edidit & hâc ratione Epicurum ejusque discipulos contemptui atque ludibrio exposuit. Optimè verò factum à Laertio,*lib. 10. *qui veritatis amore fraudem detegit, & Epicuro neque istas, neque alias lascivas epistolas, confictas quippe à Diotimo Stoico, esse tribuendas, aliterque de Epicuro sentiendum esse docet. Audit is malè non suo merito aut culpâ, sed Stoicorum iniquitate, atque invidiâ. Cicero Stoicorum partes quandoque secutus, Epicurum carpit; verùm non raro accuratius re perpensâ honestè de eo sentit & loquitur.* E quo & Senecâ egregiis de Epicuro testimoniis aliquot allatis, subjungit, *Diotimo autem impostori malè ista fraus cessit, ita ut morte eam luere coactus fuerit. Etenim Zeno Epicureus non modò Stoicis convitia reddidit, sed Diotimum istum quoque de falsis atque spuriis epistolis Epicuro suppositis accusavit, remque eo deduxit, ut capitis damnaretur.* Ut refert ex Demetrio Magnete Athenæus, 13. 9. Θεότιμος (leg. Διότιμος) ὁ γράψας τὰ κατ' Ἐπικούρου βιβλία ὑπὸ Ζήνωνος τοῦ Ἐπικουρείου ἐξαιτηθεὶς, ἀνῃρέθη, ὥς φησι Δημήτριος ὁ Μάγνης ἐν τοῖς ὁμωνύμοις. Eundem porro adeas, *lib.1.cap.* 20. Cum autem inter Sectas Epicuream & Stoicam tantæ flagrarunt inimicitiæ, inde fieri potuit Antiquos Ecclesiæ Doctores *Epicuro* plerunque æquo acerbiores extitisse, quòd utique è Porticu in Ecclesiam migraverint. Quid adjiciam quod subnotavit Cl. *Ger Vossius.*

De Philos. sectis.c.8.§.16. "Utcunque alius sectæ homines in Epicurum maledici sint, "tamen testantur qui cum eo versati fuisse admodum pium "in Deos, patriam & parentes, beneficum in fratres, ami-

" cos, servos: gravem ac temperantem, & simplicissimis
" ac vilissimis cibis, & parcissimi vini poculo, imo solo pane
" cibario & aquâ contentum: sic ut epulari sibi videretur,
" si paulum haberet casei χύδην, ut ipse in epistolis refert.
Adeo ut demirer sane cuiquam, qui præ se Philosophiæ nomen dedisse ferat, tantam impudentiæ vim & calumniandi suppetiisse, ut *Epicuro* pravos mores affingeret, nisi crebro viris probis ejusmodi calumnias evenire prius deprehendissem. *Vita mala* est (inquit *Seneca*) *Hoc per capita malignissima & optimo cuique inimicissima, Platoni objectum est, objectum Epicuro, objectum Zenoni.* Qui plura de Epicuri pietate, temperantiâ aliisq; virtutibus desiderat, adeat Magnum Gassendum *De Vita & Moribus Epicuri*, Eruditiss. Menagium in observat. ad lib. 10. Laertii, Senecam passim in Epistolis, Ciceronem præsertim *de finibus* & *quæst. Tusc.* Gifanium in præfat. ad Lucret. Plutarchum libello de *Fraterno Amore.* Quorsum jam ipsius *Epicuri* de Diis verba subjicerem, quæ in epistolâ ad *Menæceum* sic se habent. *Imprimis Deum Animal immortale, beatumque existimato,* (sic dixerunt etiam Aristoteles, Plato, aliiq;) *quemadmodum communi Dei notione definitum est; cave item ne quidquam, quod ab immortalitate alienum sit, aut à beatitudine abhorreat, ipsi attribuas: Omnia verò, quæ illius Immortalitati conjunctam Beatitudinem servare possunt, in eo opinare. Scilicet Dii revera sunt (est enim evidens illorum notitia) at quales eos vulgo homines existimant, minimè sunt; non enim eos tales tueri possunt quales existimant. Impius est proinde, non qui vulgares Multitudinis Deos tollit, sed qui Multitudinis opiniones Diis accommodat. Non enim Germanæ Anticipationes sunt, sed suspiciones falsæ ea, quæ vulgò de Diis ab hominibus traduntur.* Ubi videmus eum piè admodum de naturâ Divinâ censuisse, simul & impias Vulgi de eâdem opiniones improbasse; & proinde eâ pietate præditum fuisse, quam Reliqui impietatem appellarent, cum omnia de Diis Placita à vulgaribus aliena

De vitâ beatâ, c. 18.

aliena sēper impia omniq; Religioni contraria reputarent. Quid
Lib. 10. deinde evidentius trito *Laertii* testimonio, quo τὸ μὲν γὰρ πρὸς Θεὸς ὁσιότητος ἄλεκτος ἡ διάθεσις *Affectus pietatis Epicuri erga Deos ineffabilis esse dicitur*; quàm immani intervallo ab Atheismo distat ineffabilis pietas! Quid denique provocarem omnes *Epicuri* hostes vel unicum proferre Scriptorem, qui *Epicuro* Deorum contemptum affingat, qui quoque non fateatur eundem Numen agnovisse, non enim *Epicurum* ex ipsius verbis criminantur sed per consequentias ab ejus sententiâ pertractas; nempe quia Deo (quem existere agnovit) res humanas curæ esse negavit, inferre pergunt illum revera omne Numen, perinde ac si exertè negaverit, sustulisse; sic *Lactant. Cum Pro-*
De irâ Dei. c. 9. *videntiam* (inquit) *sustulit, etiam Deum negavit; cum Deum esse professus est, & Providentiam simul esse concessit. Alterum enim sine altero nec esse prorsus nec intelligi potest*; ita quia Providentiam exterminavit, Deos quoque abrogasse colligunt. At si fas sit quemvis sententiæ à suâ per consequentias deductæ incusare, tametsi eam disertè inficiaverit, quis ἀθεότητος, quis impietatis insons? Quid *Stoicos* dicam Deum fato subjugando, illum consequenter sustulisse? quid *Academicos* de omnibus addubitando, de Diis omnem certitudinem aspernatos esse? quid *Peripateticos*, qui Dei simplicitatem delibando, re (ut æstimant fere omnes) ipsum Deum abegerunt? Nonne dum inter nos ipsos alterutrinque de Dei decretis conflictatur, utrinque exprobratur impotentiam Deo attribui, proindeque Deum tolli: hinc nimirum Deum modo cruentum, & sanguinis sitientem esse, modo peccati reum, quibus quid Deo abjunctius? illinc inficiari Divinam omniscientiam, πρόνοιαν, sapientiam? Singuli igitur tales Athei sumus, qualis Epicurus.

Hæc fortean aliquantò fusiùs quàm par est diduxi; tamen nō est, ut non modo veniam datum iri sperem, sed etiam conatus meos ingenuis gratos fore, cum nullum opus illis optatius esse scio, perinde ac nullum mihi amænius, quàm ut calumnias ab

inson-

insontibus abstergerem: Sed superest ut quam Philosophis sententiam adseruimus, firmiter adstruamus, ut sicut Atheos sustulimus, tollamus pariter & Atheismum; sed ad hoc proximo capite pergendum.

CAP. II.

Contra Atheos Disputatio.

NON opus est, ut viam disputationi præstruamus contra *Scholasticorum* & *Socinianorum* nonnullos (non enim totius est sectæ opinio) disputando præstari posse id quod aggredimur; posse utique Numinis existentiam demonstrari, quippe si ritè provinciâ hac defungamur, possibile esse sequitur. Solvant igitur, si valeant, subsequentia argumenta, & protenus concessum erit, nulla afferri posse: sin id non valeant, sat firmiter citra specialem disputationem adversus eos conclusum est. Cæterum ne singula, quæ in hoc negotio usurpantur, corradam argumenta; unicum duntaxat diducere placuit, geminâ tamen probatione conflatum, quarum alterâ existere quidpiam æternum, improductum, atq; ex sese necessariò existens, reliquorumq; omnium causam adstruetur; alterâ vero illud improductum, quidquid sit, intellectu, & ratione pollere: quibus evictis, superest, cum omnia, quæ nostra appellare licet, ab istâ supremâ causâ accepimus, obligari nos venerationis, amoris, gratitudinis specimina eidem exhibere: eumque, quandoquidem rationis compos sit, non modo, qui religione colatur, capacem esse; sed & cultum postulare. Quemlibet nimirum insigniter de nobis meritum, præsertim si sapientiâ & ratione præditus sit, jugi cultu, amore, & adoratione excipimus; tali itaque venerabundam & om-

nium ſupremam adorationem exhiberi decet, qui tum omnibus majeſtatis & ſapientiæ numeris emineat, tum longè optimè de nobis mereatur; quem nempe ſumus, immenſæ hujus machinæ Conditorem eſſe, noſtrumque omnium parentem evicturi. Sed imprimis de priore probationis membro, quod ſic perteximus.

Vel datur ens neceſſarium, propter ſe exiſtens & ἀγέννητον; vel omne ens ex ſe, ſuâve naturâ non exiſtit, ſed olim genitum fuit; id prius, quod contendo: ſin autem (quod poſterius eſt) omnia ex ſe non exiſtant, conſequetur nihil omnino eſſe poſſe; ſiquidem quod ex ſe non eſt, propterea quod non poteſt ſuam ſibi erogare naturam, neceſſario aliquid deſiderat, cui Acceptam referat. Si proinde omnia entia ex ſe fuiſſent non entia, non potuiſſent exiſtentiæ exordium ducere, quoniam nihil exiſteret, à quo ducere pote ſit. Neq; quidquam refert an præcludatur cauſarum & effectuum proceſſus in infinitum. Sint enim entia, quæ ſempiternâ hæreditate ſucceſſerunt: aut utiq; ex ſe ſunt, aut deinceps ex ſe non ſunt: ſi ex ſe non ſint, cùm impoſſible agnoſcatur ut omnino extarent niſi ab aliquo alio ente (quippe ſi ipſa eorum natura non exigat exiſtentiam, eandem præexiſtenti debent) ſequitur, quòd ex ſe non ſint, ab aliquo alio eſſe; quod ipſum etiam vel ex ſe, & infectum; vel ab alio productum extitit; ſi ex ſe ſit, id contendo; ſin minùs, quod unde oriatur adhuc rogo; Atq; ita demum, quoniam in æternâ cauſarum & effectuum ſerie, res, quarum aliæ aliis ſucceſſerunt, à ſeipſis non extiterint, tandem aut quidpiam eſſe fateamur pluſquam neceſſe eſt, quod propter ſe exiſtens cæteris à ſe non exiſtentibus impertiat exiſtentiam: aut aliquod ens, quod ex ſe non ſit eſſe, neque tamen ab alio, ac proinde non modo quod non eſt, ipſum ſibi eſſentiam largiri, ſed etiam quod ex ſe non ſit, ex ſe eſſe: at quàm ſit hæc contradictio fatua & exibilanda? Adhæc ut aliquantò ſpecialiùs agam. Sempiterna

piterna foret succeſſio, vel (ut loquuntur Platonici) ὁμοταγῶν, ſeu rerum ejuſdem ordinis,vel ἑτεροταγῶν diverſi ordinis,ita ſc. vel ut homo hominem ab æternis ſeculis ſeriatim genuerit, vel ut ſpecies humana ſuperiori quodam fuerit rerum ordine procreata, & hic itidem ab adhuc nobiliori, qui inſuper ab alio, & ſic deinceps : Si ſucceſſio fuerat rerum ejuſdem ſpeciei, natura humana, aut quævis alia alîus ſpeciei, ſiquidem ex ſe non exiſtat, utpote quæ exiſtentiæ neceſſitatem non exigat, non poteſt æterna ſecula perdurare, niſi ab alio quopiam ab æterno effecta fuiſſet, quod enim ex ſe non eſt, impoſſibile eſt ut quamvis exiſtentiam conſequatur niſi quam ab aliquo alio acceperit, nedum æternam; aliàs quod ex ſe non eſt, æternùm ex ſe foret; quo quid pote repugnantius? Sin vero ſucceſſio fuerat rerum diverſæ ſpeciei, adeo ut cauſa ſemper ſit effectu expletior, tum niſi ſuprema demum reperiatur omnigenâ perfectione cumulata, & ex ſe exiſtens, quæque item reliquis eſſentiam impendat, nunquam extitiſſe potuiſſent, eo quod ſibi ipſis principium eſſe non poſſint, ſed porro ſuperiori ortum debeant, quæ ſuperiora in infinitum uſq; aſcendentia, ſi omnia ex ſe nihil ſint, nunquam (uti ſupra) aliquid fuiſſent; propterea cum quædam extare videamus, cogimur demum naturam aliquam attingere, quæ non ex ſe non ſit, & proinde (quod idem valet) ex ſe ſit. Ex quibus ſequitur, ſive cauſarum & effectuum ſeries aliquando inchoata fuerit, ſive ab infinito ævo effluxerit, quendam Supremum exiſtere à ſeipſo, ſibiq; ipſi cumulatiſſimè ſufficientem, qui reliquorum, quotquot extiterunt, fons ſit & origo,

Hunc ſummum habeto Divum, hunc Perhibeto Jovem. *De nat.deor.l 2. Cic. ex Eurip.*

Hîc autem non abs re erit *Senecæ, Plotini, Lactantii*, aliorumq; lapſum obiter adnotare, qui quidem ita Deum à ſeipſo eſſe docuerunt ut pariter ſeſe poſitivè (ut aiunt) procreaviſſe ſtatuant: quod de *Senecâ*, & *Plotino* in confeſſo

 eſt,

est, & *Lactantii* verba (utcunq; emollire velint nonnulli) disertiora sunt, quàm ut ad sanam interpretationem perduci possint. *Quia fieri* (inquit) *non potest, quin id, quod sit, aliquando esse ceperit, consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex seipso sit procreatus.* Neque refragatur *schola Cartesiana*, quæ Deum à seipso esse *positivè* contendit, & inter axiomata per se nota, illud recenset ut quodlibet *sit à causâ, vel à se positivè, & tam, quàm à causâ: Velthusii* verba sunt de initiis prim. Phil. p. 47. Et similia passim *Cartes.* in meditat. metaph. ut autem innumeros locos preteream, quid aliud vult isto, cum dicit. *Hoc quod à se sit sive quòd nullam à se diversam habeat causam, non à nihilo, sed à reali ejus potentiæ immensitate esse percipimus, nobis omnino licet cogitare illum quodammodo idem præstare respectu sui ipsius, quod causa efficiens respectu sui effectûs, ac proinde esse à seipso positivè.* in *Respons. ad object. primas.* Quæ verba in *respons: ad object. quartas* objectionibus acerrimi viri coactus emollire satagit, & subtiliter pro acumine suo, sanâ se interpretatione (quamvis nihil tale antea cogitavisse facile credo) liberavit, sc. cum dixerat Deum esse à seipso positivè, voluisse id, propter quod Deus causâ non indiguit, esse quid positivum, scil. potentiæ, sive essentiæ immensitatem, quam causæ efficientis quodammodo vices præstitisse dixerat, quia propter eam extitit, existentiam aliunde non accipiens. Atqui sanè *si Deus ipse se fecit* (*Senecæ* vocem agnosce) An non effectus sui ipsius ipse foret, atque à seipo alienus, siquidem ab effectu causa diversa est? Sequeretur pariter eundem sibi prævium esse, aut simul esse & non esse; etenim quod facit, actu est, priusquam efficiat, at vero quicquid fit, non antea actu est, quàm fiat; perinde igitur impossibile est, ut quidquam à seipso producatur, ac fit, ut eodem momento, quo existat, non existeret. Quamobrem

De fals. relig. l. 1. c. 7.

obrem aptiora vocabula viderentur, si Deus nuncupetur ἀγέννητος aut ἀποίητος, aut ἄναρχος quam (uti ab *Orpheo*) πρωτόγονος, aut ἀυτοφυὴς (ut ab *Apollinis* oraculo) Aut Αὐτογενὴς, (ut à *Sybillâ*) aut, (ut ab aliis) ἀυτούπιος, aut (ut à *Nonno*) ἀυτόφυτος, aut deniq; (ut *Jamblico*) ἀυτοπάτωρ. Nam tametsi vulgò abutamur istis vocibus ad sanam significationem, tamen propriè subinnuunt Deum sibi causam fuisse, non secus ac qui ἀυτοδίδακτος dicitur, sese erudivisse sibiq; magistri vices præstitisse. Deus autem non magis à seipso procreatur, quam à quovis alio. Neque (ut *Just. Martyr.*) ἀυτοπάραγκτος ex *seipso productus*, sicut neq; ἑτεροπάραγκτος ab *alio productus*; sed semper tam productionis expers, quàm initii extitit: ut alibi prædictus pater ἀυτὸς γὰρ ὅτι μόνος ἀεὶ ὤν, γένεσιν δὲ μὴ ἔχων, *solus Deus semper est sed generationem non habens*: Hæc obiter, ad institutum igitur redeamus oportet.

Paraphras. in Johan.

In confut. Græc. respons.

In Paranet.

Quamvis plerumq; in superiori disputatione *Scholastici*, aliique omnes subsistant, quasi luculenter satis adversus *Atheos* conclusum esset: tamen huc usq; nos inter & illos convenit: utrinque enim æternum aliquid & improductum agnoscitur, hinc supremum nec non Venerandum Numen; Illinc primam omnium materiam, sive sit ista atomorum congeries, sive quævis alia mundi principia: propterea tantùm disceptatur, an quod improductum esse in confesso est, ejusmodi sit, ut cultu id & adoratione prosequi oporteat, necne. Si enim consilii sit rationisque exors (quod volunt Athei) frustra & perabsurdi essemus, id si veneraremur; sin ratione polleat, agnoscunt omnes veneratione excipi oportere, si igitur rationem & sapientiam eidem vindicavero (quod posterius argumenti membrum est.) Id totum adstruam quod totis viribus inficiantur Athei. Cæterum hoc enitar probando mundum, Architecto, qui rationis, providentiæ, consilii compos sit, extructum esse, quod si efficiam, omnium, etiam Atheorum

orum (qui omnes nervos intendunt, ut Mundi Opificem tollant) ſuffragiis Numen eſſe conſtabit, quod cultu & religione adorare par ſit, Univerſi nimirum Dominum & Parentem: Quinimo tametſi fingatur Mundi Conditorem non omnium ſupremum exiſtere, ſed ſuperiori cuidam ſubeſſe, tamen ad ſupremum tandem omnium, quantumcunq; procedamus, tum ingenitum, tum ſapientiæ refertiſſimum aſſurgendum eſt. Propterea evicto mundum eum, quo conſtat, ordinem non temerè adeptum eſſe, ſed præpotente, ſolertiſſimoq; Artifice extructum fuiſſe; omnia Atheiſmi fundamenta funditus diruemus; ad quod igitur jam proximè pergendum.

Solerter pridem obſervatum eſt, Deum nunquam miracula edidiſſe, ut Atheorum impietatem redargueret, nimirum ſagaciſſimam naturæ Inſtitutionem nihilo obſcuriora Naturæ Divinæ ſpecimina prodere, quàm quæ naturæ vires ſuperant portenta & prodigia. Quicquid nempe in mundo aſpicimus, Prodigium eſt: Quid enim majorem tum potentiam, tum ſolertiam deſiderat, quàm mundi fabricam adeo immenſam, venuſtam, tantâq; varietate mirabilem efficere? Adeo ut ſi quiſpiam extiterit, qui ſibi perſuadeat mundi οἰκονομίαν non conſilio, ſed temeritati referri poſſe, haud ſcio an quidquam tam procul ab omni veriſimilitudine amoveri poſſet, quod illi abſurdum & reſpuendum videretur. Ut attendenti per-quā manifeſtum eſt.

Mundi enim ordinem, Naturæq; leges præſcripſit cauſa, aut ſapiens & rationis compos, aut extiterunt nullâ ratione & Providentiâ inſtitutæ: ſi prima, talis eſt illa Deus qualem eſſe contendimus: Secundum quis admittet, Qui quanta hujus ſit Machinæ amplitudo, diſpoſitio, ordo, utilitas, motum, varietas, conſpiratio, pulchritudo ſeriò contempletur. Potuitne ſublatâ Providentiâ tam mirabilis ſtructura conſtare? Potuitne bruta & rationis expers materia per ſe, & citra aliam quamcunq; cauſam tali ordine diſponi, qui luculen-

lentissimè, quicquid providentiam fateatur, prodit. Id si fiat, quidni etiam *Palatia* & *Capitolini Templa* sine Artifice extitere? Dicis sine Providentiâ Naturam extitisse: sed fingas Providentiâ fuisse extructum; an non præclarissimam & stupendam *Conditoris* sapientiam argueret? Quid autem iniquius, obtusius, quam ut, quod summam præ se fert Providentiam, aliò, quàm ad Providentiam referatur? Cæterùm Rationem & Providentiam agnoscendam esse, ubi totidem & tam clara illius prostant vestigia, postulatum tam æquum & perspicuum videtur; ut id sine ulteriori probatione tanquam fundamentum istis, quæ sequentur, substruemus: Præsertim quod ex Naturæ Phænomenis infra recensendis istius postulati æquitas abundè adstruetur. Propterea solùm superest probandum rerum Naturam tam præclara Providentiæ specimina exhibere; quod quoque adeo perspicuum est, ut penè verendum sit, ne opus nimiæ & superfluæ industriæ videatur; quippe ita comparata est Natura, ut divinâ quâdam ratione se institutam fuisse apertè non modò clamare, sed & quodammodo perorare videatur. Omnia enim Naturæ phænomena ita mirificè ad suos quæque fines destinantur, ut non nisi solertissimâ ratione institui potuissent: ejusmodiq; præterea sunt, ut eam structuram, quâ constant, adipisci non possent, nisi ab immensâ, longèq; incredibili casuum complexione: Atqui vero quàm deploratæ foret vesaniæ, opus, cujus amplitudo, & subtilitas innumeris intervallis omnia rationis & artis opera superent, non ad rationem sed casuum pene innumerabilium, & eventu longè difficilium temeritatem referre. Quæ res ut luculentius elucesceret, par esse videbatur tripartitâ disputatione uti. Primò in genere demonstrare mundum non temerè sed summâ potentiâ & consilio extitisse; deinde citra rationem & consilium non potuisse compingi eo modo, quem hariolatur *Epicurea* Hypothesis; neque postremò eo, quem *Cartisiana*. Cæterum istarum disquisitionum secundâ paulò fusius fortè diductâ, per-

spexi

ſpexi ſtatim reliquis abundè adeo ſatisfactum eſſe, ut ſupervacaneum ſeorſim deducere videretur, Quippe haud potui *Epicuri* hypotheſin ritè & penitus convellere, niſi quoq; afferrem quæ rem in theſi, ſeu genere labefactarent; ſupervacuæ perinde & otioſæ induſtriæ eſſet eandem rem in genere diſtinctè conſiderare: Ac quoniam pleraq; quæ adverſus *Epicuream* dici poſſunt, ſponte quaſlibet alias ſpeciales Hypotheſes, ſi ad eas referre lubeat, perinde ac eam ſubvertant, nolui ſpeciatim *Carteſianam*, aut quamvis aliam ſugillare. Nempe tametſi excogitaretur hypotheſis, ad cujus normam mundus minori caſuum complexione, quàm inferat *Epicurea*, conflari potuit, tamen nihilomelius rem ſolveret; quo enim pauciores caſus latam hypotheſin ſequerentur, eò plures antecedere neceſſe foret, quippe ejuſmodi hypotheſis ſupponeret res in tali ſtatu poſitas, in quo ut ponantur neceſſario requiritur aut cauſa rationis particeps, aut nihilo facilior caſuum complexio, quàm ad ſomnium *Epicureum* poſtulatur: adeo ur etiamſi minùs perplexa foret *Carteſiana*, aut quævis alia *hypotheſis*, tamen ſecluſis ratione & conſilio, quæ illam inſtituerant, perinde portentoſa foret, ac quæ maximè. Verum tantum abeſt ut *Carteſiana* ſpeciatim ſit quâcunque aliâ veriſimilior, ut fundamentis innitatur, quæ manifeſtæ experientiæ, juxta & rationi repugnant; quo pacto ita ipſa hypotheſis labefactatur, ut non modo exinde liqueat non poſſe caſu conflari, ſed ne quidem eo modo ſapientiâ architectrice conflatam fuiſſe: Quippe niſi daretur abſoluta mundi plenitudo, tota *Carteſii* ſtructura (ut qui eam intelligunt, non poſſunt niſi promptiſſimè agnoſcere) funditùs concidet; at vero vix quidquam clarius & ſolidius convellit & abrogat Philoſophia, quam ejuſmodi plenitudinem, ut facilè, ſi id jam opportunè fieri liceret, evinci poſſet: Et ſanè quàm impar ſit ſolvendis omnibus Naturæ Phænomenis ſpecimen perbreve, ſolidum tamen, ingenuè exhibuit *H. Morus* in Epiſtolâ ad *V.Cl.* quæ apologiam complectitur pro *Carteſio*, &c.

Quod

Quod itaque ad *Epicuream* Hypothesin attinet, eam generalius describit *Lucretius.*

Sed quibus ille modis conjectus materiai Lib. 5.
Fundarit Cœlum, ac terram, Pontique profunda,
Solis, Lunai cursus ex ordine ponam;
Nam certè, neq; conciliis primordia rerum,
Ordine se quaq; atq; sagaci mente locarunt,
Nec quos quaq; darent motus pepigere profecto:
Sed quia multa modis multis primordia rerum
Ex infinito jam tempore percita plagis,
Ponderibusq; suis, consuerunt concita ferri,
Omnimodisq; coire, atq; omnia pertentare,
Quæcunq; inter se possent congressa creare;
Propterea fit, ut magnum volgata per ævum
Omnigenos cœtus, & motus experiundo,
Tandem conveniant: ea quæ conjuncta repentè
Magnarum rerum fiant exordia sæpe
Terrai, maris, & cœli, generisq; animantum.

Posuit infinitam atomorum vim undiq; per vacui immensitatem diffusarum, quibus ingenito pondere deorsum propulsis, duplicem motum tribuit: alterum κατὰ σταθμὸν *perpendicularem* seu *ad lineam,* alterum κατὰ παρέγκλισιν *obliquum* seu *declinationis* (ut duplicem alium motum omittam, quorum alterum κατὰ πληγὴν seu *impulsionem,* κατὰ παλμὸν alterum, seu *concussionem* appellitat, quos prætereo, quoniam à prædictis motibus oriuntur, qui igitur si tollantur, pereant alii necesse est.) *Perpendiculari* corpuscula desuper, sive è regione vertici nostro imminente decidentia deorsum abscedebant, quo quoniam motu licèt in infinitum abeuntia nunquam coirent, idcirco *declinationis* alterum commentus est, quo particulæ deflectentes aliæ in alias deciderent. Id quod olim cecinit *Lucret.*

Quod nisi declinare solerent, omnia deorsum,
Imbris uti guttæ, caderent per inane profundum;
Nec foret offensus natus, neq; plaga creata
Principiis, ita nil unquam Natura creasset.

Has deinceps ineffabili & pari Pernicitate cafitantes, Cæcâ nescio quâ Fortunâ occursare, ac multis ictibus modò retrò resilire, modo obliquè deflecti, & innumeris repercussionibus hinc inde agitari, variisq; demum luctis ad invicem commissas mutuis complexibus irretiri, donec usq; tandem in unam quandam massam, qualis est mundi machina, coaluissent. Hæc uberiùs edisseruit longè Venerandus iste Philosophiæ Antistes Magnus *Gassendus* Philosophorum, quotquot suo dicam an potiùs omnibus seculis floruere, facilè Princeps, cujus Ingenio & Candori desunt elogia, cujusq; nomen præterire nullis encomiis ornatum pene mihi religio est. Hunc, inquam, si lubeat consulas. *Phys. Sect.* 1. *Lib.* 3.

Ut integrum hunc processum, singulasq; illius partes strictim examinem.

1. Imprimis non possum *Epicuro* non objicere Atomorum infinitudinem, seu (ut *Lucretius*) *numerum innumerum*, unde nimirum sequitur nullum omninò inane extitisse; quo dato ruat necesse est tota *Epicuri* Philosophia, quæ Vacuola affert ad solvenda pleraq; Naturæ Phænomena : sequi tamen manifestum est, quoniam infinita corpora proportionem habent ad infinitos locos, ideoque vel infinita loca seu spatia adæquatè opplentur infinitis corporibus, quo interciperetur omnis motus naturæque actio, *Epicurus* enim nullum nisi, per vacuum, motum admittit : aut aliqua loca corporum vacua sunt, & sic quædam reperientur loca extra infinita, plures enim numerarentur loci partes quàm Atomi, ac Atomi tamen infinitæ; sed istis insistere non libet.

2. Totidem

2. Totidem multiplicari oportet casus, quot sunt Atomi, iis enim ad invicem nullum intercessit commercium, nullave dependentia, cum altera alterius causa non erat, sed quælibet ab aliis independens sibi ipsa principium existebat; & proinde pro immenso atomorum numero casus adaugeri necesse erat; siquidem cuiq; fortuitum erat, quòd cœteræ existebant, potuit nimirum subductis reliquis extitisse, non secus atq; cum fuerint; vicissimq; reliquarum omnium quæq; existentiam sortita est independenter ab aliis. Quo pacto quot numerantur atomi tot fortuitos casus seu potius fortuitas necessitates (quippe atomorum existentiam necessariam esse volunt) recensere par est.

3. Quod ad gravitatem seu pondus ingenitum, quod atomis *Epicurus* tribuit; agnosco eum *Democrito* plus sapuisse, qui (referente *Stobæo*) censuit πρῶτα σώματα βάρος μὲν οὐκ ἔχειν, κινεῖσθαι δὲ κατ' ἀλληλοτυπίαν ἐν τῷ ἀπείρῳ. *Gravitate carere, moveri autem in infinito mutuis pulsibus*. Verum unde sibi mutuò impingere potuissent, nisi prius moverentur? Quî potuit mutuus impulsus motum ciere, quandoquidem ex motu impulsum sequi statuat *Democritus*? Idcirco necessariò fatendum est motûs, qui ante impulsum cietur, aut internam energiam, quam *Epicurus* atomis inesse voluit, causam esse, aut esse motricem vim ad externo inditam, *Democrito* proinde externum impulsorem non agnoscente, ad vim internam necessariò confugiendum erat. Sed utcunq; *Democrito* nonnihil perspicacior *Epicurus*, tamen non parum hallucinatus est: Imprimis quòd gravitatem vim internam esse autumaverit: Nam extrinsecus impressam esse liquet ex disparitate motûs, qui à gravitate nascitur, Decidua enim triplici proportione accelerantur, (ut si lapis primo momento unam orgyam percurrat, secundo tres percurret, tertio quinq;, quarto septem, & sic deinceps) & motus proinde gravium inæquabilis cum sit, naturalis esse, sive à vi insitâ cieri nequit, nam vis interna semper eadem est (saltem in immensum

Eclog. Phys. l. 1. c. 17.

 augeri

augeri non poteſt) & proinde pari valore agit, ſiquidem ſuas vires non cohibere aut fortiùs exerere poteſt pro arbitrio, cùm non ex electione, ſed ex naturali neceſſitate operetur, quamobrem ſcitè recentiores nonnulli unicum motùs naturalis κριτήριον *æquabilitatem* eſſe definiverunt, foris vero impreſſi ſeu violenti *æquabilitatem* : unde efficitur motum deorſum à principio interno non provenire ; eo quòd innata principia utpote ſemper eadem, eodem modo & vigore operantur, deciduorum autem deſcenſus impari vigore peragitur. Alio quoq; modo urgeri poſſunt à dictâ acceleratione motûs : cum ſcil. quoquam momento accedat celeritatis incrementum, cùm inſuper atomi ab æterno deciderunt, neceſſe eſt ut, quæ adhuc deſcendere pertendant, cùm per infinita momenta fuerunt motæ; infinitos celeritatis gradus adeptæ ſint : ſiquidem uno & altero accelerentur quolibet momento, quo fieret ut infinitum ſpatium quolibet momento percurrant ; nempe infinities celeriori pernicitate præcipitantes quàm primo momento (quod docendi ergo comminiſci fas eſt) non poſſunt non percurrere eâdem temporis menſurâ infinities majus ſpatium : atqui ſi quovis momento pertranſeant immenſitatem, ubi quæſò motui locus ſubſequente momento pateret ? ſed hujuſmodi argutiis inſiſtere nolo. Detur autem gravitatem eſſe vim corpuſculis ingenitam, eâq; aliquò propulſentur atomi ; ſed age unde, amabò, huc priuſquam illuc propendeat gravitatis indoles ? An quoniam ab alterâ parte ſuperum jacet, ab alterâ inferum ? quî verò in immenſitate ſupra & infra, ſurſum, & deorſum aſſignari poſſunt ? an non pariter circumcirca omnes pateſcant plagæ ? Cur igitur in hanc potiuſquam in illam partem corruebant atomorum imbres ? an non quævis atomus in occaſum ruens, libera erat in oppoſitam regionem avolare, cum perinde inferior ſit, ac illa in quam tendebat ? Adhæc vel pari omnes velocitate deferebantur, vel impari ; ſi æquali (ut vult *Epicurus*, qui perperam ſtatuit *Æquè ponderibus non æquis concita ferri,*

Si

Si enim ingenita gravitas unicum ſit motûs principium, quotuſquiſq; hominum, cui mens ſana, non videt neceſſariò ex diſparibus gravitatis gradibus diſparem pronaſci motum) nunquam coaluiſſent, quæ enim æquè moventur, ſemper eandem ad invicem tuentur diſtantiam, ideoq; quæ non ab initio cohærebant, nunquam cohærere poſſent: ſin inæquali, unde erat ut hæc rapidiùs, illa tardiùs deſcenderet? Hinc rurſus totidem redirent caſus, quot deciderent atomi, etenim fortuitum foret alias perniciter abripi, alias tardiuſculè delabi. Sed finge corpuſculis innatum pondus ea omnia in eandem plagam deorſumve protrudere: An non totus quoq; mundus jugiter deorſum rueret? Nempe omnes atomi, è quibus coaluit, uno impetu deorſum contendunt, nihil verò eſt, quod decidentibus obſtet, neque poſſunt ſibi invicem obſtare, omnes enim communi pondere impulſæ deorſum nituntur, ex quo ſi una fortè in alteram illideret, illam utpote ſponte naturæ cedentem vehementiùs præcipitaret, ipſa neutiquam reſiliens, cùm utraq; ſpontaneo niſu delabatur: Quin & tametſi reflecti potuit, nihilominus naturalis gravitatis adniſu à repercuſſionis vi redempta rurſus deorſum protruderetur

Duriſſima cum ſit
Ponderibus ſolidis, neq; quicquam à tergis obſtet. Lucret. l. 2.

Alterum porro motûs genus, obliqui ſcil. ſeu declinationis rejicere oportet, quoniam nulla ejus cauſa aſſignari poteſt. Hinc paſſim *Cicero* ſalsè & acriter *Epicurum* ſugillavit. *Quam declinationem* (inquit) *ſine causâ fieri, ſi minus verbis, re cogitur* (Epicurus) *confiteri. Non enim atomus ab atomo pulſa declinat. Nam qui poteſt pelli alia ab aliâ, ſi gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis ut* Epicuro *placet? Sequitur enim, ut ſi alia ab aliâ nunquam depellatur, ne contingat quidem alia aliam. Ex quo efficitur ut jam ſit atomus, eaq; declinet, declinare ſine causâ.* Et De Fato.

ſæpe

ſæpe alibi : ut *Lib.* 1. *de Finibus* concludit. *Nec tamen id cujus causâ hæc finxerat aſſecutus eſt. Nam ſive omnes atomi declinabunt, nullæ unquam cohæreſcent; ſive aliæ ſuo nutu rectè ferentur : erit hoc quaſi provincias atomis dare, quæ obliquè ferentur.* At excipit *Cl. Gaſſendus* objici idem nemini non poſſe, non modò *Epicuro* ſed *Peripateticis* quoq; & *Stoicis*, aliiſq;, quòd provincias principiis ſuis dent, nam in rebus compoſitis reddere rationem diverſarum affectionum, ex aſſumptis principiis aliquatenus poſſumus, at de ipſis principiis dicere nihil aliud licet, niſi quòd hæc iſto, illa illo modo ſe habeant ex ſuæ naturæ neceſſitate, ut nemo dicere valeat quorſum aſtra omnia non ferantur motu Æquatori parallelo, quorſum item omnes Planetæ per Eclypticam non incedant, *&c.*

Phyſ. ſect. 1. *l.* 3. *c.* 7.

Cæterum Viro eximio reſpondere in promptu eſt quòd, ſi de rebus loquatur, ut, ſubmoto ſupremo omnium Moderatore, ſeſe haberent, facile agnoſcerem hanc objectionem perinde omnium hypotheſes impetere, cùm neceſſe eſſet, ut principiis ſuis pro libidine & abſq; causâ aliis alias diſpertirentur provincias. Sin de rebus, prout ſupremâ mente comparantur; quid abſurditatis ſequeretur? An non par eſt ut imprimat particulis ſuas provincias is ipſe, qui eas ad certos quoſdam fines creavit? An non potuit Deus quamlibet atomum, quò libuit, propellere? Neq; id intendit *Cicero*, quaſi abſurdum æſtimaret atomis provincias dari, ſed quia Philoſophiâ omni alienum reputavit, id temerè fieri, & ſine causâ, quæ illis eas dederit. Quid enim ſibilis dignius, quam qui rerum cauſas inveſtigare præ ſe ferat, quidvis prout ſuis conjecturis faveat citra cauſam comminiſci? hoc enim quid aliud eſt, quàm cauſas ſine cauſis aſſignare? Age quid quæſo ſi fingamus atomos decies millenos deorſum abeuntes, an non ineptum eſt, quinq; millibus declinationem affingere, reliquis abnegare? quid enim quæve cauſa illas inclinare fecit, quod non & reliquas inflecteret? An Philoſopum decet, modò ſarta

tecta

recta sit commentitia sua hypothesis, quidvis pro arbitrio fingere, & rebus diversos motus tribuere, cum nulla omnino sit ratio, quin eodem tenore ad unum omnes moveantur? Imo cum omnis exigat ratio, ut sit similis omnium motus; quandoquidem ea fuerit omnium atomorum natura, talesq; propensiones, quæ eundem motûs tenorem progignant; gravitas nimirum ex ipsius *Epicuri* placitis, quibus hâc in re suffragatur experientia perpetuo ciet motum exquisitè perpendicularem. Quidni insuper nobis liceat, quod *Epicuro* abnuimus, rerum principiis provincias assignare, quas utique illis præscripsit sagacissimus eorum Auctor: neq; quidquam precarium comminiscendi arguamur, quoniam bene novimus partium mundi, ex earum concinnitate, quamq; solerte quodam architecto attemperatam fuisse: ideoq; quas cuique provincias indidit, agnoscere minimè commentitium erit, sed ipsius rei veritati consonum. Quanquam lubens fatear Philosopho alienum esse omnia quæsita semper in summi Numinis arbitrium refundere, sc. cum de aliis naturæ causis perquiritur, quod esset (ut aiunt) cum de cepis interrogamur, de alliis respondere. Id tamen aliquando non modo licere, sed & necessarium esse negari non potest: quippe Philosophiæ opus est naturæ causas omnes tam internas quam externas eruere: Veluti si quis interroganti quomodo aut quibus organis nos calore ignis afficiat, responderet, quia ita fieri instituit Deus, prorsus frustra foret, inquiritur enim de causis (ut aiunt) materiali & formali, quas instituit Deus, ut calorem efficiant: seu quid sit in igne, quod calefaciat, & quomodo: reperto autem calefaciendi modo, si is unde sit inquiratur, quousq; procedatur, aut ad Dei institutionem referre oportet, aut ad fortunæ temeritatem, absurdum autem posterius, ergo verum prius; incongruum igitur esse concludimus opportunas rerum principiis provincias temerè evenire, id ipsum quod *Epicuro* objectat *Orator*, minimè verò ut provincias accipiant à tali causâ, quæ illis leges præscribere valeat. Hactenus pro virili Oratorem adversus Philosopum

losophum propugnavimus. Sed ad institutum redeundum est. Cæterum motus, quos suis *Epicurus* atomis tribuit ulterius insequi haud operæ pretium est, quoniam hypothesis, ad quam eos accommodavit, falsa esse omnibus agnoscatur: Etenim reputans *Epicurus* planam esse mundi figuram infinitè productam, talem commentus est motum, quali particulæ propulsæ aptæ forent corpus istiusmodi nempe planæ figuræ constituere, hinc inquam fit, quod asseruerit atomos motu parallelo ab immensitatis regione supernâ adventantes deorsum proripi, quoniam igitur manifestæ falsitatis revincitur de planâ mundi superficie delirium, nemo est, sicut neq; ipse *Epicurus*, si hodiè viveret, qui istiusmodi motum atomis tribueret, sed alium magis idoneum ad corpus orbiculare (cujusmodi mundum esse indubium est) compingendum excogitaret. Quocirca si priorem *Epicuri* hypothesin nimiâ industriâ subruere conarer, viderer (quod aiunt) hircum mulgere. Verùm potius aliquis alius fingendus est motus, quo promptius corpuscula in figuram rotundam coirent; Veluti si fingamus (quo nihil appositius comminisci possem) atomos ex omnibus circumcirca plagis exiliisse, v. c. alias infernè seu è locis nostris pedibus subjectis emersisse, alias vicissim supernè delapsas esse, ab austro alias, alias à septentrione, has ab Oriente, ab Occidente illas, & à quâquam deniq; regione quasdam, & tandem omnes ad invicem oppositas oppositis occurrisse. Posito tali figmento, par restat difficultas: nam ne quidquam ex prædictis rursus urgeam, sciscitari solum vacat compendii gratiâ, Quænam causa atomos à plagis circumjacentibus ad unum punctum potiusquam quemvis alium locum impelleret? spatium ipsum, an atomi natura? (nihil enim tertium, secluso Deo, reperire est.) Non spatium, quod utiq; nihil est, verum nihili vis nulla, nulla actio; & tametsi potuit, quare potiùs hoc ἀπείρου punctulum attraheret, quàm quodvis aliud? unde adeo validam vim præ aliis adeptum est, ut ad se à reliquis omnibus arripiat? Quæ illius puncti communicatio cum particulis

lis immensum ab eo submotis? Quibus nunciis ad se vocat, quove consilio conventum est illuc confluere? Si deinceps dicas atomos suâ naturâ illuc ferri, perinde est, ac si diceres illuc vergere, quia illuc vergunt; etenim hoc ipsum est quod requirimus, undenam atomorum natura illuc feratur? Quorsum enim atomos credamus esse non posse, nisi porrò jugiter moveantur? At vero si atomi esse possunt citra motationem, non à naturæ necessitate motitari consequetur. Quinetiam quamvis ex ipsâ atomorum naturâ pullularet motus, undenam fieret, ut definiatur ad statum hoc punctum? Cur non ad quodvis aliud; infinita nimirum alia æquè patebant, in quæ pariter abire atomis liberum erat; Deinde natura unam paucasve atomos versus eundem locum protrudere posset, quî vero hujusmodi propensitas totidem contigit, quot integram mundi molem composuere: præsertim cum atomos è variis immensitatis cardinibus emergere statuitur: si enim ob naturæ necessitatem aliquot ab Ortu adventantes in Occasum abibant, quamobrem non omnes, & è contra cur non in Ortum omnes? undenam unius sit natura in hanc plagam abire, alterius in oppositam? Quorsum denique uterq; atomorum exercitus in oppositam sibi regionem non tenderet, viz: quæ ab Occidentali plagâ in Orientalem unde non ulterius in Occidentalem proriperentur? & quæ ab Orientali, quî contigit, ut non profundiùs in Orientalem demergerentur? Propterea cum atomus ἁπλῶς, & quatenus atomus non certâ quâdam motatione rapitur (sic enim singulæ in eandem partem confluerent) Aliud quiddam desiderandum est, quod atomorum motum seu ὁμόρησιν (fruor *Epicureâ* voce) definiat, quod has ab Ortu in Occasum propellat, vicissem & illas ab Occasu in Ortum. Fingamus denique totidem sparsos undique fuisse homines per immensitatem Oculis captos, quot fingitur fuisse atomos, quisquamne reperitur, qui credat eorum decies, sexcenties millies millenos fortè non communicatis conciliis, nulloq; præfixo carcere ad unum punctum

tanquam conjuratione factâ pertendisse. Aut si eosdem jaculari fingamus, an non insani sit credere quòd eundem scopum, quem ubi esset non novissent, omnes aptissimè ferirent? Et tamen multò difficilior est atomorum confluxus. Quid porro subjicerem quàm precario assumat *Epicurus* diversas atomorum magnitudines; alias enim subtiliores esse voluit, crassiores alias?

Lucret. *Semina cum porrò distent, differre necesse est,*
Esse minora igitur quædam, majoraq; debent.

Age vero unde tanta magnitudinum varietas? unde subtiliores hæ, crassiores istæ? num necesse erat ut tantus majorum numerus extaret, & tantus minorum? Næ hic sane innumerabilium casuum complexionem redire necesse est.

Denique (ut innumera alia prætercam) unde tanta in atomis figurarum varietas; Docuit enim *Epicurus* dissimillimè esse inter se figuratas; adeo ut immensam formarum varietatem mens humana assequi non valeat, nempe planæ sunt, rotundæ, gibbæ, angulatæ, hamatæ, aduncæ, cubicæ, hispidæ, læves, Cylindricæ, pentahedricæ, hexahedricæ, heptahedricæ, conicæ, aliæq; deinceps id genus propemodum infinitæ; imo non desunt, qui *Epicurum* carpunt, quasi particulas docuisset sub infinitis figuris reperiri. Verùm posuisse eum quadantenus solum infinitas testatur non modò *Laertius*, cum narrat *Epicurum* infinitas esse dixisse, non quia re seu ἐνεργείᾳ infinitæ essent figuræ, sed eò duntaxat, quòd adeo forent multigenæ, ut ægrè percipi possent; sed etiam *Plutarch. lib. de plac. Phil.* εἶναι δὲ τὰ σχήματα τῶν ἀτόμων ἀπερίληπτα, οὐκ ἄπειρα· *figuras atomorum non posse percipi, haud vero esse infinitas.* Sed utcunq; fit, Dicsis amabò *Epicure*, an Geometriam etiam calleat fortuna, quæ tam Diversimode atomorum figuras dolaverit: Quid obstitit, quo minus omnibus corpusculis, eandem figuram inussisset? quod si contigisset, nihil nisi massa quædam iners & inutilis ex illis compingi potuit:

v. g.

v. g. si omnes sortitæ fuissent istiusmodi figuras, cujusmodi aquæ naturam constituunt, illarum confluxu fieret duntaxat ingens & immensa aquarum vorago: si porrò angulatæ omnes, uncinatæve efformatæ fuissent, in molem coiverant aridam, nullâq; humiditate fœtam; aut deniq; si quâvis statâ alteriusmodi figurâ imbutæ fuissent, aggeriem composuissent omni ex parte homogeneam, ac ideo inutilem. Quinimo quamvis omnibus aliis figuris donatæ fuissent, interim tamen unicâ duntaxat è cæteris caruissent, manca & inutilis extitisset rerum natura, viz: si fortè ex innumeris discrepantibus figurarum myriadibus, defuissent atomi fluxæ, labiles lubricæ, (è quibus aquam constitutam esse censent *Epicurei*) æternâ sterilitate inutilis & deformis fuisset tota, quæ ex iis compingeretur, rerum massa; Aut si sub tali figurâ, qualis ad Solis compositionem requiritur, non extitissent, æternis tenebris squalida jacuisset rerum universitas. Quin porrò etiam si fortè multo plures atomos aqueâ figurâ signatas fuisse contigerat, totam telluris molem obruissent; aut insuper si pauciores fuissent particulæ terrestres, & totidem aqueæ, quot jam sunt, aut plures, perpetuum pariter contigisset diluvium.

Postquam superiora omnia arripuerunt, fidenter statim & intrepidè præsumunt mundi ordinem, harmoniam, elegantiam, stabilitatem, motuumq; vicissitudines vagis atomorum erroribus non modò minimè difficulter concinnari, sed quodammodo necessario; quasi viz non potuit aliorsum, atque cecidit, evenire. Quàm rotundè asserunt corpuscula undequaq; perinane vagantia tandem in elegantem hanc, quam videmus, mundi machinam coire. Sic *Epicurus* in epist. ad *Herodotum*, *Cum mundus procreatus est, eos factos fuisse circumplexus convolventium se atomorum, ut creatis exinde corporibus cœlestibus nata sit in ipsis hæc necessitas, ut & sic moveantur, & tales circuitus obtineant.* Neq; secus Velleius Ciceronianus, *In hâc igitur immensitate latitudinum, longitudinum, altitudinum infinita*

vis innumerabilium volitat atomorum, quæ interjecto inani cohærescunt tamen inter se, & aliæ alias apprehendentes continuantur; ex quo efficiuntur hæ rerum formæ atque figuræ, quas vos effici posse sine follibus ac incudibus non putatis. Quasi nihil ad mundi structuram ulteriùs desideraretur, quàm ut concurrant atomorum agmina. In unum pariter lapides, ligna, clavos, calcem, aliaq; rudera temerè congerant, quid dubitent, quin ita singula suis locis reponerentur, ut tandem magnificum quoddam ex iis construatur Palatium? E Rotulis, Malleo, Nolâ, aliisque id genus machinulis ad invicem commissis, aliisq; alias apprehendentibus efficiantur horologia aliaq; automata, quæ vos *Epicurei*, effici posse sine follibus ac incudibus non putatis; Cadaveris membra discerpta ad invicem apponantur, fiet exinde ejusmodi machina, quæ omnes viventium functiones obtineat. Quodvis factu facile erit, si id dicere sufficiat.

Cæcâ & temerariâ atomorum vertigine confusam quandam aggeriem conflari potuisse demus, nequaquam verò apprimè adeo admirandam naturæ concinnitatem; cumuli, non structuræ ex ruderibus temerè Congestis oriuntur. Sic si mundus nihil aliud foret, quàm rudis & indigesta quædam corporum congeries, omnis symmetriæ, elegantiæ, ordinis, usûsq; expers, quin temerè, & citra concilium tam rudis moles conflaretur, haud vehementer adeò contenderem: Atq; hæreret solùm scrupulus, qui primò *Epicurum* vexavisse fertur; sc. ἐκ τίνος τὸ χάος ἐγένετο. Veluti si lapides, ligna, cæmenta, columnas aliaq; rudera variè & perturbatè congesta aspicerem, ejusmodi struem artificis cujuspiam industriæ & solertiæ non referrem. At vero Domum concinnè compactam, ex temerario lapidum, trabium, clavorum (quæ si lubeat fingas movendi facultate donata esse) concursu exstructam fuisse vel quidem suspicari puderet: sed indubitanter architecti cujusdam opus esse crederem. Sic porrò confusam syllabarum, literarum, vocabulorum farraginem fortuitò com-

Sext.Empyr. l. 2.

commiſceri potuiſſe concederem : ſed verò cum elegantem librum perlegero, concinnari ex literis (tametſi mobiliſſimas eſſe fingamus) in debitum ſitum & ordinem ſponte volitantibus, effugit omnem ſuſpicionem. Si deniq; viderem auri argentique indomiti maſſas, æs rude, lapides ſcabros, ebur impolitum, lignum, gluten, gypſum inter ſe variè confundi: *Phidiæ* eſſe iſtud molimen neſcirem: At ſi hæc incudibus & malleis in membrorum ſimilitudinem formari, alia tornari, alia concinnâ varietate excavari aſpicerem: ſi auriculas, labra, oculos, brachia, pedes elaborata intuerer; ordinata dein, diſpoſita, anſulis, variiſq; ad invicem commiſſuris revincta, immenſamq; *Jovis Olympii* effigiem fabrefactam, *Phidiæ*, alteriuſve cujuſdam Artificis opus eſſe, niſi planè inſanire placuiſſet, indubiè crederem. Quibus omnibus, ejuſmodiq; innumeris aliis nihil omnino, quod reſponderi poteſt, ſuppetit, quàm alia eſſe Naturæ opera, alia Artis, diverſamq; eorum eſſe rationem; Quod tamen quam abſurdum ſit, poſtmodum, cum de eâ re egerimus, liquebit. Brevi interim, quoad ejus fieri poteſt, unum aut alterum Naturæ, ſeu potius ejus Authoris, ſolertiæ ſpecimen ſtrictim aperiam. Quippe ſi in mundum, eaq; quæ in eo oculis ſeſe noſtris ingerunt, paulò attentiorem intuitum convertamus, tanta ſeſe prodet ſubtilitas, tanta omnium inter ſe conſpiratio, ut mutuis ſibi ſint auxiliis, tam opportuna & uniformis varietas (quâ nihil factu difficilius) ut longè evidentiſſimum fiet magis ea, quam quævis artis opera à caſu & temeritate abhorrere, & plus ſolertiæ, quæ illa fabrefaciat, deſiderare.

Imprimis quid cum -- *ſuſpicimus magni cœleſtia mundi*
Templa ſuper, ſtelliſq; micantibus Æthera fixum.

Ubi ſolum perpendamus leges, quàm appoſitæ & ſalubres ſoli præſcribantur; & primo attendere oportet quantillum ſpatium ſit, quod ſol occupat, ſi comparetur ad immenſam omnium ſpatiorum diffuſionem; in tot ſcil. ſpatia paris cum ipſo

ipſo ſole extenſionis diſpertiri potuit immenſitas, quibus recenſendis ipſa Arithmetica minimè ſufficeret. Imo totus & prope immenſus terræ, cœliq; complexus quantillus eſt, ſi ad immenſitatis amplitudinem comparetur. Sol enim Terrave ſecundum *Ptolomai* hypotheſin cœli ſupremi reſpectu puncta jam habentur: & ſi placeat hypotheſis *Copernicana*, omnis omnium Planetarum complexio, quanta quanta ſit, in punctum, reſpectu vaſtæ ſyderum fixorum diffuſionis, evaneſcit. Jam verò ſi Sol reſpectu ſpatiorum, in quibus diſcurrant cæteri omnes Planetæ: ſi deinde omnium Planetarum conſtellatio reſpectu totius Cœli ſupremi expanſionis: ſi denique Cœli ſupremi expanſio reſpectu immenſitatis tam infra conceptum exigua & quaſi pro puncto habeantur; Quàm infinitis gradibus eâdem immenſitate Sol minor habendus eſt? Ex quibus aliquantum pateſcit quàm portentoſo caſu ſolis corpuſcula in eâ regione, quam nunc occupant, cohæſerunt: ſiquidem tot erant parium ſpatiorum myriades, in quibus coire poſſent. Ita demum cùm unicus duntaxat locus idoneus ſit, & infiniti alii minùs (noſtrûm reſpectu) commodi, in quos pariter atomi abire poſſent, num fas erit vel ſuſpicari atomos fortè fortunâ, deſertis cæteris, in hunc tametſi tam anguſtum, quoniam tamen unicè commodus videbatur, confluxiſſe? Fingas rurſus immenſitatis campos in ſexcentum mille portiones vaſtæ cœlorum convexitati (ſi tale quidquam revera ſit) æquales tanquam ſeptis diſpertiri; ſingulæ iſtarum portionum particulis è quibus ſolare corpus creatur, pariter patebant; atq; inde quàm enormis fuerit caſus eas in hanc, quam obtinent, regionem contendiſſe, potiuſquam aliam quamvis? Proportionem enim tenet unius ad ſexcenta millia, quo tamen numero licuit millies, millies, millies majorem aſſignare.

Cùm deinde Sol intra Cœli ſupremi clauſtra conſederat, unde tam opportunè in orbem, quem luſtrat, conceſſerit? Nempe ſi locum illo, quem tenet, propiùs aut longiùs amotum

tum occupaverat, ipse idem, qui omnium saluti & conservationi studere videtur, quemq; totidem egregiis & stupendis finibus inservire sentimus, non modò inutilis, sed maxime præ omnibus noxius evaderet; & qui jam Naturæ Parens audit, suam sobolem, aut ipse interficeret; aut abortivam, saltem teneram exponeret: ut scil. si Lunæ orbem lustraverat; Zodiacum, perinde ac Luna, spatio menstruo percurreret, atq; inde tempestatum vicissitudines, quæ annuæ jam sunt, menstruæ fuissent, unicusq; mensis hyemis æstatisq; vicissitudines complexus fuisset, quo eventu tolleretur omnis vegetatio; brumale enim frigus fruges, quæ per æstatem provenerant, priusquam maturuissent, enecaverat, subductis autem terræ frugibus, fame contabescat necesse est tota animantium familia. Præterea ex tam arctâ vicinitate sequeretur periculum conflagrationis terræ: vel saltem adeo largus & vehemens in terram effunderetur ardor, ut penitus eam adureret, & si minùs in cineres redegisset, saltem vehementi adeo calore affligeret, ut inutilis &habitationis incapax efficeretur, Sol deinceps si ad fixas usq; aut longè ulteriùs sese subduxerat, penitus langueret terra, sempiterno squalore horrida, utpote in quâ tum lumine tum calore Solis destitutâ, nihil aut proveniret aut pubesceret, nihilo enim splendidior fulgor, aut validior æstus à Sole ad nos appelleret quàm ab ipsis inerrantibus, vel si paulò vividiores radios Sol emitteret, tamen languidiores forent, quàm ut quidquam solatii terræ consulerent.

Ad hæc porrò tametsi tam appositum contingeret intervallum Solem inter & Terram interjectum esse; tamen suis sedibus immota hærere potuissent. Quâ quæso naturæ necessitate, aut Sol terræ circumgyretur aut terra Soli? quodnam principium circuitûs quà diurni, quà annuarii assignari possit? Præsertim si figuram molis circumductæ advertamus, ad quam alia casuum complexio accersenda est, nam sive Sol sive terrâ (utrum autem nostrâ non refert) per Zodiacum feratur; vel figuram ad volubilitatem comparatam habet, v. g.

ſphæricam, vel ad illam ineptam: ſi primam, Providentiæ erat formam ad motum tam utilem accommodatam induiſſe. Quòd autem ſi figuram aſciverat ad motum ineptam, cubicam puta, aut Pyramidalem, aut cylindricam, in eo,inquam, caſu,aut omnis motûs expers perſeveraſſet; aut ſi moveretur, illud multò magis conſilio referri oportet, nam motum cieri in corpore, quod ſecundum naturæ ſeu neceſſitatis leges ad motum non comparatur, vehementer ſanè arguit ſuperiorem eſſe cauſam, quæ illi vim motricem indidit, quod enim non ſponte,aut nō niſi operoſè movetur,& tamen ſummo cū fructu moveri videmus, quis ſanæ mentis ad fortunam,& non potius prudentiam, referret? Qualemcunq; igitur formam adepti ſunt planetæ (de cæteris enim quodammodo par ratio eſt ac de Sole & terrâ) eo quod conſtat illos moveri, Providentiæ indicium eſt; Nam ſi figuram facilè mobilem habent, Providentiæ eſt talem figuram corpori dare, quod tanto cum fructu moveri ſtatuitur; ſin talem, quæ à ſe circuire inepta foret, adhuc Providentæ ſpecimen eſt, cùm utique videamus moles tantas, quæ tametſi minus ad motum comparentur, moveri, ex quo tanta ſequatur utilitas.

Tametſi ſubinde Sol terrave fortunæ vi aliquò propulſetur, unde tamen in orbem contorqueri contigit? Quid alterum alteri circumvexit? Fortuituſne etiam hic motus, qui alio quovis ſit utilior? An non Sol perinde proclivis, ne dicam longè proclivior, ad quemvis alium motum, utpote ſimpliciorem, quàm ad circularem aut Ellypticum? Quare non potius in Diallelum motuve directò Sol moveretur; Quo pacto neq; ſubter terram demergeretur aut viciſſim emergeret, ſed continuo aut ſupra aut infra verſaretur: atq; ita alteri duntaxat hemiſphærio ſeſe indulgeret; cum interim pars oppoſita æterno ſqualori & tenebris damnaretur? Ne ſigillatim monſtrare pergam Solem hinc inde,ante,pone,ad lævam & ad dextram, ſurſum & deorſum, modo huc, modo illuc vagum & inconſtantem aberrare poſſe.Quid item pernicitatem motûs

ſolaris

solaris adderem? Quis nullo stupore perculsus advertere posset solem, terramve, utcunq; corpora tantæ molis longè velocius abripi, quàm globulum tormento explosum? quod utriusq; rationem subducenti indubium erit) præsertim si attenderit commodis, quæ mundo inde conciliantur; quotquot sc: ex noctis dieiq; vicissitudine oriantur.

Cæteris adhuc mirabilior est motus per lineam Eclypticam,

Cur suspensus eat Phœbus, cursumq; reflectat
Huc illuc, agiles & servet in Æthere metas? Manil.

Solertior est circumgyratio obliqua quàm recta, atq; adhuc obliqua intra Zodiacum, quam extra: semperne fortuna quod præstabilius optat?

Quid si in eodem Æquatoris Parallelo Sol continuo versaretur? An non pene integer telluris tractus utrinq; extra Tropicos tam Australem quàm Borealem exporrectus perpetuâ obrigeret hyeme, uti quibus caloris energia haud vegetior quam etiamnum tempestate Æquinoctiali appelleret, plerisq; vero multò languidior, qualem utiq; hyeme sentimus?

His amplius si fortè Alterutrinq; extra Zodiacum jaceret solaris orbita, ingens pariter terræ portio Cymmeriis tenebris oppressa horresceret: Nimirum si Sol continuò Australi Hemisphærio immineret, ingens ille terræ tractus, qui à Tropico Cancri ad usq; Polum Borealem excurrit, jugi & non intermissâ hyeme langueret: quod idem vicissim tractui à Capricorno ad usq; Polum Australem expanso eveniret, si Solem intra Æquatoris partem Borealem compingi contigisset. Atqui verò longè præstantiori concilio instituitur solaris orbita: Sol nempe per Eclypticam inæquali fertur motu, ut æquales singulis regionibus dispenset influentias, Quemadmodum in terras zonæ torridæ subjacentes calorem propemodum perinde temperatum effundit, atq; in illas, quæ ipsis temperatis subsunt, ut enim mittam locos Æquatori subje-

H ctos

ctos abundè aquosos esse ad pluvias & vapores suppeditandos in aëris refrigerium: memoro solùm perennes flatus interdiu in Occasum spirantes, qui immodicos aliàs æstus temperant; ut & frigidarum noctium prolixitatem, quæ mirè ardores diurnos mitigat, quibus, inquam, medetur malo, cui omnia perpetuo secula pene ad usq; nostrum nullum excogitare potuissent remedium: omnis enim antiquitas (excepto uno *Polybio*, qui libellum super hâc re edidit, & perpaucis fortasse aliis) zonam torridam propter vehementes æstus habitationi minimè idoneam credidit; nec cogitare potuit, quî occurreretur ardoris vehementiæ. Sagaciorne Fortunæ temeritas omnibus pene omnium ætatum Philosophis, ut id reipsa efficiat, quod quomodo efficeretur illi nullo modo assequi vel conjecturâ valuissent, antequam ab experientiâ ex *Lusitanorum* navigationibus accepissent. Neque adnotatu indignum est Anni rationem ita illis, qui in zonâ torridâ ubiq; terrarum habitant, dispositam esse, ut cùm Sol iis proximus est, & præcipuè cùm rectâ imminet, tum demum frigus & pluvias patiuntur, ac propterea hoc tempus hyemem vocant, mirè statuente supremâ Providentia, ut eâ tempestate flatus marini, qui frigus & pluvias (contra quàm alibi fiat) secum apportant, indesinenter à Zephyro & Austrozephiro spirent. In terras deinceps extra tropicos sitas validiores vibrantur radii, ut maturescant fruges, priusquam *Phœbi* curriculum in opposita signa convertatur: Etenim prӕterea quòd Sol ibi multo diutius verticibus immineat, propter noctis brevitatem parum cohibetur calor interdiu impressus, quo citius ætatis proventus maturescant, at verò si ibi locorum tantoperè temperarentur diurni calores, quantoperè sub zonâ torridâ, ne vix ante brumale tempus fruges ad maturitatem perducerentur. Ad hæc quid quod ubiq; terrarum æqualiter inter se dividantur tempestates frigidæ cum calidis (nam sicut intra Tropicos dies & noctes continuò idem spatium sortiuntur, ita extra Tropicales lineas dierum hyemalium

Is. Vossius de mot. marium & vent. c. 5.

tium brevitas æstivorum prolixita compensatur; unde demum tanta annuatim diei portio fit, quanta intra Tropicos) nisi ut omnia moderatè temperentur, hinc enim tellus neq; nimiâ caliditate torret, neq; nimiâ frigiditate constringitur. Deniq; ut compendifaciam (pene enim opprimor argumenti copiâ, quæ sese ultro ingerit) dum Sol alternatim suos radios dispensat, optimè Universo consulit, & etiam absens abundè prodest; dum enim alias regiones benigno calore vegetet, alias deserit, ut ne nimio ardore exhauriantur, sed vires resarciant, utiq; pluviis & frigore solis recessum sequentibus temperatæ.

Postremò *Quî limite Phæbus-Contentus medio?* unde huc usq; excurrat, & non ulterius? Unde lineas sibi præstitutas non transiliat? Inter alia commoda non minimum est, quòd ad viventium salutem frigore opus sit pariter ac calore, ex eo autem, quòd non propiùs ad polos serpat, venti algentes, utpote qui è locis prope à Polis spirant, accommodatissimè temperant solis ardores, qui aliàs aqueum humorem rerum conservationi apprimè necessarium exhaurirent. Rursus (abrumpere enim ægrè sustineo quod ultrò excurrit filum) *Quid legem cursibus addit?* Quid Solis vestigia in septentrionem vergentis, Austrum versus reducat? quidve ab Australibus signis in Borealia inflectat? An (quod ait *Cleanthes*) *ne longiùs à cibo discedat?* An non potiùs si sibi permittatur in immensitatem evolaret? Quo casu retrorsum abduci potest? Quicquid temerè agat, eodem tenore agere pertendit quantisper potest, quî igitur, si Sol temerè circumvolvatur, quò semel tendat non semper pertendat? Næ equidem tam æquabili, opportunâ & implexâ varietate Sol temperatur, ut nemo adeo obstinatè sibi oculos claudere valeat, qui temeritati eam referri sustineat. Aut si qui fuerint, jubeo, provoco ut hypotheses qualescunq; comminiscantur, quæ quibus casibus, quâ sorte, quâve necessitate (secluso, qui intellectu polleat, moderatore) motus solaris quoquo modo accidere potuissent, expedirent. Et fidenter

Claud.

Virg.

Cic. di N.D. lib. 3.

(priusquam innotescant) recipio quàm putidæ, quàm ineptæ, quàm sibi contradictoriæ, quàm penitus falsæ sint & largo irrisu dignæ ostensurum esse. Neque hoc præ nimiâ mei fiduciâ dico, quàm enim ut omnium, ita speciatim harum rerum sim ignarus planè scio, sed partim certissimæ ipsius rei evidentiæ innixus, quæ disputantem neq; subtilem neq; admodum eruditum postulat, partim quod adverterim quam propugno causam hostes desiderare, & nihilo magis quàm oppugnatione caruisse, imo plurimum inde damni passam esse, quòd perpaucis admodum hostibus impetita fuerit, adeo ut utcunq; conscius sim immane quantum damni ab eorum, qui eam sunt defendere professi, imbecilitate passa sit; tamen mihi in ambiguo hæret, plusne detrimenti à defendentium an oppugnantium imbecilitate contraxerit. Etenim pridem compertum est errantium, quibus perspicacia & acumen, obstinaciam, ansam præbendo sagaciori disquisitioni, veritatem demum vehementer stabilire; præsertim autem cum instituitur disputatio adversus insanas & incertas adversariorum hypotheses (quo loco etiamnum versamur) quî enim fictæ hypotheses quantumcunq; falsæ, priusquam innotescant, subruentur? Veluti dum quæ primò mentem subierunt festinanti calamo jam nunc effuderim, multa capita nec fortè contemnenda prorsus omitti, alia, quæ diduxi, justò obscurius, alia strictius nihil deniq; fusè & plenè satis diduci facilè concesserim; quibus tamen defectibus fortè compensaretur, si uberiorē dissertationē excuteret oppugnantium pervicacia; nec dubito quin vagæ ipsorum conjecturæ & hypotheses (quas solus excogitare non valeo) aliquammultas meditationes aliter non animadvertendas suggererent. Raró prodit veritas non lacessita. Sed reprimendus qui immoderatè incalescit calamus.

Ut igitur pergatur, subjicere non vacat, quæ super Lunæ institutione dici possunt, quæ (uti *Plinius* olim) sydus in tenebrarum remedium à naturâ repertum, aut (ut *Arist.*) ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων tanquam nocturna solis vicaria.

Lib.2.c.9. *L.4.de gen. animal.*

caria. Solummodo attende eam curſum ſuum non perinde ac ſolem intra tropicos definire, ſed aliquot ulterius gradibus evagari, quo fit ut uberiorem lucis copiam regionibus propiùs à polis ſitis per prolixas noctes impertiatur: hinc propius ad ſeptentrionalem mundi plagam vergit hybernâ tempeſtate, quò luculentius hyemalium noctium tenebras & frigora temperet, atq; eâdem viciſſim cauſâ æſtate, cum utique Sol aliquantò profundius in ſeptentrionem demergitur, tanquam deſertorum miſereſceret, ad Auſtrum ipſa deflectit. Neque diu hærendum eſt in concilio evolvendo, quod in Lunæ ſuperficie tornandâ ſeſe prodit, ſi enim Lunæ facies exquiſitè lævis & æquabilis foret, radii à ſole in eam incidentes non niſi uno ex puncto ad nos reflecterentur ſc. *in quo anguli incidentiæ reflectioniſq; noſtri reſpectu exæquantur:* Cæterum cum Lunæ diſcus diverſimodè excavetur, & montibus quaſi ac convallibus ſcabreſcat, lumen à variis ipſius ſuperficieculis ad nos reſiliens undiq; ſpargitur, non ſecus atq; multiplicatæ reflectuntur ſpecies à ſpeculo cujus ſuperficies facieculis inæquabilibus divaricetur. An quidquam adjiciam de concinentibus Planetarum intervallis, mirabilique motuum, quos peragunt, varietate & conſtantiâ? Prætereo autem tam conſonantes & concinnos Pythagoræ & Platoni viſos fuiſſe, ut per muſicæ & harmoniæ proportiones eorum rationes & σχέσεις indigetarent: non enim (quod vulgo creditur) harmoniam ſonûs, [a] ſed ordinis & ſymmetriæ ſphæris cœleſtibus tribuebant: ut itidem *Keppleri* ſomnia omittam, (ob quæ tamen inventa, ac ſi *Archimedea* forent, non mediocri lætitiâ exultat) qui quinq; libris non parvo volumine comprehenſis, ineptè ſatis molitus eſt analogiam quandam in proportionibus intervallorum & motuum planetarium ad figuras geometricas & modos muſicos expedire. Utcunque autem hujuſmodi conjecturæ temerariæ, commentitiæ, & aniles videantur, brevì obſervatu haut indignum eſt eos certas quaſdam lineas non perrumpere, ſed omnium citra errorem

[a] *Vide Plin. nat. hiſt. l. 2. c. 22.*

rem

rem aut confusionem discretam quemque suam constanter terere orbitam. Ecquo casu evenire potuit tot ingentes fabricas, quot quantæq; sunt Planetæ omnes cum suis satellitibus, asseclis, lateronibus, ansis, &c. in orbes adeo certis spatiis discretos considere? Quî evitari potuit quo minus aliquot aut eandem calcantes semitam sibi mutuò occurrerent, aut saltem citra ordinem huc illuc pervolventes sibi invicem identidem impingerent? Ullamne casûs speciem prodit tam exquisita, varia atq; uniformis symmetria, An non eximiam potius sagacitatem? Quid enim plus solertiæ artificiiq; postulat quàm varietas uniformis & ordinata? quippe nihil difficilius factu quàm in varietate confusionem devitare. Nec deniq; vacat ad sydera fixa subvolare, tamen, si sint totidem quasi Soles, & libero æthere pendeant, quod contendunt *Epicurei*, neq; sane prorsus vero absimile est: Quam mirus & enormis eventus est eorum nullum (licèt tantum non infinita censeantur) justo propiùs terrarum orbi consedisse: Quod si contigisset, quot incommoda secutura forent, quoniam mihi non sit recensendi otium, facilè advertet Lector. Proximus occurrit terrarum orbis, cui tot providentiæ specimina impressa; quot, si ritè enumerentur, justum volumen desiderant, iis igitur nè in immensum excrescat oratio, missis, aliquantò immorari placuit in nonnullis ad aquæ rationem spectantibus. Cæterum compendii causâ transilio, sicut alia multa, ita quæ supra objecimus; si sc. pauciores fuissent particulæ terrestres, aut plures aqueæ, nihil ex earum congressu factum iri præter lutum *camposq; liquentes*. Detur autem par utrarumque apparatus. Providentiæ quantæ, ne cænosam voraginem ex confusâ & intimâ immixtione efficerent, ne item aqua totam obducat terræ superficiem! An non situs naturalis sit, ut quod gravius est subsidat, quod levius emineat? Quî igitur fiat tot terrestres atomos quantumcunq; graviores aqueis supereminere, si in totum naturali propensioni permitterentur? An naturalis propensio in situm præ-

præternaturalem reponeret? Sive porrò mare sit terrâ eminentius, sive terra mari, parum refert: si utique prius, aqua præ fluxilitate, & partium mutuâ protrusione, ad loca decliviora deflueret, totamq; telluris molem utpote demissiorem inundaret; ex lege enim naturæ est, ut undæ proclivè, sive è prolixiore perpendiculo in decurtatius volvantur. Sin posterius (quod veritati & naturæ consonantius) id ipsum est quod perquiro, quomodo quod levius est sponte naturæ infra gravius deprimatur? & nisi ad opificem quendam, qui taliter disposuerit, perfugiatur, non modo nova casuum complexio admittenda est, verum etiam talium, quales rerum naturis repugnent, qui quomodo eveniant cogitari nequit, nisi omni tum Philosophiæ, tum experientiæ contra eamus. Etenim quid deinceps quod terræ globus tot lacunis & anfractibus excavetur, nisi ut in iis quasi vasis immensa aquarum copia stagnaret, ne omnia absorbeat circumquaq; nullo inhibente obstaculo effusa? Quid obstitit quò minùs tota telluris superficies exquisitè æquabilis & lævigata foret, siquidem ex naturæ legibus, undecunq; oriatur gravitas, quæq; terræ portio infra aquam subsideret? Unde peculiari quasi artificio terebrari videntur fluidi liquoris conceptacula. Quinetiam telluris prominentias, si quæ fortè contigissent, abraderet potius aquarum decursus, secumq; abripiens in lacunas propelleret. Si nullæ contigissent, aquarum torrens nullis irretita obstaculis, nullas terræ partes delibaret, quibus inæqualitates superstruat. Næ mirabilius terram non perpetuum diluvium pati, quam semel olim passam fuisse. Neque omnino prætereundum est, quod statuunt æternitatis mundanæ assertores, speciatim *Aristoteles*, qui *Meteor. lib.* 2. & passim alibi prolixam disputationem pertexuit, ut ostenderet æternas esse Terræ & Oceani vicissitudines, ita ut quod olim siccum erat, nunc aquis obruatur, & quod pelagus sit, continuâ terræ in mare devolutione tandem repletum iri,& aquis extra alveum extrusis, siccum iri. Unde pangit *Naso* ad

men-

mentem *Pythagoræ* (qui utiq; *Aristoteli* hâc in re præludit)

15 Metam. *Quodq; fuit campus, vallem decursus aquarum*
Fecit, & eluvie mons est deductus in æquor;
Eque paludosâ siccis humus aret arenis,
Quæque sitim tulerant, stagnata paludibus hærent.

Atqui vero si (quod contendunt) Maris alveus terræ portiunculis continenter in eam delatis, sensim repleatur, hoc pacto oppletis undiq; cavitatibus, eveniret demum terræ superficiem prorsus exæquari, aquasq; marinas extra alveum protrusas in universam terram diffluxuras: Quippe exundarent aquæ in littora, antequam aggererentur terræ portiunculæ in cumulum littoribus eminentiorem, unde nō prorsus priorem alveum abdicarent, sed minus profundum efficiendo, ampliorem efficerent: tantum enim accederet latitudini, quantum detraheretur profunditati, & sic aquæ sensim omnia occuparent. Quæ necessario evenire non contendo, sed iis duntaxat, quæ hariolantur adversarii, probabiliora, magisq; naturæ legibus consonantia; Quod satis ad inanes eorum conjecturas nulliq; fulchro subnixas sufficienter evertendum. Quinimo cum velint mundum perpetuâ vicissitudine perire, interim incendiis, interim diluviis, vicissimq; renasci, tantum abest quo minus sese expediant, ut magis involvantur. Nam si tot tamq; arduæ casuum series desiderentur ad mundum compingendum, quantò difficilius erit ut sæpius idem recurrat eventus, ut si difficile fuerit cæcum quempiam forte fortunâ scopum ferire; eò mirabilius, quo sæpius hoc inveniat. Cæterum versuti homines fidentur asseverando id quod fieri impossibile est, sæpe factum fuisse; aut ut nobis eo consilio ejusmodi eventus familiares fiant, efficerent; quo promptius contigisse crederemus: aut ut impossibilitatem adaugendo, quod minus impossibile est, fieri posse videatur. Sic dum mundum fortunæ ductu sæpiuscule exoriri audacter asserunt, semel hoc fieri non

non adeo impoſſibile videri reputant, oſtendant igitur quomodo ſemel accidere hoc poſſet, priuſquā ſæpius accidiſſe autument.

Verum ut procedamus. Sicut comperimur aquas ſtagnis & paludibus concluſas aceſcere, & noxios humores exhalare, ita aquæ in unum alveum congeſtæ ſitu fæterent. Huic igitur malo duplici providentiâ occurritur.

Imprimis variis ubique marium æſtibus agitatur, uno utiq; ſoliſequo, & omnium præcipuo in zonâ torridâ, quo ſc. undæ Solis curſum perpetuò comitantur, conſtantiq; gyro ab Oriente in Occidentem volvuntur. Ex quo ſubſequitur alius priori omnino contrarius, inde ἀνθήκι@ dictus, ab Occidente nimirum in Orientem: Undæ enim priore motu abreptæ cavitatem ponè relinquunt, ad cujus compenſationem utrinq; à Lateribus hinc Septentrionali, illinc meridionali retrò aquæ allabuntur. Quo duplici motu totus undiq; concutitur Oceanus; Priore, omnia æquora Solis orbitæ ſubjecta & ulterius; Poſteriore demum quicquid inde aquarum pateat ad uſq; utrumq; Polum. His an addam tertium, quem reciprocum appellamus, quo mare ſpatio 12 horarum pleraq; littora adfluat & refluat? Tametſi reipſa non alius ſit à *generali Soliſequo*; nullus enim ſub zonâ torridâ deprehenditur refluxus, ſed ſolummodo ſub temperatis; neque propriè ſit uſpiam aquæ refluxus, ſc. per eandem viam remeatus, ſed potius defluxus, detumeſcentia & reſtitutio, ſic poſtulante libramenti ratione, cum flacceſſit impetus generalis affluxus. Quod autem in ſinubus, Littoribus, & fluviorum oſtiis contingat refluxus, ideo fit, quia aqua generali affluxu illuc impellitur, quo ceſſante remeat in eoſdem locos, è quibus protrudebatur. Atq; adeo refluxum non totum pelagus attinere, ſed ſpeciales quaſdam regiones.

2. Quoniam ſali inſit facultas corpora, quibus ingeritur, à putredine immunia præſtandi, Æſtibus marinis accedit ſubinde ſalſedo, quæ mari undiq; univerſo permiſcetur; eoq; copioſiùs, quò propius Æquatori jaceat, & parciùs, quo lon-

 giùs

gius inde polos verſus ſubmoveatur, quippe cum locis calidis citiùs putreſcant aquæ, quàm frigidis, uberiori ſale condiri exigunt. Cæterum aqua ſalſa quandoquidem neq; apta ſit animantium potui, neq; terræ humectationi, & proinde ſi ſalſa ubiq; exiſteret, omnes, quæ in ſicco verſantur animantes, interimant neceſſe eſſet: hinc duplici arte aquæ dulcis à ſale ſeparationi proviſum eſt.

1. Aquæ guttulæ ſubterraneos meatulos perreptant, ac tranſudatione per arenam ac argillam colatæ particulas ſalinas (quas teſſellas referre autumat *Lucretius*, *Carteſius* bacillos, & proinde facile arenis adhæreſcere) deponunt, ipſæ tandem quibuſdam locis, cujuſmodi præcipue habentur montium radices, coeuntes tanquam in ciſterna colliguntur, &

Qua via ſecta ſemel recto pede detulit undas

Sparſim per omnes terræ plagas ſcaturiunt. Atq; in regionibus longiùs à Pelago ſubmotis (quæ proinde fontium ſunt magis indigæ) majores præ aliis & plures quam alibi proſiliunt ſcaturigines. Ubi plurium fluminum commoda ſigillatim memorare licet, qualia inundationes fæcundiferæ *Nigri*, *Gangis*, *Indi*, * *Euphratis* quæ in *Meſopotamiam* quotannis quaſi novos agros invehit: & imprimis, Nili Διιπετέος ποταμοῖο.

* De nat. Deor. l. 2. Homer. od.

[a] *Qui viridem Ægyptum nigrâ fæcundat arenâ*. Quoniam
[b] *Sic juſſit Natura parens decurrere Nilum*
Sic opus eſt Mundo.

a Virg.
b Lucan.

Quid autem hujuſmodi memorem, qui compendii gratiâ innumera prætercam, quæ longè inſignioribus commodis inſerviant, & multò ſagaciorem ſolertiam prodant?

2. Tenuiores aquæ particulæ Solaribus radiis tanquam funiculis ex oceano exantlantur, & quâdam ſublimatione (ut loquuntur *Alchymiſtæ*) à ſalinis particulis divelluntur, vi caloris eo uſque ſublatæ, dum radiorum ſolarium reflexio deſinat, ubi aut ventis impellentibus, aut regionis frigore compri-

primuntur, & plurium pluriumq; jugi accessu in grandiuscu-las guttulas coalescunt, quæ magis magisq; ingravescentes deorsum guttatim quasi per cribrum effusæ in terram defluunt: unde benignè rigantur agri, cuncta nascentia foventur, dives undiq; telluris proventus & alimentum ab invalescente æstu & siccitate propugnantur, & ad maturitatem quodq; suam provehitur, tota deniq; nutricatur natura. Tantâ postremò subtilitate fit utroque processu aquarum à sale separatio, ut chymici, quantumvis multum & diu laborarunt modum invenire, quo aqua dulcis posset à marinâ abstrahi, hactenus tamen frustra id tentarunt. Licèt enim sal fixum utpote gravius decoctione ab aquæ particulis sursum elevatis separare possunt, tamen sal volatile propter spirituosam subtilitatem ita arctè unitum est aquæ particulis, ut nullo pacto valeant eo usq; divellere, donec potui viventium apta fiat aqua. Quod tamen quàm facilè naturæ solertiâ efficitur! Circa prædictorum & similium phænomenων causas nihil est quorsum perquiramus; nam præterquam quòd plerisq; quæ hactenus assignantur nonnihil desiderari videatur, & quod in phænomenis ipsis indigetandis eas quodammodo subinnuimus; tamen sive veræ fuerint, sive falsæ perinde elucet vis Providentiæ, quæ illas ita disposuerit, ut adeo commodis eventibus famularentur. Supremi enim Opificis Providentia maximè perspicua est in mutuâ rerum conspiratione, & ab invicem dependentiâ, quæ quocunq; modo consistat, si constare liqueat, pariter elucescit.

Varen. geogr. l. 1. c. 13. prop. 11.

Ut autem omnia rudi quâdam anacephaleosi complectamur. Jam si deniq; cogitemus quòd quamvis atomi solares fortè coalescerent, nisi tamen contigerat ista coalitio eo spatio quo contigit, Sol inutilis extitisset: si itidem eum locum occupasset, immotus tamen in eodem hæreret, adhuc inutilis; si motum assecutus, neq; circularem, minime utilis: si circularem, neq; obliquum, minus quoq; utilis: si obliquum, neq; eâdem orbitâ, quam tenet, inutilior adhuc; si eâdem orbitâ,

neq; vestigia relegeret, quamprimum ad limites certos appulisset, huc usq; demum longè inutilior. Quæ omnia tametsi simul evenirent, hactenus tamen inutilia, nisi certo quodam loco alius concreverit globus, ad cujus quoq; coagmentationem eo loci, tot desiderantur casus, quot recensuimus postulari, ut Sol eo loco, quem occupat, existeret; imo omnia hactenus nullius forent usûs, nisi plusquam immensâ aliorum casuum serie terra quibusdam lacunis excavetur, aqua in eas colligatur, æstuet, salsugine condiatur, in flumina & pluvias convertatur; si denique ex his omnibus conspirantibus, solertissima & summa utilitas, quâ vix admirabilior excogitari possit. Si que vicissim cogitemus quàm innumerabiles desiderentur casus, ut tanta extet atomorum multitudo; quàm deinceps innumeri alii, ut moveantur; quot itidem his adjiciendi ut ad invicem occurrant; his innumeri ulterius, ut coalescant; infiniti deinde alii ut in ita pulchram figuram consiliant; plusquam subinde infiniti alii, ut hoc loci eveniat Solis contextura; quot postea alii ut motum sortiatur; quot, ut circularem; quot, ut obliquum; quot, ut retrorsum à Solstitiali signo ad brumale remearet, & à brumali vicissim ad Solstitiale; quot, ut tandiu in his perseveraret; quot deinceps, ne terra & aqua ubiq; permisceantur; quot, ne terra perpetuo submergatur; quot, ne aqua acesceret; quot, ut in flumina & pluvias abiret; deniq; si in uno omnium (quibus tamen innumeros alios accensere longè facile sit) aliter contigisset, foret cæteros omnes frustra conspirasse: Si quis, inquam, perpendat hinc infinitas infinitorum casuum complexiones; illinc infinita, implexa & ab invicem infinitis modis dependentia rerum omnium emolumenta, ac tot casus simul conspirare posse, vel tantam mundi solertiam & conspirationem à casu causâve brutâ suique nesciâ provenire credat; quid sequitur? ut taceam, se ipse sponte exutâ ratione obstinatè belluam esse velle proclamat. Superest argumentum à minori ad majus, quo ab Artis operibus ad opera Na-

turæ

turæ arguitur; quod quoniam non modò per se stabile videatur, sed etiam jam ante disputata invictis præsidiis ulterius tueri, brevissimè, quoad fieri par est, stringam.

Quandoquidem indubium sit Artis opera longè infra Naturæ concinnitatem & magnitudinem subsidere; si igitur hujus opera citra opificis consilium conformari potuissent, quid non & parili casu quæ Artis sunt, perficiantur? Adsumamus *Posidonii* aut *Archimedis* sphæras, quis eas, earumq; conversiones cœlestium motui, quem æmulantur, non comparandas esse inficias iverit? Qui itaque fingi potuit Atomos variè confuséq; agitatas non ante ad invicem irretiri, quàm in adeo exquisitæ spheræ figuram conspirare evenisset, neq; si fortè in eam confluxissent, non statim, quæ temeraria & irrequieta earum mobilitas, dissilire, sed quæ nunquã ante inter se revinctæ fuerant (alioqui movere non pertenderent) quàm primum in ornatam istam machinam coiissent, complicari, & tandiu sub eâdem perseverare, tot quoq; tamq; varios constantesq; motus peragere? Verbo quis memoratas sphæras Artifice Formari dubitaret, propterea quid id ipsum de Mundo dubitet? Cæterum hoc argumentum licèt diversi diversimodè expediant, Nemo tamen omnium aut disertiùs aut validiùs, quàm *Balbus Stoicus* apud *Ciceronem*: cujus igitur verbis cum adeo apposita sint, licet admodum pertrita, si rem exequar, operam haud ludam. Sic igitur ille. *Quòd si mundum efficere potest concursus atomorum, cur porticum, cur templum, cur domum, cur urbem non potest, quæ sunt minùs operosa & multò quidem faciliora?* Et rursus: *Hoc qui existimat fieri potuisse, non intelligo cur non idem putet, si innumerabiles unius & viginti formæ literarum vel aureæ, vel quales libet aliquò conjiciantur, posse ex his in terram excussis Annales Ennii, ut deinceps legi possint, effici: quod nescio an ne in uno quidem versu possit tantum valere fortuna.* Ejusdem & hæc: *Ut si quis in domum aliquam, aut in gymnasium, aut in forum venerit; cum videat omnium rerum rationem*

L. 2. de N. D.

nem

nem, modum, disciplinam, non posit ea sine causâ fieri judicare; sed esse aliquem intelligat, qui præsit, & cui pareatur: multò magis in tantis motibus, tantisq; vicissitudinibus tam multarum rerum, atq; tantarum ordinibus, in quibus nihil unquam immensa, & infinita vetustas mentita sit, statuat necesse est ab aliquâ mente tantos Naturæ motus gubernari. Præclarè rursus: *Quis hunc hominem dixerit, qui cùm tam certos Cœli motus, tam ratos Astrorum ordines, tamq; omnia inter se connexa, & apta viderit; neq; in his ullam inesse rationem, eaq; casu fieri dicat, quæ quanto consilio gerantur, nullo consilio assequi possumus? An cùm machinatione quâdam moveri aliquid videmus, ut sphæram, & horas & alia permulta, non dubitamus, quin illa opera sint rationis? Cùm autem impetum Cœli admirabili cum celeritate moveri, vertiq; videamus, constantissimè conficientem vicissitudines anniversarias, cum summâ salute, & conservatione rerum omnium; dubitâmus quin ea non solùm ratione fiant, sed etiam excellenti quâdam, divinâq; ratione?* At ne plura congeramus, omnium solertissimè quæ sequuntur. *Si ergo meliora sunt ea quæ naturâ, quàm illa, quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quicquam sine ratione: ne natura quidem rationis expers est habenda. Quî igitur convenit signum aut tabulam pictam cùm aspexeris, scire adhibitam esse artem: cumq; procul cursum navigii videris, non dubitare quin id ratione atq; arte moveatur: aut cùm solarium contemplatus fueris intelligere declarari horas arte non casu: mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilii & rationis esse expertem putare? Quòd si in Scythiam aut in Britanniam sphæram aliquis tulerit, hanc quam nuper familiaris noster effecit* Posidonius, *cujus singulæ conversiones idem efficiunt in Sole & in Lunâ, & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in Cœlo singulis diebus & noctibus: quis in illâ barbarie dubitet, quin ea sphæra sit perfecta ratione? Hi autem dubitant de mundo, ex quo oriuntur & fiunt omnia, casune*

ipse

ipse sit effectus aut necessitate aliquâ, an ratione, an mente divinâ: & Archimedem *arbitrantur plus valuisse in imitandis sphæræ conversionibus, quàm naturam in efficiendis, præsertim cum multis partibus sint illa perfecta, quàm hæc simulata solertiùs.* Quibus quid illius adversario *Cottâ* reponitur? solummodo ad *Naturæ* vocem confugit. *Ita prorsus existimarem* (inquit) *si illum* (mundum) *ædificatum, non, quemadmodum docebo, à naturâ conformatum putarem.* Atq; næ hoc quidem unicum eorum effugium; cæterum quàm putidum, quàm ineptum! Age enim edoceatis, quæsumus, Venerande Præsul, & quotquot Naturæ sitis Miriones, quæ subsit Naturæ voci significatio, An mundi sit ordo, vel quidpiam mundanum ordinem constituens? si primum, idem agitis, quasi interroganti unde ita Solers omnium rerum ordo & natura, responderetur, esse ab omnium rerum ordine & naturâ; præterea hic mundi ordo seu natura vel temerè, vel consultrice Providentiâ exortus est, si temerè, eodem, unde elabi cupiunt, revolvimur; sin Providentiâ, ergo Opifex rationis compos naturæ disciplinam sancivit; si secundum, sc: quidpiam mundi ordinem instituens, vel hoc quoq; rationis compos, quod contendo; vel expers, & sic omnia rursus in temeritatem recident; adeo necessarium est omnia demum vel rationi vel temeritati referre. Nam quodcunq; fuerit natura, vel ratione pollet, vel rationis exors, si primum, Deus est, si secundum, temeritas. Unde scitè *Lactantius* cautiori verborum tenore de Numinis existentiâ quæsitum proponit. *Natura sitne Providentia, quæ rebus omnibus consulat, an fortuitu vel facta sint omnia vel regantur*; huic quid regereret *Cotta?* Num Naturam à Naturâ esse factam? Apage responsum nec *Cottâ* nec Pontifice dignum. Præclarè quoque E Senecâ Lactantius. *Sive enim natura sive æther, sive ratio, sive Mens, sive fatalis Necessitas, sive divina lex, sive quid aliud dixeris: Idem est quod à nobis dicitur Deus: nec obstat appellationum diversitas; cùm ipsâ significatione ad unum omnia*

L.3. de Nat. Deor.

De falsâ Rel.

Ibid.c.5.

nia

De orig. error. *nia revolvantur.* Idem vero præclarius alibi. *Natura enim, quâ dicitur orta esse omnia, si consilium non habet, efficere nihil potest, si autem generandi aut faciendi potens est, habet ergo consilium & propterea Deus sit necesse est. Nec alio nomine appellari potest ea vis; in quâ inest & providentia excogitandi, & solertia, potestasq; faciendi.* & postea *Deus ipsa natura est, cum igitur ortum rerum tribuis Naturæ, ac detrahis Deo, in eodem luto hæsitans, versuram solvis. A quo enim fieri mundum negas; ab eodem planè fieri mutato nomine confiteris.* Et profectò; idem est ac si negarent Horologium ab artifice fieri, sed ab arte: Natura enim aut ars divina est, aut artis divinæ opus, quod dudum demonstravimus. Sed de hisce satis.

CAP. III.

De Generis Humani Exortu, & Corporis Humani Structurâ.

INTER res creatas Deus geminam sui Imaginem constituisse visus est. Solem puta, & Hominem; ut enim homini rationem indulgendo, eum ad imaginem sapientiæ suæ condidisse dicitur: Ita in Sole Bengnitatis, Potentiæ, & Activitatis suæ specimen eatenus exhibuit, quatenus Sol ex ipsius præscripto prodigâ quâdam benignitate vires suas & beneficia ubique diffundat, rerum generationi & mutationi præsideat, & materiæ particulas divinâ quâdam activitate exagitet, & in præclarissima opera demum disponat. Sicut igitur priori capite potissimùm ex hujus œconomiâ supremi omnium Conditoris potentiam, solertiam, Providentiam conspicuam efficere adnixi sumus; superest in homine, altero Numinis quasi speculo, divinæ sapientiæ illustrissima specimina intueamur.

amur. Scilicet in cujus corpore totidem prostant solertissimi Opificis documenta, quot membra, è quibus nullum tam vile, tam exiguum, quin apertissima sapientiæ vestigia prodat; ut sanè quodque sit illustrissimum Numinis præconium, & plus Deum Opificem arguat, quàm exquisitissimum quodvis artis opus Artificem; ut sanè mihi ingenti quidem stupori sit quempiam Anatomicè peritum Atheismo litare; perinde equidem se gerit, atque si quis postquam diu exquisitissima *Apellis* opera contemplari assueverat, inde demum collegisset fuisse nullo Artifice elaborata.

Atqui tamen quàm vehementer Atheismi fautores tam præclaram structuram temerè & Fortunæ manibus effectam esse pertendunt; quod autem ut obtineant, ad putidas & aniles nescio quas fabellas confugiunt, variique varia commenta, & fabulosas hypotheses cônfingunt, quibus expediant quî genus humanum sine Providentiâ parente, quîque solâ Fortunâ & temeritate progigni potuit: Verum adeò putidæ, futiles, vesanæ, & purè commentitiæ sunt quas fecerunt fabulas, ut eas (si iis ritè attendatur) seriò refutare solius operâ & otio abutentis videatur: Verum cum ab iis solùm Atheismus patrocinium quærat, cumque præter istas nihil habeant Athei, quo se tueantur, & illustrissima Providentiæ argumenta eludant, abundè operæ pretium erit & ipsas funditus convellere, ut clarè liqueat Atheismum, tantoperè ab ipsâ quidem verisimilitudine vacat, nullis nequidem fabulis & commentis propugnari posse. Id quo expeditius præstem primò narrandum est, quid super hâc re confinxerint; tum deinde commenta quæcunq; ità redarguere adnitar, ut non modò quicquid hactenus confictum est, sed & quicquid fingi possit, radicitus subvertatur, quod abundè fiet, si evictum fuerit nullo casu quocunq; sed solâ Providentiâ corpus humanum extrui potuisse.

Mitto varias Poetarum fabellas, quòd nemo tam à ratione relictus sit, qui homines ex *Deucalionis* & *Pirrhæ* saxis enatos

credat, aut *Myrmedonas* ex formicis exertos aut *gentem virum truncis & duro robore natam:* Quod & cecinit *Papinius*

4. *Thebaid.*

Quercus Laurique ferebant
Cruda puerperia, ac populos umbrosa creavit
Fraxinus, & fœtâ viridis puer excidit orno.

Aut, satum Japeto terram mistam fluvialibus undis finxisse in effigiem moderantum cuncta Deorum. Quanquam cum *Lactantio* dicendum sit: *Cùm Poetæ hominem de luto à Prometheo factum fuisse dixerunt, res eos non fefellit, sed nomen artificis.* Ut inquam ista, aliaq; ejusmodi præteream: iis solum insomniis, quæ somniarunt Philosophi, immorandum est, quanquam & ista non minus, quàm quæ ludunt Poetæ, tanquam fabulas inanes aspernari & rejicere licuisset; siquidem pariter pura puta commenta sunt; neque enim ista aliter nobis quam Poetæ tanquam proprio duntaxat ingenio conficta propinant; ita ut sanè quâ ratione commentitias istas Philosophorum hypotheses quis pro veris admittat, eâdem fere quidquid Poetis effictum est, revera gestum fuisse arbitretur. De primo hominum ortu duæ *Diodoro Siculo* & *Censorino* memorantur celeberrimæ Physiologorum sententiæ: Quarum prima hominum genus ab æterno sine ullo generationis principio extitisse statuit; Ad quod delirium satis supra demonstravimus nostrâ nequaquam interesse, an genus humanum ab æterno extiterit, an tandem aliquando extare ceperit; etenim etiamsi ab æternis seculis fuerit, cum existentiam à naturali essentiæ exigentia sive necessitate adipisci non potuerit, necesse est ut eam alterius beneficio consequatur, & subinde vel à causâ rationis compote, quam Deum appellamus, enatum est, vel rationis experte, & ita demum ad secundum Philosophorum delirium devolvimur, qui statuunt hominem è terrâ fortuitò & sine Architecto prodiisse, & fingunt itaque (ut ibidem refert *Diod.*) terram lutosam & perquam mollem mundi initio fuisse; quæ igne Solis

Lib.2.c.10.
Lib.1.Sect.1.
De die natali.

Solis primum irradiante coaluit, & post inflatam ac quasi fermentatam à calore superficiem, humidorum nonnulla deinceps compluribus in locis intumuerunt, & veluti pustulæ subtilibus pelliculis circundatæ extiterunt. Cumque humida ex calore, seu genitali semine ita fœtificarent, noctu quidem fœtus à circumfusâ aëris nebulâ incrementum accipiebant, interdiu verò ab æstu Solis consolidabantur. Tandem verò cùm inclusi fœtus maturum accepissent incrementum, perustis & disruptis membranulis, enatæ apparuerunt omnis generis animalium formæ. Quæ meritò quidem inter μυθολογούμενα *fabulosas narrationes* recenset *Diodorus*. Similem fabulam memorat de Sole Rhodi amore capto, & septem ex eâ αὐτόχθονας progignente. Eadem etiam Phœnicum fabula, quam apud *Eusebium* refert Sanchuniatho, nisi quod insuper addant Animantes fortè in terræ utero efformatos tonitruum fragore fuisse excitatos & è pelliculis excussos. Similiter *Ovidius lib.* 1. *Metam. Horat. Sat.* 3. *l.* 1. *Juvenalis Sat.* 6. Et profectò argumentum Poetis dignum est. Censorinus autem aliis accuratiùs varias hâc de re Philosophorum fabulantium hypotheses recenset. *De iis*, inquit, *qui homines primigenios factos crederent. Ut omittam quod fabulares Poetarum historiæ ferunt, primos homines aut Promethei molli luto formatos, aut Deucalionis Pirrhæque lapidibus esse natos: quidam ex ipsis sapientiæ professoribus, nescio an magis monstruosas, certè non minùs incredibiles rationum suarum proferunt opiniones.* Anaximander Milesius, *videri sibi ex aqua terraque calefactis, exortos esse sive pisces, sive piscibus similia animalia; in his homines concrevisse, fœtusq; ad pubertatem intus retentos, tunc demum ruptis illis, viros mulieresque, qui se jam alere possent, processisse.* Empedocles *autem primò membra singula, ex terrâ quasi prægnante, passim edita, deinde coiisse, & effecisse solidi hominis materiam, igni simul & humori permixtam. Hæc eadem opinio etiam in* Parmenide, *pauculis ab* Empedocle *dissensis*. Democrito *verò Abderitæ ex aqua limoq;* pri-

Biblioth. l. 5.

Προπαρασκευ: *Lib.* 1. *cap.* 10.

De die natali.

primùm visum est homines procreatos, seu (uti testatur Lactantius) *homines vermiculorum modo effusos de terra nullo ductore, nullaque ratione.* Aliiq; similiter. *Epicurus* autem, quæ ante se alii somniarunt, explicare conatus est; non enim satis arbitrabatur dixisse hominem; primò è terrâ prodiisse, nisi modum etiam quo fieret, expediret: *Is enim credidit* (ut jam ante allatis subdit Censorinus) *limo calefacto uteros, nescio quos, radicibus terræ cohærentes primum increvisse, & infantibus ex se editis ingenitum lactis humorem materiam ministrantem præbuisse, quos ita educatos & adultos genus hominum propagasse.* Id quod cecinit *Lucretius*

Lib. 7.

Crescebant uteri terræ radicibus apti,
Quos ubi tempore maturo patefecerat ætas
Infantum, sugens humorem, aurasque petissens,
Convertebat ibi, Natura foramina terræ;
Et succum venis cogebat fundere apertis
Consimilem lactis.

Hasce omnes hypotheses fabulosas sigillatim evertere laboris foret non modo prolixi sed & superflui; satis erit, si quæ præ aliis viguit ita subruatur, ut simul etiam hominem neque isto neque alio quovis casu produci potuisse palam fiat. Ita cum fabulantur homines primò è mari emersisse, nempe animalia aquatica seu *Tritones* & *Sirenes* primò fuisse nata, postmodum autẽ dum paulatim terræ sese assuescunt, primo *Amphibii*, deinde relicto mari terræ solius incolæ evaserunt. Incassum inquam commentum hoc sigillatim excuterem: Quamvis enim isti fabulæ daretur locus, vis eadem argumenti superesset; quòd nihilo facilius sit fabricam corporis humani sub aquis citra Conditoris artificium extrui, quàm si idipsum in terrâ eveniret; ut non referat, utrùm homines primò nascerentur an *Tritones* scilicet utrumque pariter fabulosum est. Sed ut tandem ad specialem *Epicuri* hypothesin veni-

veniamus, in cujus quidem everſione, quicquid confingunt alii omnes evertemus.

Imprimis itaque non ſatis eſt virum ex terræ uteris prodiiſſe, niſi ſimul quoque prodierat fœmina, E puſtulis iſtis cur non ſoli prodirent mares? aut cur non ſolæ mulieres? Aut ſi ſub diverſis formis exeant,in innumeras alias coire potuit lutum,perinde ac in fœminam,unde igitur in fœminam potiuſquam aliam quamcumq; ſpeciem coaluit? An tam appoſita, tam varia corporum commiſcendorum organa fortè fortunâ elaborari poſſent? Scilicet niſi fortuna fœminam (quæ cum viro mille modis conveniret & totidem diſcreparet) unà cum viro ſimul editam eſſe proſpexerat, unius solùm ætatis fuiſſet gens humana. Verùm ecquis adeo vecors, ut inſtrumenta ſoboli procreandæ adeo aptè & exquiſitè comparata, ut quidem à ſapientiſſimo agente vix fieri poterant accuratiùs, fortuitò potius atomorum luſu, cauſâve nihil tale attendente,quàm ſapiente Conditore conſtructa fuiſſe arbitretur? An non mirabiles eorum apparatus plus ſatis teſtantur ſe eum ſolum habuiſſe Authorem, qui *hominem marem & fœminam creavit, & dixit fœtificate, ac augeſcite, & implete terram?* Adde quod non modo in genere humano ſexus uterque ſimul naſceretur, ſed & in innumeris animantium generibus: ſed hæc luculentius infra ediſſerentur.

Deinde non modò homines, ſed & omne animalium genus eodem ritu è terrâ pullularet; at quàm enormis foret fortunæ fœlicitas, ſi machinas totidem, tam præclaras, tam varias efformaret? Neq; enim ſine faſtu quodam humanum genus eſſe ſe unicam mundi epitomen, & Naturæ miraculum gloriatur,mihi verò perinde mirificæ videntur aliorum animalium fabricæ. Reperiuntur tamen qui non ſine immani hallucinatione animantium varietatem fortunam magis quàm Providentiam arguere exiſtimant, ſcilicet quod quæ caſu eveniunt, nullam conſtantiam tenere, ſed ſemper variare ſolent:

ſolent: Atqui verò non omnis varietas temeritatis & caſûs progenies eſt, ſed ea ſolùm quæ ordinis expers, inconcinna, atque perturbata exiſtit; varietas verò rerum, quarum ſingulis ineſt præſtantiſſima ſolertia, & difficilima factu concinnitas, quò major, eò luculentius Numinis argumentum eſt; etenim ſi tanta exigatur ſolertia ad unius animalis ſtructuram fabricandam, quanta eluceſcet in penè infinitâ animalium multitudine! ſi tam enormis ſit caſus, qui unum animal crearet, quàm impoſſibile erit tam multiplex ejuſmodi caſuum repetitio! Quemadmodum ſi portentoſus ſit eventus ex literarum formis ſimul concuſſis pulchrum exſtare codicem, quantò longè portentoſius videretur, ſi hoc modo ingens librorum multitudo, ſeu tota Bibliotheca ederetur!

Inſuper ſi olim homines fortuitò è terræ veſiculis emerſerint, An ſatis mirari poſſumus nullas à primo hominum exortu comparuiſſe iſtiuſmodi veſiculas, nullos ſponte natos homines; ſed tantoperè ex illo tempore emarcuiſſe Naturæ vires, ut non tantùm hominem, ſed & quamvis corporis humani partem producendo jam non eſſent? Quæ enim (ut ipſi opinantur) olim inſecta, arbores, plantas, & id genus alia produxit, ipſa eadem hactenus pari ἀκριβείᾳ producere valet: Quì igitur ſuſpicari quis poſſit illam in homine producendo adeo defeciſſe, ut nullum omnino ſui operis veſtigium per tot annorum ſeries exhiberet? Neque ſolùm in homine producendo adeo obtorpuit vis illa procreatrix, ſed & in infinitis aliis Animalium ſpeciebus, quæ eodem planè ritu, quo primi homines è terrâ pullulaſſe autumant. An non pluſquam ſtupendum eſt equos, Boves, Elephantos, aliaque molis immenſæ animalia adeò ubertim olim è terrâ effundi, & tamen per totidem annorum ſeries ne quidem felem, canem, paſſerem inde erupiſſe? Undenam, quæſo te, tantoperè deferbuiſſe Naturam evenire potuit? à terrâ? quæ autem ulla terræ conſtitutio excogitari poteſt, cui jam ſimilis alicubi terrarum non reperiatur? At fingunt fuiſſe initio quidem

dem terram lutoſam, teneramque, poſtque fermentatam à calore ejus ſuperficiem humidorum nonnulla variis in locis intumuiſſe, & velut puſtulas ſubtilibus pelliculis circundatas extitiſſe: terram autem ſubinde magis ab igne Solis ſpiritibuſque conſtipatam ad extremum nihil potuiſſe amplius majorum animalium in vitam producere, ſed animantia ſingula ex mutuâ commiſtione genita fuiſſe. Ut mittam Providentiam ſapere, quod omni animalium generi eæ donentur partes, quibus, cum effœta evaderet tellus, quodq; ſuum genus mutuo congreſſu propagare poſſet: Cur non in locis paluſtribus, quos mare ſæpius alluit, quoſque amnes ſæpius inundant, cur poſt pluviarum immenſas copias, poſt ſtagna lacuſq; detumeſcentia nihil tale contingeret? Cur in *Ægypto* terrâ ad miraculum uſq; fœcundâ nihil ejuſmodi conſpiceretur? Cur *Africa* inter reliqua ſua monſtra in hiſce planè ſterileſceret? At terra jam effœta conſenuit, & propterea tantam ſobolem parturire nequit: quemadmodum obſervare licet terram, quæ recèns ſubigitur multâ luxurie progenerare, quæ tamen poſtea exhauſtis ſeminibus magis magiſque langueſcit. Cui reſpondeat apud *Philonem Critolaus* ὄπω ϗ ἡ γῆ γεγήρακεν, &c. *Terra certè nondum conſenuit, adeo ut propter temporis longitudinem ſterileſcere videretur, ſed perpetuam ſervat juventutem, irrigata etenim vel fluminum inundationibus ſicut* Ægyptus, *vel annuis imbribus exhauſtas feracitate vires reficit, & quiete medicâ ſe refovet, moxque ut antè alimenta largiter animalibus ſuppeditat.* Cur non igitur eâdem ratione vim animalia producendi denuo recolligat? Cum enim primæva iſta ſemina ex terrâ tenerâ & lutoſâ caloris beneficio fermentatâ oriebantur, cur non etiam tenera quævis & lutoſa terra ejuſdem caloris ope fermentata eadem parturiat; vel ſaltem aliqua tam præclari, tam varii opificii edat ſpecimina aut tentamenta? Dein cum ſtatim conſenuit vis iſta animalia procreandi, cur non poſt tanti ævi effluxum exhauſta eſſent minorum animalium ſeminula? cur per tot ſecula nihil virium amiſit,

Lib. quod mundus ſit incorruptibilis. p. 644.

amiſit, ut tantundem hodiè in animalculis progignendis valeat, quantum mille âbhinc ſeculis valuit? Verùm excipiunt alii, homines nunc non eodem modo, quo olim, exoriri; quoniam, cum non eadem ſit cœlorum poſitura, terra non peculiarem iſtum influxum cœli ſtellarumq; qui homines produxerat, ſortiatur. Ita fabulis nugas omnium nugaciſſimas, nempe Aſtrologicas aſſuunt. Ut ut verò conſtat Solem & Lunam ad eadem Cœli puncta rediiſſe, atque ita eodem planè modo diſpoſitos fuiſſe; reliquorum autem ſiderum influxus uſque adeo perexiguus eſt, & à loci varietate tam parum immutatus, ut prorſus inſani fuerit tam inſignem Cœleſtis influentiæ mutationem diverſæ ſiderum poſituræ adſcribere. Ita quanquam fixa ſydera ob eorum in Orientem motum aliquot menſibus tardius quàm antea exoriantur & occidant, nihilominus anni tempeſtates, generaleſque mutationes non omnino retardantur, nec quicquid variantur: ſed eâdem, quâ prius, proportione permanent, Soli utique ejuſque per Zodiacum diſcurſui alligatæ. Conſtat porrò Solem & Aſtra non aliter in terram agere, quàm motum & calorem excitando, ac tanquam generales cauſas, quæ ad ſpeciales effectus à diverſitate materiæ ordinantur; unde eſt quòd exactè eaſdem plantas, ubi diverſa eſt cœli poſitura, terra proferat; idque iis in locis, quos cœli facies prorſus contraria reſpicit; cum igitur nõ obſtante variâ immò adverſâ cœlorum poſiturâ alia in oppoſitis terræ plagis eodem planè modo oriantur, quorſum inde tam inſignis quoad vim animalium procreaticem mutatio naſceretur, ut ne quidem tentamenta eorum, quæ priùs adeo exquiſitè elaborarunt, moliri valeant? tantum enim abeſt ut jam hominem progignant, ut non ſint quamlibet hominis partem, puta oculum, veſicam, uterum procreando. Adhæc fac diverſam cœli poſituram id effeciſſe, ut quæ Animalium genera primitus orta fuerant, nunquam iterum oriantur, mirum tamen eſt nulla alia aliis formis induta hinc oriri: è vario ſolis calore varias plantas
prolici

prolici comperimur; cur non etiam ex variâ ſtellarum poſiturâ, ſi tam inſignis efficaciæ ſit in animalium productione, variæ rerum novarum ſpecies prodirent? Mirum equidem ſi, quæ tam innumera tam merifico artificio olim protulerit, jam nihil neque tale neque ſimile valeat. Quid & denique an non mirandum eſt tam inſignem mutationem in hiſce animalibus producendis diverſitate cœlorum factam eſſe, nec tamen in aliis, quæ ſponte orta eſſe reputant, ullam vel leviuſculam mutationem fieri? Quid autem multis? tantillum eſt, quod confert cœli poſitura, ad illius vires & influentias, ut præter omnem omnino rationem ſit tantam influentiarum varietatem variæ Cœli poſituræ tribuere. Ut profectò non minùs ſtupidè quàm futiliter delirare videantur *Cardanus*, *Pomponatius*, *Vaninus*, aliique ejuſdem farinæ homines, cùm omnia ab orbe condito miracula ad certas Cœlorum Poſituras, & Planetarum conjunctiones referant, quaſi tam ſtupenda prodigia operari potuiſſent, quæ aut nihil aut perexiguum in ipſis anni tempeſtatibus immutare valeant: Sed verò nugæ hujuſmodi aſtrologicæ, ut & ipſa aſtrologia adeo plenè, ſolidè, & ingenioſè Magno *Gaſſendo* diſſlantur, ut poſthac prorſus deſierint Athei, ſi ſapiant, aſtrologiam in Atheiſmi patrocinium accerſire; ſed potius aniculis nugas tam aniles relinquere. An addam, ſi tam præclara opificia fortuitâ particularum agitatione conflari demum potuiſſent, mirum videri Chymicorum filios, qui tam variis & penè infinitis modis materiæ particulas exagitant, commiſcent, volvunt, revolvunt, nunquam adhuc hominem, equum, aut quemvis alium animantem creaviſſe, præſertim cum quidam eorum hâc in re tandiu deſudarunt? Gloriatur quidem jactabunda *Paracelſi* familia hominem extra uterum fœmininum ex ſemine ritè & artificioſè foto efformare ſe poſſe; at quàm vanè, ipſi experiendo didicerunt.

Phyſ. ſect. 2. lib. 6.

Arguere porrò liceret ab innumerabilibus periculis, quibus continuò objicirentur iſti terræ filioli, interrogare poſſem qui

 fieret,

fieret, ut frigore nocturno, roris delapsu, pluviarum frigiditate non labefactetur materia vesiculis, quas fingunt, inclusa; cùm satis liquet seminalem hominis materiam frigore affectam esse generationi minimè idoneam? Quî fit, ut caloris tam insignem inæqualitatem, quæ inter mediam diem, noctemq; intervenit, tam impunè paterentur, cum calor in utero gestis æquabilis esse debeat. At in aquis (inquies) enascuntur prægrandia animalia, & insecta non obstante caloris inæqualitate, pluviisq; copiosis satis commodè ubique procreantur. Quod equidem perinde est, ac si vitem Cypream, aut plantam sensitivam intra aquas, aut prope à Polo Boreali commodè succrescere & enutriri pertenderem, quia ibi locorum aliæ plantæ germinare solent: Quòd enim semina Piscium & Insectorum frigore aut humore non lædantur, à peculiari illorum consistentiâ oritur, at vero compertum est materiam, è quâ corpus humanum demum efformari possit, ejusmodi esse consistentiæ, ut frigus ferre nequeat. Itaque si jam a frigore aut pluviâ labefactarentur, & infœcunda fierent, cur non & idem olim ab iis paterentur, cùm necesse sit ut ex consimili materiâ consimili modo dispositâ & fermentatâ oriantur animalia? Adde quòd materia seminea frigore aflata ideo infœcunda evadat, quòd indè fermentatio partibus conformandis necessaria impediatur, atque igitur non aliter olim quam hodiè frigore & pluviis labefactaretur. Quod pariter de æquabili caloris gradu dicendum est, naturali enim necessitate postulatur, quoniam, si modo vehementior sit, fermentationem nimiam, motumque magis quam par est turbidum cieret, si modò imbecillior, fermentationem justò languidiorem efficeret, atque ideo materia modò solis meridiani radiis modo mediæ noctis frigori exposita, eam fermentationem adipisci non posset, quâ demum in hominem conformaretur. Sed quorsum plura, quippe si hujusmodi omnia prosequerer, in immensum excurrendum esset; satis superque sunt, quæ peregregiè disseruit *Lactantius*.

Videamus

Videamus (inquit) *tamen, an id ipsum quod dictitant, fieri potuerit, ut homines nascerentur è terrâ? si consideret aliquis quandiu, & quibus modis educetur infans, intelliget profectò non potuisse terrigenas illos pueros sine ullo educatore nutriri. Fuit enim necesse quampluribus mensibus jacere projectos, donec confirmatis nervis movere se, locumque mutare possent; quod vix intra unius anni spatium fieri potest. Jam vide, utrumne infans eodem modo, & eodem loco, quo est effusus, jacere per multos menses valuerit. An non humore illo terræ, quod alimenti gratiâ ministrabat, & sui corporis purgamentis in unum mistis obrutus, corruptusque moreretur?* Et quæ deinceps aliquantò uberius perorat. Lib. 2. c. 12.

Cæterum Ego istiusmodi plura afferre supersedeo, non solùm ne justò prolixior sim, sed etiam quòd non omnino talibus ratiociniis opus esse videatur; quippe tam præclara & admirabilis est corporis humani structura, ut nullo quocunque casu, sed solâ Providentiâ fieri potuisse ipsa clamet. Quorsum igitur fusiùs istiusmodi commenta aliunde labefactatum irem, cum res ipsa tam perspicua sit, & in quo nulla dubitatio esse potest, ejusmodi omnium elenchus. Nam etiamsi fingamus massam aliquam carneam temere & casu intra terram fieri potuisse, an idcirco tam mirabilis corporis humani machina extrui potuisset? Quippe si quis illam seriò respiciens perpendat quàm affabrè efformetur, quàm innumerabilis sit in eâ partium multitudo, & varietas, quantus organorum apparatus, quam congrua singulorum dispositura, magnitudo, figura, proportio, situs, quàm concinna & utilis adinvicem connexio, quàm commodè singula ad suas functiones destinentur, quanta quàmque provida functionum varietas, quàm præclarè partibus omnibus absolvatur, quàm denique stupenda sint in eâ omnia; nihil enim est, quod in stuporem rapiat, quin id corpus humanum prodat, sive sit elegantia, sive utilitas, sive varietas, sive symmetria, sive subtilitas, sive quidvis aliud; nihil est, quod Artificis solertiam, industriam,

 artem

artem, sapientiã laudat; vix quicquã, quod à fortunâ & temeritate abhorret, quin corpore humano reperiatur: Quid enim in corpore imprudenter constitutum? quid non concinnè? quid non affabrè? quid non optimè? si inquam quis ad ista omnia attendens in fortunam tamē qualemcunque refundere sustinuerit, dignus profectò est, qui Atheismi vesaniæ damnetur; si enim vel unam rationis micam habuisset, non potuit quin à tali suspicione vehemēter abhorreret. Ecquis enim adeò vecors aut mēte captus, ut si fortè in hominis effigiem incidat, temere, nullâ arte, nullo consilio depictam esse arbitretur? Quis non statim pictoris penecillo delineatam fuisse inferret, tametsi nulla alia præter ipsius rei elegantiam ejus vestigia deprehendat? Quis *Zeuxis* tabellas fortunæ manibus elaboratas fuisse diceret? Quorsũ verò Artificũ solertiam demiramur, si bruta sit Natura, suique consilii nescia? Quorsum ex picturæ elegantiâ pictoris ingenium & industria laudatur, si naturæ opera causâ ingenii experte extruantur? Si verò ex corporis humani imagine Pictoris ingenium celebretur, quantò potius ex ipso corpore immensam Numinis sapientiam obstupescere oportet; ista enim tantum ab hominis elegantiâ abest, ut non tam hominis, quàm cuticulæ humanæ umbra sit; hoc autem stupenda prorsus organorum varietate exornatur, quam *Zeuxidis* ars imitari non ausa est. Quot in eo machinæ, quàm præclara cujusque officia, quam opportuna magnitudo, figura, situs, connexio, numerus, quàm congruè singula apparantur, quàm concinuè omnia invicem cohærent, ut tametsi in exiguâ mole innumera unà claudantur organa, tamen tantum abest esse alterum alterius impedimento, ut mutua conferant auxilia, & quodque vicino adjutetur? Brevì tam concinnè, tam solerter, tam appositè, providè, exquisitè comparata, aptata, exornata, ad invicem commissa sunt singula totius structuræ organa, tamque præclara & admirabilis ex omnibus consurgit symmetria, ut ferè impossibile videatur quicquam nisi in pejus immutari posse. Quæ omnia nisi Providentiam satis teste-

testentur, dicant velim quid fingi possit, quod eam luculentius prodat; & vicissim nisi Fortunam planè respuant, quidpiam proferant quod eam tantoperè deprecetur.

Hæc ut plenius evincantur, utinam aliquis cui plus, quam mihi, otii, ætatis, ingenii, Peritiæ anatomicæ suppetit, totius corporis ambitum, & singulas ipsius regiones percurrens quicquid in iis artificii & solertiæ exhibeatur, explicaret. Quod opus quam illustre foret, Philosopho pio & Christiano quàm dignum! Cujus quidem specimen exhibuisse *Galenum libris* 17 *de usu Partium* pernotum est; quod opus quanquam præclarum esse fateor, non tamen adeo divinum, ut ἐνθεαστικῶς conscriptum videatur; sed potius tale semper visum est, ut insigniter aut emendari aut exaugeri potuisset; Quod dico non ut *Galeni* laudem elevarem, peregregie enim hanc Spartam adornavisse agnosco, tamen post totidem nova in Anatomiâ à *Galeni* ætate reperta certe vir quivis fælicioris ingenii *Galeni* præeuntis ingenio subvectus plus quam ille quamvis alioqui oculatissimus facile pervidere posset. Si quis igitur quicquid solertiæ in quâvis corporis parte reperiatur, exponeret, facilè providentiæ rationes in immensum accumularet, quod illicò perspiciet, quisquis advertat quot sint in corpore membra, & quot in singulis membris Providentiæ argumenta. Exemplo manus esse potuit, in cujus constructione, temperamento, duritie, mollitie, conformatione, positione, magnitudine, connexione peculiares & apertos usus investigavit *Galenus lib.* 1. *de usu partium*, ut *cap.* 5. differit quot usibus inserviant digitales fissuræ, *cap.* 7. quot inserviant ungues, quorum tantam duxit esse utilitatem, ut *Platonem* & *Aristotelem* acriter reprehendat, quòd tam negligenter de unguium utilitate meminerint, *cap.* 8. & porrò, *cap.* 11. magnam in illorum temperamento, figurâ, & perpetuo augmento, etiam postquam jam totum corpus augeri desierit, utilitatem exposuit, tum deinde *capitibus* 12, & 14. de multiplici utilitate officulorum in digitis, eorumque

trium

trium articulationum agit, cur tot articuli, cur tanti, cur hâc figurâ & modo articulentur? *cap.* 13. de carneâ digitorum parte: *cap.* 15. ad mirabilem ossium in digitis articulationem revertit, quæ adeo solers, subtilis, commoda, artificiosa, & omnimodè demiranda videbatur, ut planè pro miraculo habeat; deinceps *cap.* 17. latè & præclarè de tendonum in manu mirâ arte & utilitate agit, ita ut in cujusque mole, positione, divisione, applicatione, insertione, origine solertiam prorsus stupendam eruat; & *cap.* 18. de illius musculorum usu: *cap.* 19. utilitatem motûs lateralis digitorum explicat, idque quoniam istius motûs utilitas quovis alio minor & obscurior videtur, *cap.* 20. de motu pollicis *cap.* 22. de magni digiti usu; *cap.* 23. de numero digitorum, & denique *cap.* 24. de commodis ab inæqualitate digitorum exortis differit. His innumera hujusmodi alia de eâdem re adjicit *lib.* 2. Si verò tanta in corporis veluti appendiculis solertia tam perspicuè exhibeatur, quantam in reliquis illius partibus intueri liceret. Cæterùm ne aut singula memorem, aut rem penitus prætercam, pauca solùm de multis perstringam, nempe ea duntaxat, quæ præ aliis quomodo casu fieri potuissent, expediendo esse se existimant; quòd scilicet si evicerim fuisse ista nullo casu sed solâ Providentiâ effecta, eodem negotio casum & fortunam ab iis abrogaverimus, de quorum fortuito exortu speciales nullas hypotheses comminisci ausi sunt; quippe si casu ista effici nequeant, quæ visa sunt eo modo faciliùs effici potuisse, certè nedum illa, quæ ut casu elaborentur magis arduum & enorme esse in confesso est. Ea autem, quæ in corporis humani structurâ verosimilius quàm cætera explicare videntur, aut cavitates sunt, quæ quoquo modo per corpus excavantur, aut ductus & canales, per quos liquor quispiam fluat. Cujusmodi sunt ventriculus, & intestina; venæ, & arteriæ, nares, & arteria Trachæa; cerebrum, & nervi. De iis igitur brevi dicendum est.

De hist. anim. l. 1. c. 1. De priscis aliquot Philosophis refert *Aristoteles. Ut mundum,*

dum, inquiens, *casu temeritateq; generant, ita quoque de ortu plantarum & animalium sermonem instituunt. Ventrem nempe, alvum, omneq; cibi & excrementi conceptaculum, dum per corpus humor perlaberetur & rueret, effectum fuisse: & nares ex rupto patuisse, cum spiritus sive flatus transmearet.* Quanquam autem aquæductus omnes à fonte aliquo emicent, tamen non sollicitè disquiram, unde scaturire potuissent aquæ, quæ per canales œsophagi, ventriculi, intestinorum, laberentur: sed fingam humorem aliquem corpus perfluxisse, qui canalem sibi efformare potuerit, & in sinus subinde flectere, atque aquæductus, quales aquarum lapsu effici solent, excavare. An vero potuerit statim, tam concinne œsophagi tubum terebrare, & tam extrorsum, quàm introrsum expolire, ac multiplicem tunicarum texturam conflare? Potueritne vario fibrarum genere intertexere? Quippe etiamsi fingatur (solum enim fingi potest, fieri non potest) aquæ præterfluxum fibras elaborare potuisse, tamen, quomodo diversimodas & varii sitûs efficeret, fingi nequit: quippe an non dum rectas radiaret, obliquas & transversas obliteraret, & vice versâ? Quin verò quî pote ut recto per œsophagum decursu radios obliquos omnino delinearet? Quæ pariter de ventriculi & intestinorum fibrillis dicenda sunt. Potuitne Stomachi ambitum ad cibos excipiendos,& ut nutritioni apti fiant, elaborandos, adeo provide comparatum tam scitè excavare? cur non potius simplici eodemque tenore deorsum flueret? quinam obstitere obices, ut ibi sese in ambitum diffundere cogeretur? Aut si quid obstiterit, quorsum per œsophagum rursus non reflueret? si vero intestina etiam aperiret, cur non in fundo ventriculi, parteve œsophago directè subjectâ, ubi aqua in stomachum rapidius irrumpere fingitur, siquidem ex eo exitum vi non sæpe cadendo excavari fingendum est? Quo insuper casu cum per partem sinistram ingrediatur, exitum ad dextram aperiret, idque in elatissimâ stomachi regione? Quin & potuitne ventriculum

triculum tam concinnâ fibrarum varietate delineare, alias in orbem, alias in rectum, alias in obliquum ducere? Potuitne utrique ejus orificio adeo exquisitè sphincterem tantoperè debitæ ciborum excoctioni utilem circumjecisse? An & potuit succus acidus, cujus vi alimenta exolvuntur, solo casu præsto esse? Potuitne quoque animalibus organa non habentibus, quæ cibum comminuere & manducare possent, ita providè illorum defectum duplici stomacho compensavisse, nempe quorum alter masticationis opus alio ritu peragat, cibumque alteri præparet? An cœca fortuna esse potuit, quæ adeo providè & sapienter operaretur, & semper pro rei necessitate diversa consilia iniret? Insuper quanquam aquæ defluxus canalem excavare potuit sinubus aliquot intortam, an idcirco intestina tot convolutionibus & gyris invicem complicata efformare? Quomodo toties supra se diversâ tamen canali redire potuit, nisi prius fistulæ, per quas remearet, comparatæ fuerant? Quorsum etiam per quàm plurimos gyros delata, illico vestigia verteret, & sursum denuò ad usque ventriculum perreptaret? Possetne quoque sphincterem adeo opportunè ano circumfundere, aut motum peristalticum fœcibus deorsum per tot in sese redeuntes anfractus, quibus excrementa alioquin hærerent, proliciendis ciere? Sed & quamobrem, si aquarum è stomacho effluxus intestina excavarit, aqua è stomacho effluens per illa non exeat? Proinde quomodo aquæ præterlapsus valvulam colo juxta ileum adeo providè adnatam efformare potuit, cum illius apertura in eandem viam pateat, quà tenderet aquarum defluentium impetus, ut aqua potius pendulam tunicam intestini, cui adhæret, lateri affigeret? Vix profectò quidquam effici potuit, quod evidentiori sit hujus commenti elencho, ut pene eo consilio effecta videatur, quò id redargueret; nullo enim commento unquam efficient, qui liquoris cujusvis præterfluxu efformari potuit. An denique fortuitò & solo præterlapsu tam numerosos lactearum meatulos in intestinis efformare potuit, eosque eâ

magni-

magnitudine, juxta & figurâ, ut ſolas particulas tenuiores, craſſis fœcibus relictis, admittant? An & potuit numeroſas valvulas providè comparatas, ne liquores ſuſcepti ad inteſtina refluant, paſſim dictis vaſculis appendere? Potuitne ſponte nullâque provindentiâ conducta ſurſum recto & ſimplici meatu emergere, longoq; ductu aduſque Thoracem perreptare, ut in venas ſubclavias ſeſe exoneret? Mehercule iſta omnia ſi caſus poſſet, nihil eſt quod non poſſet. Verumenimvero, quanto ſatius eſſet omnia ad cauſam referre, quæ ad ſingulorum munia reſpexerit; intelligens nempe animalia ſtatim atque naſcuntur, niſi nutritione continuâ ſubinde ſuſtententur, & exaugeantur, interitura eſſe, os idcirco aperuerit, ut cibum excipiant; gemino dentium ordine inſtruxerit, ut exceptum comminuant; quibus autem iſta organa non paraverat, iis illorum abſentiam duplici ſtomacho compenſarit, ut alimentum in altero quadantenus exolutum, alteri demandetur: œſophagi ductum omni fibrarum genere intertexuerit; rectis, quo melius ad cibum excipiendum dilatetur; tranſverſis, per quarum conſtrictionem in ventriculi ambitum protrudatur: Ventriculi cavitatem (* *ſine quâ alimenta ſunt inutilia, in nullamque rem animali commoda*) in figuram fere omnium capaciſſimam elaborarit, ut commodius cibum capiat, & retineat; atque ita omni modo inſtruxerit, ut publicæ coctionis culina & promptuarium foret, cibumq; ingeſtum eo uſque excoqueret, dum nutritioni aptus ac habilis fieret; & propterea illius orificium inferius non directè ſuperiori ſubjecerit, ſed cum alterum parti ſiniſtræ connectatur, ut alterum non modo in dextro latere ſed & elatiori illius parte ſitum eſſe providerit, ne, ſi in fundo ſitum fuiſſet, cibi incumbentis pondere ſeſe aperire ſtimularetur, incoctumque elabi permitteret: Utrumque inſuper fibris orbicularibus donaverit, ut ſeſe exactè & occludere & reſerare valeant, ut ſtomachus utrinque clauſus, commodius ſuo munere defungatur; quippe ſi apertus foret ſurſum, calor & ſpiritus

* *Galen. de uſ. part. l. 4. c. 1.*

M

spiritus elevati dissiparentur; si deorsum, alimenta, priusquam ritè excoquerentur, intestina subirent; Inferius tamen orificium laxiùs constringi provisum est, ut chylo leviter pressum, eum effluere permittat: stomachum porro tribus, iisque validis membranis conflaverit, ut robustus ad perferendas difficultates & onera foret, quod exigeret officii ratio, ut quandoque duris, gravibus, & asperis prematur, & magnoperè distendatur: Omni fibrarum genere contexuerit, quibus, prout opus fuerit, variè à regione supernâ aut infernâ constringatur, & dilatetur; ut commodius alimentum excipiat, exceptum retineat & concoquat, concoctum protrudat, ciboque defunctus & exinanitus se contrahat: fibras per omnes intestinorum convolutiones ad usque anum exporrexerit, ut quarum indesinenti motu intestinorum vermiculatio ab usque pyloro ad usque rectum continuata fœcibus deorsum urgendis peragatur, quæ quidem isti muneri adeo appositè aptari videntur, ut nihil exquisitius aut excogitari aut apparari posset: Prospexerit, ut in ventriculi fundo scateret liquor acidus, cujus vis exolutrix potissimum concoctionis opus conficeret: eumque pluribus circumquaque veluti foculis scitè admodum circundederit, supra corde, solo diaphragmate interjecto; subtus pancreate & intestinis; anterius omento; ut & dextrosum hepate; sinistrorsum liene; posterius Aortâ venâque cavâ; quorum calore egregiè in concoctionis negotio adjutatur (istis enim male affectis malè concoctione defungitur:) Intestina numerosis convolutionibus hinc inde antrorsum, retrorsum, sursum, deorsum, quoquoversum circunduxerit, tum ut prolixo transitu succi nutritii à fœcibus secernantur, tum ut ne continuâ fœcum expulsione interpellemur; quæ porro anfractus hosce majores variis ubique plicellis tornaverit, ut chylum præterfluentem, quo commodius venulas circumcirca consitas subeat, remorentur: quæ etiam valvulam intestinis appenderit, quæ fœces & flatus cohibeat, ne sursum remeare valeant, quæ quantilla videatur,

deatur, tanta ſanè illius exiſtit commoditas, ut eâ læſâ neque pauci neq; parū moleſti ſunt, qui ſequerentur morbi: meatū ab hepate ad inteſtina deduxerit, qui in iis bilem transfunderet, non modo ut ipſa extra amandetur, ſed & ut ad fœcum expulſionem inteſtina ſtimulet, & urgeat: ſphincterem ano circumjecerit, ne recrementa ſponte, inopinatò, & continuò effluant: Inteſtinis omnibus mirâ arte meſenterium intertexuerit, ut illa ad invicem colligaret, tutiuſque ductus ſanguiferos ad illa deduceret: omentum elaborarit, ut omnia alioquin debilis caloris contegat, blandèque foveat, quod idcirco (ut ſubnotat *Galen.*) Corpus denſum ſimul & leve & calidum: denſum quidem ut intus includat innatam caliditatem: leve autem ut ſine dolore & compreſſione calefaciat: calidum quia tale oportuit eſſe, quod gratiâ calefaciendi factum *fuerat*, & proptereâ denſè vaſis, ſanguiferis conſitum videtur, & copioſo ſanguine perfuſum: In inteſtinis circumquaque tam innumerabilia venularum oſtiola efformarit, quibus quicquid nutrimenti in chylo ſit abſorbetur inde ad commune ſtagnum & promptuarium deferendum, ex quo ſurſum ductus ſcitè flexerit, eo uſque perducens, ut chylum in ſubclavios effunderent, & fortè in hepar aliaſque corporis regiones: quin & valvulas ubique in iis condiderit, præſertim in ductu à communi receptaculo ad ſubclavias aſcendente, quò certius chyli delapſum inhiberent. Quis non viderit cauſam, quæ perſpexerat, quòd poſtquam per os excipiatur cibus, ſtomacho apparetur, in inteſtina protrudatur, fruſtra eſſe niſi diverticula alicubi pararentur, in quæ particulæ nutritiæ illaberenter; tot porulos ſubtiliſſimo artificio inteſtinorum lateribus inſeruiſſe, qui tenuiores ad ſe particulas alioqui unà cum fœcibus deturbandas raperent. Ipſa denique vaſa ſuccum nutritium convehientia, ſive nervi ſint, ſive ductus ſanguiferi (utroſque enim corpori alimentum ſuppeditare pluſquam opinari perſuaſit eruditiſſima viri Illuſtriſſimi eâ de re diſſertatio) potuerene adeo inviolabili con-

De uſu part. l. 4. c. 9.

D. Dr. Willis *de cerebr. anat. c. 20.*

ſtantiâ in varios diffindi ramos, & deinceps in innumerabiles ſpargi ramuſculos, ut ſingulis partibus alimentum impendant, niſi Authoris ſapientiſſimi operâ & conſilio? an non ſtuporem creat, ut in partium innumerabili multitudine, quarum multæ perexiguæ ſint, ad ſingulas nutrimentum deferatur, idque non modo per ſubtiliſſimos canales, ſed etiam à diſtinctis fontibus, ita ut quanquam vaſa ſanguifera ſurculos ſuos in aliquam partem ritè diſſeminarent, niſi etiam capillares nervorum ramuſculi eandem ſucco nervoſo irrigarent, neque nutriri neque accreſcere poſſet; & verſâ viſce, niſi arteriæ ſurculos in partes ſingulas, ad quas pertingant extremæ nervorum propagines, ſpargerent. Tantam in tam ſtupendâ ſubtilitate varietatem, conſtantiam, utilitatem, quis niſi mente exutus ad temeritatem referret? Deum immortalem, quod quis tantâ petulantiâ uſquam extiterit, qui tot phœnomena adeo ſcitè, providè, ſubtiliter inſtituta ſolo fortuito liquoris alicujus præterlapſu effecta fuiſſe ſeriò dixerit, potiuſquam à cauſâ aliquâ, quæ ad illorum uſum, & neceſſitatem reſpexerit! Quippe etiamſi præterierim quæ de dictarum partium venis, arteriis, nervis, muſculis, glandulis, aliiſque urgeri poſſent, tamen hinc totidem proſtant Providentiæ ſpecimina, inde nihil quod caſum ſapiat, innumera autem quæ caſu & temeritate extrui reſpuunt, ut nihil ſit neceſſe rem exaggerare, plus ſatis eſt vel quidem ſimpliciter narrare.

Sic deinceps egregiè ſe arteriarum & venarum exortum deduxiſſe arbitrantur, cum ad liquorem externo calore dilatatum, & fuſum retulerint; in cujus colliquamenti centro punctum ſaliens (quod corculi rudimentum eſt) emicaret, ex quo (cum rarefactum quodque amplius ſpatium quàm antea expoſtulet) radii ſanguinei erumpentes arteriarum canales ſibi fabricarent; ſanguis autem ad ambientem cuticulam ſibique imperviam pertingens, neque ulterius pergere valet, neque per eaſdem vias ob continuam à tergo propulſionem

redire

redire poteſt, atque idcirco novas ſibi efformat, per quas in eundem locum, unde egreſſus eſt, rediret.

Fingamus igitur potuiſſe humores, ubi fluere incipiunt, vaſculum quodpiam efformare ; an idcirco exquiſitam adeo cordis fabricam efformare potuiſſent ? Potuerene duplicem in eo ſinum in animantibus, quæ reſpiratione indigent, extruere, unicum vero in iis, quæ non reſpirant ? An non potius cauſa aliqua dextrum adjunxerit, ut inde ſanguis in pulmones reſpirationis cauſâ deveheretur ; quibus autem nihil neceſſe erat ſanguinem è corde in pulmones deferri, iis dextrum ventriculum, cum otioſus foret, nullique uſui inſerviret, non addiderit ? Nihil equidem apertius Providentiam clamat, quàm operandi varietas, prout rei exigentia poſtulaverit. Quo præterea caſu membranam [pericardium] cordi circumduxiſſe potuiſſent, ut in eâ aqua concluſa cordis fervori alioqui fortè immoderato moderando inſerviret ? Nunquid inſuper potuere per cordis ſubſtantiam tam exquiſitè varias fibrarum ſeries moliri, ſingulaſque ordinatim intexere ? An non potius cauſa aliqua illas ibi diſpoſuerit, ut principium foret perennis ſanguineæ circulationis, ut nempe ſanguine influo exagitatæ & diſtenſæ cordis latera diducerent, ut horum compreſſione ſanguis in Aortam explodatur, qui ſibi proximum in remotiores arterias propellat, dum ſenſim ex arteriis in venas propulſum fuerit, donec per eas ad uſque cor demum repellatur, quo circuitu Animalis vita conſervatur ? Rurſus potuitne præterfluens humor auriculas ſeu cucullos appoſitè adeo ad cordis baſin collocaviſſe ; aut adeo mirabili varietate valvulas ad cordis orificia appoſuiſſe ? Ad quemnam caſum referent, ut quæ valvulæ dextro ventriculo, ubi ſanguis cor ingreditur, efformantur, intus pateſcant ; ut quæ ad venam arterioſam, per quam ex corde ſanguis in pulmones defertur, prioribus contrariæ foras reſpiciant ; ut mutatâ vice quæ ſinûs ſiniſtri orificio adnatæ, ubi ſanguis per arteriam venoſam in dictum ſinum deportatur, rurſùm

rursum intus aperiantur; ut denique quæ sanguinis è corde in Aortam explosi reditum impediunt, contrariæ rursus pendeant, nempe foràs patulæ? Quam stupidæ proterviæ est sapientissimum Artificem non agnoscere, qui illas tam opportunâ varietate disposuerit; ut quæ intus respiciunt, tum sanguinis in alterutro ventriculo rarescentis regressum excipiant, tum ulteriorem sanguinis influxum inhibeant, ne cor nimis copioso afluxu obruatur, & propterea non aperiuntur, priusquam sanguis antea cordi illapsus exprimatur, ut eodem pene momento, quo illæ occluduntur, contrariæ, quæ foràs spectant, sese sanguinis egressui aperiant, mox rursum clausæ, ut emissi refluxum impediant; quibus clausis, ut mox alteræ intus hiantes alternatim pandantur, ut proximus sanguinis fluctus corde excoquendus infundatur: atque ita mirabili alternatione omnia cordis orificia custodiunt; adeo ut absque illis, & alternatim variato illorum situ foret, neque sanguis ritè corde excoqui posset, neque circulatio omnino peragi: sed quodque animal statim atque nascatur, suffocaretur.

Deinde cum dicunt vasa sanguifera liquoris præterfluxu efformata fuisse: quid dicent de vasis pulmonaribus, quæ priusquam quidquam per ea transeat, extruantur: sed detur humores potuisse sibi canaliculos præterfluxu excavare; verùm an ideo potuerint fistulam sibi circumducere, eamque tam exterius quàm interius lævigare? Cur venis tunicam simplicem, eamque tenuem & mollem; arteriis propiùs à corde sitis duplicem, multò que crassiorem & solidiorem elaboraret? an non potius ab aliquâ causâ id provisum fuit; quæ sanguinis motum in arteriis longè vehementiorem fore noverat, quàm in venis, atque idcirco eas duplici tunicâ, earumque alterâ valdè crassâ & validâ donaverit; ut ne sanguinis ex corde effusi, immensùmq; rarescentis vehementiâ summoperè tensa & agitata facile dirumpi aut laxari posset; quemadmodum tunicas venarum tenues mediocri impetu dirumpi experimur, ut & ipsam laxari Aortam, si solito validior sit cordis palpitantis

tantis motus; & propterea nisi providè admodum Aortæ valida daretur tunica, facili & ferè inevitabili ruptionis periculo obnoxia fuisset. Quod vero inquiunt liquorem corde fermentatum in fluxu materiam crassiorem ad latera propellere, è quâ demum arteriæ, & venæ constitutæ sunt: quoniam autem prope cor fermentatio validior est, idcirco plus materiæ ibi accumulat, & densiorem tunicam efformat, sensim autem languescens minorem crassæ materiæ portionem ad latera propellit, unde validiores evadere arteriarum tunicas, utpote cordis foco propiores, tenuiores venarum, utpote remotiores. Præterquam autem quòd ne ista temere evenire possent, quòdque vasa pulmonaria isto pacto non fabrefiant, siquidem facta sunt antequam quidpiam humoris per illa fluat, præter hæc inquam exinde aperte redargui videtur commentum istud, quòd isto quidem casu venæ quò arteriis propriores, eo crassiores forent; quo remotiores eò magis attenuatæ, atque ita vena cava omnium tenerrima evaderet, cum longissimè ab arteriis & fonte fermentationis amoveatur, cujus tamen contrarium contigisse notum est, quod & monuit vir doctus *Anthon. Everard, libello de Hom. brutique exortu.* Præterea quid quod venæ mediocri temporis intervallo efformentur antequam arteriæ? Ut testes sunt αὐτόπται non modo jam laudatus Author, sed etiam qui instar omnium *Illustriss.* Harvæus *de Gener. Animal. Exerc.* 18. ut & *Lambert. Velthusius tractatu de Generatione cap.* 9. *Regius Philos. Natur. l.* 4. *c.* 14. An insuper nihil Providentiæ est, quòd cum venæ arteriis semper incubare soleant, tamen cavæ truncus descendens quandiu à vertebrarum duritie & corporis crebrâ flexione periculo obnoxius sit, infra arteriam se subducat, seque ejus incubitu ab injuriis tueatur; quòd eo periculo cessanter, protenus emergat, &, ut solet, arteriæ incumbat? Nihilne est quod vasorum divaricationibus glandulæ apponantur, neque tamen omnibus, sed iis, quæ aliàs ruptioni perquàm obnoxiæ forent? Potuerene valvulæ passim intra venas

venas consitæ tam affabrè, tam commodè solo præterfluente humore fieri? Age quomodo à venarum tunicis membranulas abradere potuisset? si quidem illarum orificia contra sanguinis fluxum paterent, fingi potuit à venarum tunicis sanguinis impetu avulsas fuisse; verùm ita sitæ sunt, ut cum sanguinis fluxu conspirent, & eò semper, quò tendit sanguis, patulæ respiciant; ut si sursum fluat, sursum & illæ patescunt, si deorsum, in eandem viam istæ quoque respiciunt. An non exinde potius fiat argumentum à provido corporis Conditore factas fuisse, ut sanguinis refluxum intercipiant, & propterea non per lineam rectam se invicem eidem lateri appensas excipere, sed si superior situm sinistrum habeat, proxima inferior ad dextrum disponitur, ut si quid altera elabi siverat, alterâ sisteretur? Quid etiam an fortuitò poterit humor fusus in singulas totius systematis regiones adeo mirabili ordine se dirimere, & cuique opportuna ac debita impensa dispensare, adeoque sibi vias in ipsis ossibus excavare? An non potius cum vias per ossa, præsertim Calvariam inveniant, exinde manifestum fuerit variis illa hinc inde foraminulis fuisse perforata eo duntaxat fine, quò sive venulæ, sive arteriolæ, sive denique nervuli per ea insinuantes in varias undique corporis regiones ipsorum indigas propagentur. An & temerè potuissent minimuli quique surculi ad præclarissimos usus distribui? Profectò si quidquam in toto corpore temerarium nulliusque consilii videatur, id quidem de extremis & capillaribus vasorum surculis suspicari licebit; tamen etiam in ipsis usus incomparabiliter eximius cum subtilitate certare videtur; sic quanquam adeo perexiguæ sint vasorum sanguiferorum propagines, quæ cerebrum subeunt, ut omnem fere oculorum aciem illudant, tamen nisi constanter forent passim per cerebrum diffusæ, materiamque spiritibus generandis adferrent, non modo brevi flaccesceret cerebrum, sed facultas spiritus generandi, quorum virtute vivitur, interiret; & quantâcunq; alioqui solertiâ

lertiâ cæteræ totius ſtructuræ partes elaborarentur, ſi iſtæ tantillæ propagines deeſſent, quàm citò ſequi totius interitum neceſſe eſſet. Quid quod adhuc mirabilius videatur, ut dictæ propagines per totum ἐγκέφαλον in varios ubique plexus ſtupendæ quidem tum ſubtilitatis tum utilitatis complicentur, ut nempe puriores ſanguinis portiones per meandrulos iſtos oberrantes diuturniori morâ & anguſtiore tranſitu adeo uſque concoquantur, atque ad tantam ſubtilitatem & puritatem elaborentur, ut demum ſpiritus puriſſimi, qui ſoli animali vitam & vigorem ſpirant, evadant.

An denique potuit latex præterfluens organa ſanguini repurgando dicata adeo appoſitè inſtituere? Nullo conſilio vaſa emulgentia ſecedunt? caſunè tam opportunè Renes extruuntur? caruncula intus habent? caſune in eas ſurculi emulgentium capillares deſinunt? caſum ejuſmodi poris perforantur, ut inutile ſerum effluat, ſanguis non effluat? Quorſum urina per renes percolata per liberum & apertum ſpatium non decidat, niſi cauſa intelligens eo fine ureterum fiſtulas comparaverat, ut ſerum in veſicam deferrent? Potuitne urina guttatim deſtillans veſicam pendulam tantæ capacitatis conficere? & cur membranoſam, cur fibris tam vario ritu extructis contextam, cur ſphinctere ad exitum conſtrictam? Quid deinceps nihilne eſt veſicæ fundum urachi beneficio ſuſpenſum detineri, ne in cervicem decidat? Rurſum an hepatis viſcus caſu concrevit? ſi ita, an & caſu ejuſmodi conſiſtentiam adeptum eſt, ut ſolas bilis fœculentias percolare permittat? an inde ductus bilarius temerè ad duodenum derivetur? An non potius cum alioqui humores excrementitii ſanguinis craſin depravarent, varia organa extruxerit providus Conditor, quibus è puriori ſanguine varia excrementa per peculiares ductus exportanda ſecernerentur? ſpeciatim ut particulis ſeroſis exueretur ſanguis, renes fabricatus fuerit, poruloſque in iis effecerit ejuſmodi figuræ & magnitudinis, ut non niſi particulas ſeroſas, quas nempe à reliquis ſecerni ſummoperè

intereſt, excipere poſſint: ureterū tubulos ſero ad veſicā convehendo efformaverit, iiſque adeo amplam & capacem veſicæ cavitatem ſuppoſuerit, ut urinam defluentem ſuſcipiat, aſſervet, quouſque expellere vacet: & idcirco ne urina in ureteres regredi queat, illos tortuoſo admodum ductu veſicæ inſeruerit, eique membranulam tranſverſam obduxerit, veſicæ fundum umbilico alligarit, totius ambitum muſculo quodam incluſerit, qui veſicam conſtringendo non parum ad urinæ expulſionem conferat; cervici ſphincterem circumduxerit, ne urina aut continuò aut involuntariè effluat. Qui denique in hepatis parenchymate meatus adaptari particulis biliofis analogos providerit, ut dum ſolæ ejuſmodi particulæ ingrederentur, à reliquis ſeparari poſſent; quod tantò mirabilius quoniam humor felleus ejuſdem pene ſit conſiſtentiæ cum ſanguineo, ut ſtupenda ſit artis ſubtilitas, quæ alterum ab altero ſecreverit: Quiſquamne artificum inſtrumentum colatorium excogitare valuit, quod alias particulas tranſmittat, alias tametſi ejuſdem molis reſpuat? ſed ſemper obſtupeſcit Artis ſolertia, quoties Naturæ opera moliri aggreditur. Tam admirabilis quidem ſanguiductuum eſt concinnitas, ut eos undis temerè per campos fluitantibus comparare, perinde ſit ac ſi aquæductus hortorum regiorum ornamenta, ſupremâque Artificum peritiâ & induſtriâ conſtitutos ſine Artis auxilio fieri potuiſſe argueretur, quoniam ſic oriuntur ſontes, qui paſſim per prata proſiliunt.

Ad id, quod dixerint nares impetuoſâ ſpiritus eruptione diſcruptas fuiſſe adeo plenè & ingenioſè pro more ſuo diſſeruit *Illuſtriſsimus Gaſſendus*, ut omnino fruſtra foret, qui quidquam aut additum aut emendatum iret: propterea mallem ipſum exſcribere, quàm quidpiam induſtriâ in nihilum profuturâ de proprio commentari. Sic igitur ille. Sunt ſatis feciſſe rati cum dixere nares à ſpiritu prætermeante diſruptas fuiſſe. Verum potuerit ſpiritus aliquam partem effringere, an ideo tamen potuit aſperam arteriam Formare, illamque

Phyſ. ſect.3. memb poſt. lib.2.c.8.

prius

prius pervadere? Et, cum os ipsum satis patuerit ad eruptionem spiritûs, nonne esse potius ea causa debuit, quæ prospexerit, ut quoniam aliquando os clauditur, apertæ paterent in subsidium nares, quibus interim spiritus induceretur, educereturque? quòd si eæ solâ spiritûs vehementiâ fuere disruptæ; cur non disruptus fuit sursum nasus, potiusquam cum illâ deflexione in basin; commodâ aliunde, ut cum inductione spiritus odor in olfactum feratur? si fecit aliunde spiritus eruptio hujuscemodi aperturam; cur non ita sursum arteriam aperuit, ut epiglottidem abduceret, & non ipsam relinqueret, quæ appositè adeo immissioni cibi, potusque per arteriam obstaret? Sed & ipsa arteria, nonne cum annellis cartilagineis fuit roborata, idcirco id fuit, ne flaccesceret, & via spiritus, cujus est ad vitam perpetuus itus, atque reditus necessarius, ex meatus collapsu intercluderetur? & cum hi annelli fuere complanati quâ parte arteria contingit œsophagum; nonne esse debuit causa, quæ prospiceret ne annellorum asperitate teneritudo œsophagi, ac alimento potissimum prætervadente, læderetur? cumque arteria bronchiis variis ita distribuatur per pulmonis substantiam; nonne arguitur debuisse prius spiritum per os, naresq; transire, pulmoni difflando, quàm è pulmone efflatum aut os aperire aut nares diffringere? & quorsum Diaphragma potius non diffregit, & sub medium potissimùm, quà membranaceum est, disrupit? Ipsum vero Diaphragma quamobrem eâ fieri contexturâ potuit, nisi quia cum costæ pulmonem sepientes, neque difflante illo diduci, neque efflante conduci possent, ut inanitatem intra corpus averterent; id præstari per ipsum Diaphragma oportuit; quod per difflationem premens abdomen nullis costis impeditum posset pulmoni cedere; & per efflationem cum abdomine repetere locum relictum. Hactenus ille.

Fingunt denique fervescente massâ particulas subtiliores sponte sursum exilire, quarum copiâ in capite collectâ stagnum quoddam liquoris Chrystallini exoritur, unde porrò innume-

ros canaliculos facile ſcaturire potuiſſe, per que totum corpus diffundi fingunt: Quo liquore poſtmodum in coagulum concreſcente oritur medulloſa cerebri & nervorum conſiſtentia.

Quod igitur, quoniam placet, fingatur. An verò idcirco in ſubſtantiâ adeo molli, & laxâ tam concinnæ ſpirituum, etiamſi ſuâ naturâ agiles, effrænati, & vagabundi fuerint, ſeries & ordines exarari potuiſſent? Quod verò mirabilius, ſi perpendamus cerebri fluiditatem, cum primò ſpirituum ſchematiſmi delineantur: Qui credi poteſt corpuſcula bruta & effrænata in ſubſtantiâ diffluente tam ordinatè diſtinctas ſedes & ordines occupare poſſe, & quaſi peculiaria municipia ſine confuſione tueri, niſi adſit Opifex quidam ſolertiſſimus, qui illa quàmmirifico & incomprehenſibili Artificio ordinaret? Potuerene ſingulæ ἐγκεφάλȣ partes tam admirandis uſibus & muniis defungi? Quid enim ſubtilius, quid ſolertius, quid mirabilius quàm ut ſola illius ſubſtantia corticalis ob peculiarem partium ſtructuram officina ſit, in quâ ſpiritus animales procreantur; ut in cerebro ii ſolùm elaborentur ſpiritus, qui functionibus ſpontaneis deſtinantur: in cerebello viciſſim ſoli fiant ſpiritus functioni cuique animali & involuntariæ famulantes; ut inde ſponte haud conſcio animali, perenni & æquabili effluxu in organa functionum vitalium & merè naturalium diſpenſentur; ut ſpiritus in cerebri parte corticali procreati, inde ſtatim in partem medullarem tanquam publicum emporium ſeſe ſponte effundant, & ibi diſtinctis loculis aſſerventur cujuſque facultatis uſibus pro rei exigentiâ impendendi; ut certo ſpirituum intra cerebrum motu Phantaſiæ, Memoriæ, Appetitûs functiones & actus peragantur; Quin & (quoniam & hoc arbitrantur Athei) ut cœco corpuſculorum motu omnes animæ rationalis ſuperiores facultates exurgant, ut intellectus, vis ratiocinatrix, electrix, ut denique ſumma ingenia nihil aliud ſint quam corpuſculorum temerè coeuntium aggeries; ut atomorum ſtricturæ nullâ arte aut conſilio concinnatæ ſeſe ad intelligendum & deliberandum accingant,

cingant, operationum ſuarum conſciæ exiſtant, & ſeſe pro libitu moveant. Deinceps an non Providentiæ eſt, quod pia mater in cerebri plicas ordinatim ſeſe inſinuaret, partim ut innumeris ſanguiductibus ſcatens ſanguinem ubique cerebro & cerebello in ſpiritus animales elaborandum ſuppeditet, partim ut cerebrum in varias officinas & cellulas dirimat; quò ſpiritus intra proprios cancellos quique coerceantur, & ſingulæ diataxes propria munia quietè obeant, neque ultrò citròque intra aliorum fines evagentur, & alterutrorum munia perturbent, ac confuſè ſeſe aliis ſuſque deque immiſcendo omnium facultatum exercitia impediant? Quod perexiguæ & inſenſiles arteriarum propagines in totius ἐγκεφάλȣ compagem inſinuentur, quòd iſtis obviam fiant venularum ſurculi, qui quicquid eſt ſanguinis ſuperflui exugant? Quòd glandulæ omnibus paſſim vaſis, quæ laticem ſpirituum generationi deſtinatum ſuppeditant intertexantur, ut nempe ſubtilizatis & demum ſecretis ſpiritibus ſuperfluos humores exciperent, ut tandem in communes cerebri cloacas convehantur, atque inde extra cerebri confinia amandentur? Sin verò hiſce ſphongiis cerebrum penitus caruiſſet, ſuperfluis hiſce ſeroſitatibus, quæ facilè ipſius poros & meatulos ſpirituum tranſitui deſtinatos occuparent, prorſus obrueretur, ut in affectibus ſcotomiæ, vertiginis, fatuitatis, aliiſque conſtat, qui plerunque præ nimiâ ſeroſitate eveniunt. Hujuſmodi quàm plurima afferre liceret, ſed è dictis ſatis liquet quàm craſſa & rudis ſit prædicta hypotheſis, ſi cum cerebri ſubtilitate & ſolertiâ conferatur.

Dein fingamus, quod volunt, potuiſſe è cerebro prorumpere nervorum propagines. An verò potuerit citra Opificis præſcriptum tam admirabilis nervorum apparatus in ſingulas corporis regiones, prout iis ubique opus erit, longè latèque diffundi, ut per ipſos tanquam totidem fiſtulas ſpititus animales quaquaverſus in corporis ambitum, vitæ, motûs, & ſenſûs muniis ritè obeundis deferantur? An non ſtupendum

prorſus

prorsus est ut summè proplexa nervearum propaginum per totius corporis compagem distributio semper eadem ferè redeat; quippe illarum divaricationes non minori plexuum intricaturâ quam Labyrinthi aut Meandri quivis intra se implicantur; at verò adeo intricatos Labyrinthos constanter elaborari, eosdemque semper redire, idque brutæ, cœcutientis & temerariæ Fortunæ ductu quis non planè stupidus animum induxerit? Potuerene nervi, nisi id causa aliqua sapiens providerit, adeo opportunè tunicis intra Cranium à piâ matre ascitis, extra illius claustra, longius nempe excursuri à durâ matre productis investiri; quibus spiritus intra nervorum meatulos coerceantur, ne sese protenus subducant, tenuesque evanescant in auras? Potuerene nervorum trunci temerè in plura quasi fila distincta ab invicem separari, ne spiritus interius ab ἐγκεφάλῳ in diversos ramos demissi, & à diversis exterius remissi, aut adinvicem in transitu confundantur, aut mutuo alii alios impediant; dum autem in varias fibrillas divisi existunt nervi, quisque spirituum tractus peculiarem sibi semitam adipiscitur? An fortunæ esse potuit quòd nervorum è cerebro exorientium rami ad singulos musculos pro cujusque exigentiâ densiores aut rariores mittantur? Quippe etiamsi supponatur summè concinna, varia, utilis omnium musculorum structura; ut quòd totidem tendines ubique carne stipentur, quòd rectà omnes per musculi corpus ducantur, quòd propter peculiarem illorum temperiem ad contractionem accommodentur, quòd cujusque caput quàm elegantissimè aut ossi, aut cartilagini aut tendini alligetur, quòd quæque pars corporis musculis fruatur, quòd tendines in fibras dirimantur, quæ spiritus eò per nervorum propagines deductos excipiant, ut ii ibidem commorantes vim motricem illis concilient, quòd alii interius jaceant, alii exterius, quòd eum situm adipiscantur ut ad omnes locorum differentias respicerent, & antè, retrò, dextrorsum, sinistrorsum, infernè, supernè movere valeant, alii flectant, alii extendant,

extendant, alii adducant, alii abducant, alii attollant, alii deprimant, alii circumagant, quòd denique ferè immensus musculorum apparatus solertissimè adaptetur: tamen ista omnia nullius usûs essent, nisi nervorum propagines ab usque cerebro dirivatæ ubique singulis musculis intertexerentur, ut illorum fibris spiritus & vigorem suppeditarent. An non satis inde liquescat causam, quæ tam elegantem, varium, multiplicem musculorum apparatum extruxerat, providisse ut suum cuique suppeteret spirituum pensum, quo valeat munia, quibus eum destinaverat, obire.

Nihilne est quòd nervi, qui involuntariis Animalis actionibus funguntur, originem à cerebello ducant, & inde longè latèque, ut cujusque munus postulabit, ad partes singulas, quibus destinantur, sparsim deriventur: Quòd Nervi optici in oculorum orbitas deferantur, ibique sese dilatent & in fibras varias diffundant, è quibus prodeant variæ tunicæ, in quibus mirificè interfusi existant humores Chrystallinus, Aqueus, Vitreus, quòd quisque in debitum locum, & muneri, cui destinatur; idoneum reponatur, quod figuram suis usibus aptam singuli adipiscantur, modò lenticularem, modò sphæricam, prout modò hâc, modo istâ opus fuerit, ut præteream quemque peculiarem colorem, temperiem, consistantiam, situm, & istiusmodi reliqua habere, quæ si aliter se haberent, aut malè aut non omnino fieri potuit visio; quòd tunica uvea foramen habeat, idque directè humori chrystallino respondens, quod nisi adesset, idque eò loci, species intus suscipi nequirent, nullaque visio peragi posset; quòd sese pro rei exigentiâ contrahere & dilatare valeat; quod retinæ fundum tum concavum foret, ut radios omnes exciperet, tum pupillâ uveæque foramine amplius, ut radii in pupillâ confusi, amplius spatium nacti sese secernant, & distincti ad retinam perveniant: verùm ne reliqua innumera adjiciam, adeo exquisita est oculorum fabrica, tam subtilis in iis organulorum apparatus, tam decora & apposita omnium contextura,

tura, ut qui illos causâ cœcâ & consilii experte institui dicat, is manifestò prodat stupori & proterviæ se ipsum devovisse; & pari ratione ab omni Opifice rationem, consilium, industriam abrogatum eat; ita ut provocare subeat, ut quodvis opificium indigitet, tantâ arte & solertiâ elaboratum, quantum prodit & desiderat oculorum structura; nimirum in quâ quicquid mirabile est, id reperire licet, sive subtilitatem, sive utilitatem, sive ornatum, sive varietatem, sive quodcunque aliud, quod Artificis industriam, sapientiam, solertiam prædicare potest: Ut non sine bruto stupore cecinisse videatur *Lucretius*

Illud in his rebus vitium vehementer, & istum
Effugere errorem, vitareque præmeditator,
Lumina ne facias oculorum clara creata
Prospicere ut possimus.

Quid ergo, *Lucreti*, ad usum aliquem institutum esse credis, si oculos ad visionem destinatos non fuisse arbitraris? Fierine potuit adeo subtilis & perplexa oculorum fabrica, nisi ab Opifice, qui ad visionis functionem respexerit? Censesne opificium quodq; *Dædaleum* sine Artificis industria elaboratum extitisse? Aut quorsum *Dædali* opera demiraris? Quorsum Opificis solertiam & industriam laudas, si tam admirabilem occulorum fabricam tot organulis adèo concinnè comparatis concinnatam esse animum induxeris? Quid enim in illis eximium & admirabile deprehendis, quod fabrica oculorum non longè exuperat? Cur vero nisi oculi ad visionis munus destinantur, diversam fabricam obtinent, prout exigit visionis opus; Aquatilibus nempe minus est humoris aquei, plus vitrei, terrestribus è contra plus aquei, & minus vitrei; istis humor Chrystallinus ferè exactè rotundus est; his è contra lenticularis, si verò oculi in aere degentium eo modo efformarentur, quo eorum, quæ sub aquis versantur, & vice versâ, ineptè aut non omnino visione fungerentur, uti clarè demonstrant

monſtrant Optici? Quid autem manifeſtiùs conſilium prodit, quàm pro rei exigentiâ, varia ſemper inire conſilia?

Nihilne eſt quòd aliud nervorum par non minori conſtantiâ quàm utilitate ramos ſuos in eaſdem regiones diffundat, alterum perforatâ ipſâ calvariâ ad muſculos faciei diſſeminet, unde ſurculos in linguam, palatum, os ὑοειδὲς, (quod mirâ arte Epiglottidi ſubſternitur) labia, gingivas, aliaque organa alimenti manducationi deſtinata diſtribuat, quod niſi fieret, inutilis fuerat tot partium apparatus cibi & potûs exceptioni deſtinatus: Quòd alterum ramulum in auricularum cavernulam emittat, qui ita commodè ſe explicaret per ſeptum tenue (quod ſi paulò craſſius foret, ſurditatem nullâ arte medendam afferret) ut niſi continuò in membranulam iſtam ſe inſinuaret, obſtinata & immedicabilis ſurditas induceretur? Neque quidem præterire poſſum nervos recurrentes, qui utrinque Aortæ ramis deſcendentibus circumligati, quaſi de loquelæ privilegio ſolliciti forent, & partium nervis alioqui fere vacantium quaſi miſereſceret, reſpiciant, ſurſumq; juxta arteriam aſperam (cui fibrillas numeroſas ad magis commodam tranſpirationem impertiunt) reflectunt, ramoſque laryngi inſerunt, ut eam variè diducendo, contrahendo, attollendo, deprimendo, voci modulandæ inſerviant. Nihilne eſt quòd par vagum conſtanter ſurculos alios cordi & ejus appendicibus, alios ſtomacho, alios œſophago, alios pulmonibus, alios aliis partibus diſtribuerit; quæ ſi iſtis caruiſſent, non modò ſemper inutiles extiterant, & aliarum impedimento fuerant, ſed etiam animal è veſtigio interiret; ſcil. Vir Clariſſ. canem, ſtrictè circumligato paris vagi trunco, extinxit, ſanguine in ipſis cordis ventriculis, quoniam inhibebatur ſpirituum influxus, coagulato? *D. Willis. Cereb. Anat. cap. 24.*

Nihilne quod par intercoſtale ad hepar, meſenterium, renes, & omnia infimi ventris viſcera inviolabili conſtantiâ ſurculos emittat; & denſiſſimos propaginum plexus ubique per viſcera fœces devehentia diſpergant, veroſimillimè ut,

O ultra

ultra communes aliorum nervorum usus & munia, à nervoso genere serositates superfluas & excrementitias ad intestina deferat foràs amandandas? Quibus ejusmodi innumera adjicere liceret, sed in hisce nimius fui, qui autem de iis plura velit, adeat scriptorem multò solertissimum *Doctorem Willis de Cerebri Anatom.* unde pleraque è jam prædictis decerpsisse gestio.

Coeterum si adeo turpiter in iis deficiant, quæ quomodo citra Providentiam evenire possent explicatum adeo fidenter itum est; immane quantum abest, ut alia innumerabilia in animalium structurâ phœnomena, quæ quomodo sine ratione & consilio fierent nullâ fabulâ comminisci valuerunt, casu facta fuisse fingatur!

Verùm reponunt quanquam res prorsus stupenda videatur Naturæ ordinem tam aptè & opportunè citra prudentem Architectum institutum esse, & tam præclaras machinas, quales sunt animalium corpora, solo casu effectas esse; non tamen usque adeo mirum videri oportere, eò quòd quotidie videamus perinde præclara opificia solâ causarum naturalium, quæ rationis sint expertes, industriâ elaborari; uti videre est in quotidianâ animantium & speciatim hominum procreatione, potissimùm autem in animalculis, quorum structura cùm ad stuporem usque subtilis sit & exquisita, tamen sponte & casu nasci reputantur. Quo Mehercule responso tantum abest quin argumenti vim eludant, ut inscitè admodum se ipsi perplexius irretire pergant: partim quòd isto pacto in difficultates incidant, è quibus, dum circa primum animalium exortum ageremus, audacter fingendo se emersisse sunt arbitrati. Quomodo figmentum, quo os, œsophagum, ventriculum & intestina in primo hominis exortu excavari commenti sunt, nempe humoris alicujus præterfluxu, inane esset, si de quotidianâ animalium generatione usurparetur, quod utique in embrione ista efformentur, priusquam cuivis liquori transitum præbeant: sic cum Asperam Arteriam, nares, omniaque

niaque respirationis instrumenta spiritus erumpentis impetu in primo hominis è terrâ ortu effecta fuisse comminiscuntur; deest commentum ad quod partium istarum in quotidianâ generatione extructionem referant, cùm liqueat formatas esse, antequam quidquam spiritûs per eas transeat. Quod pariter dici potuit de vasis seminariis, quæ annis aliquot, priusquam quidquam liquoris per ea fluat, apparantur, ut & de pulmonibus ante respirationis usum extructis, & ejusmodi aliis: Partim quatenus nobis ansam porrigunt & quodammodo urgent alia illustrissima Providentiæ vestigia indigetare. Quod enim illustrius sapientiæ Divinæ argumentum, quam naturales causas tam aptè conformatas esse, ut tam eximia tamque subtilia effecta conficere valeant? Quotusquisque quæso te, qui paululum rem perpenderit, usque adeo rationis inops, quin nihilo minus difficile credat stabilem, solertem & prorsus stupendam causarum naturalium vim ac œconomiam, perinde ac in rerum initio ipsam naturam casûs temeritate genitam fuisse? Quid autem iniquius ut dum percontemur de primâ Naturæ institutione, quomodo nempe cœcâ temeritate in hunc ordinem pervenire posset, quàm ut id expeditum eant à rebus ab hoc ordine per sapientissimum omnium Architectum stabiliter instituto fluitantibus? Quasi quod fixæ subtiliterque supremâ ratione constitutæ naturales causæ effectus ad quorum productionem destinantur, cum summâ venustate & solertiâ conficiant, idcirco sequeretur non tam immaniter portentosum esse fluxam instabilem, vagam, temerariam fortunam eosdem illisque majores effectus elaboravisse. Quo quid obtusius, quid ineptius?

Paulisper itaque meditari lubeat an gignendi facultas aliunde quam à solâ Providentiâ accipi potuisset. Atque imprimis si res quæque fortuitò gignantur, unde in earum productione tam rata constantia? etenim quod fortuitum est, inconstans & varium sit necesse est, potissimùm ubi tam immensa casuum complicatio postulatur, quantam efflagitat

O 2 animalis

De opif. Dei. cap. 6.

animalis fabricatio. Adde quòd, ut egregiè subnotavit *Lactantius*. Oporteret ejusmodi quotidiè monstra generari, in quibus membrorum ordo præposterus, & usus longè diversus existeret. At vero ut rem paulò plenius commonstratam demus, breviter Organorum apparatum & Operationum methodos, quibus animalium generatio peragitur, perpendamus.

Quòd autem compendio litare, quoad fieri potest, instituerim, prætereo vasa seminis præparantia, quà venas, quà arterias, (quarum alteræ, nisi utræque adsint, inutiles enascerentur) eorum item exortus & processus, infinitas nimirum venularum & arteriolarum anastomoses, plexum pampiniformem, qui à dictis vasis in varios hinc inde cincinnos crispatis efformatur: Epididymedes, quæ sanguini nonnihil per pampiniformium Labyrintheos plexus tanquam serpentinos canaliculos elaborato seminis rudimentum affundunt; testes demum, eorumque numerum, figuram, substantiam, integumenta, tum communia, tum propria, vasa, musculos, officium, & id genus alia: Vasa itidem deferentia taceo, parastatas, vascula, quæ semen à testibus ad capsulas seu vesiculas seminarias deferunt; atque ipsas vesiculas, in quibus tanquam cellulis semen aptè colligitur & asservatur, quæ opportunè carunculâ obturantur; quo minus perpetua fiat Gonorrhea. Taceo denique vasa ejaculantia, prostatas, urethram, illius membranas, atque valvulam, & externa organa tum in mare tum in fœminâ, quæ generationis munere funguntur. Omitto (inquam) singulorum naturam, temperiem, connexus, virtutes, usus, actiones, sitûs aptitudines perorare; tametsi in iis plurima capita occurrant, quæ præ se exquisiti cujusdam Opificis solertiam ferunt; ut quòd arteriæ præparantes non quemvis sanguinem sed quàm optimè elaboratum & concoctum absorbeant: quod ad partes genitales propagentur propagines tum à vasis sanguiferis, tum à nervis, nisi enim nervi humorem genitalem à vasis sangui-

feris

feris suppeditatum spiritibus imbuerent, iners prorsus, & effœtus torpesceret; ut & spiritus nisi crassiori materiâ commisti forent, statim evanescerent; at verò utrisque opportunè commistis quàm promptè generatio perficitur (quanquam nervi Veneri plus tributi impendant, quàm vulgò æstimetur, quippe magna nervorum copia in membra genitalia disseminatur, & semen succo per nervos fluenti perquam simile existit:) quòd varii deinde vasorum plexus & meandri fiant, quò perfectius itineris longitudine seminis materia elaboretur, & omni fœculentiâ exuatur: addatur deniq; opportunus testium ac Parastatarum situs atque virtutes, nam utrumlibet seminis officina habeatur, utrumque ad perfectam seminis elaborationem necessarium est, neutrum enim abesse potest, quin infœcundum & sterile generetur semen. Hujusmodi fermè sexcenta alia ab Anatomicis recensentur, sed quoniam modestiæ quodammodo molesta videantur, prætereo. Si quis autem prædicta organa seriò perspexerit, non potest nisi videre ad sua quæque munia sapientissimè destinari.

Unde insuper tam idonea, apposita, varia in mari & fœminâ corporum commiscendorum organa? hoc etiam fortuitò? An temere, & ut sors tulit adeo provide adinvicem tot modis similes extitere, atque itidem totidem discrepantes? Quid enim admirabilius aptatione organorum muliebrium ad virilia? Quodnam vasculum solertissimo ingenio aut excogitari aut fabricari potuit, quod tam accommodatè semen virile deciduum exciperet, exceptumque foveret? Nisi sanè inhiberent pudicitiæ leges hujusmodi naturæ arcana familiarius aperire, facillimè demonstrare liceret solertissimam naturæ sinûs structuram, quàmque admirabili Providentiâ ad suos usus ritè obeundos adaptetur; quod pudici animi, si Anatomicos legant, animumque advertant, non possunt nisi agnoscere. Ut quòd uteri orificium (quoniam pauca licet inviolatâ pudicitiâ) stupendum in modum pro rei commodo nunc constringatur nunc extendatur; ut quàm opportune

portunè ſemen ſuſcipiat, eoque ſuſcepto, quàm exquiſitè ad ſeminis tutelam ſeſe claudat, ſtringatque; ut rurſus in partu mirificè amplietur, quò egredienti fœtui viam aperiat, *quam rem*, inquit *Galenus, mirari poſſumus, intelligere non poſſumus:* Ut deinde ipſe uterus ejuſmodi conſtet membranis, adeo ut quamvis exiguam intus cavitatem obtineat, tamen pro fœtus numero aut magnitudine in immenſam molem facilè excreſcere poſſit: Et inde ſpeciali quâdam Providentiâ pelvis oſſe ſacro & oſſibus Ilei efformata, in quâ uterus ſitum adeptus eſt, amplior in fœminis reperitur quàm in viris, quo commodior fiat Uteri extenſio, fœtûſque extruſio: Atque ut, quod mirabilius eſt,uterus ita à conceptu ſecundum omnes dimenſiones amplietur, ut (contra quàm fieri ſolet) quo magis extenditur, craſſior evadat, ne fortè, ſi tenuior exiſteret, diſrumpatur, & fœtus exitum in matris Abdomen quærat & facile inveniat.

His adde (ut omittam figuram, ligamenta, quin & vaſa quibus irrigatur uterus)Fœminas,prout rei neceſſitas poſtulat, aliquibus partibus, quibus donantur viri, deſtitui; & viciſſim alias eaſdem, quas viris conceſſit natura, ſortiri, atque has etiam aut eodem modo quo in viris, aut longè aliter conſtitutas: v. g. proſtatas nullas habent, quoniam non in diſtans (marium ritu) ſemen ejaculantur; nullas item Epididymides, paraſtataſq; variciformes, quoniam non tam elaboratâ concoctione indiget ſemen muliebre quàm virile, nimirum digeſtum ſatis eſt, ſi aptum ſit materiam ſuppeditare corpuſculo compingendo idoneam; ſemen autem virile propriâ vi & energiâ corpus extruit atque effigurat, & ſanguinem præterea maternum attrahit vegetatque. Dein vaſa ſpermatica, teſtes, deferentia fœminis adſunt perinde ac viris, at commodè quodammodo aliter conſtituta; ſic viz. præparantia in viro tota ad teſtes feruntur, in itinere autem diffinduntur in fœminâ, & pars in teſtes abit, pars opportunè in uterum: teſtes item fœminei à virilibus diſcrepant ſitu, magni-

magnitudine, ſubſtantiâ, temperamento, cæterum hujus tam variæ diſcrepantiæ, tum in his, tum in aliis quàm plurimis, quibus non libet inſiſtere, non deſunt rationes, quas in quolibet Anatomico (ſi vacet) videas.

Hæc demum cum ita ſe habeant, quod luculentius conſilii & Providentiæ teſtimonium eſſe potuit, quàm ſit, ut fœmineæ partes mille modis tam opportunè cum virilibus conveniant, totidemque fermè differant? certò ſi caſum admittamus, quis credet, ut perpetuò quod melius eſt, eligat; ut repudiet, quod deterius; ut caſus ibi ſimiles eveniant, ubi rei opportunitas ſimilitudinem poſtulat, at ubi opportunior ſit diſparitas, ibi ſolum & ſemper diſpares?

Neque his obſtat vulgaris opinio ab *Ariſtotelis* authoritate ſuſcepta fœminam quodammodo caſu fieri, ſcil. ex defectu caloris, qui virum perficiat, effingi hominem imperfectiorem & mutilum, & inde partes in fœminis generationi famulantes, eaſdem eſſe cum iis, quæ viris ſuppetunt, niſi quòd mutilatæ ſint & inverſæ. Hæc inquam, opinio, neque uſquequaque vera eſt, neque quidquam nobis obeſt: Etenim ſanè experientiâ conſtat fœminas non formari ſolùm ex defectu caloris, cum multæ reperiantur Viragines viris aliquibus calidiores: quod etiam ſemper fieri in canibus Laconicis teſtatur ipſe *Ariſtoteles*, ac *Plinius* in Urſis, & Pantheris. Deinde ineptum eſt partes genitales utriuſque ſexûs ſitu ſolùm differre, cum totâ ſtructurâ differant, uti liquet, ſi ad invicem conferre velis; & ſi quidem partes muliebres à virilibus non differrent, niſi ſolùm quòd invertantur, quid ei ſtructuræ, quâ jam efformantur, diſſimilius, aut ad ea munia, quibus inſerviunt, ineptius fingi potuit? Finge nempe penem virilem intus verti, an quidquam iis generationis officiis, quibus fœminarum uterus deſungitur, inſerviret? Porrò etiamſi plerunque naſcantur mulieres propter imbecilliorem caloris energiam, nihilo minus tamen ſeſe prodit Conditoris ſolertia, in eo quòd tam effabrè & appoſitè ad ſuos

uſus

usus concinnentur; nam ut unà cum aliis prætercam mulierum temperiem ideo frigidiorem esse, ut iis succus copiosior suppetat ad fœtus alimentum; apertissima Providentia est, quæ ad tam egregios fines vi caloris languidiore abusus fuerit, & tam opportunè ex caloris defectu partes muliebres efformari procuraverit; & quidem ex defectu, si abfuisset Providentia, vix fieri potuit, quin longe aliter evenerat, quàm evenit; multo enim procliviùs alia rerum facies, quam quæ orta est, exoriri potuisset; ut quod membra viri genitalia dimidiata provenirent, potiusquam inversa, aut aliud aliquid monstrosum & inutile. Insuper indubium est alio pacto fœminam effingi, alio virum, verùm hæc diversitas ab institutione sit necesse est, utpote quæ adeo opportuna est; & si fortuito eveniret, ad idem absurdum quod prius revolvimur, Fortunam scilicet semper sapientissime eligere, & aut constantem esse aut variare, prout ad rerum commoditatem conducat: imo enimvero etiamsi Natura in fœminei sexûs exstructione imbecilliùs operetur, tamen etiam solèrtiùs; subtilior enim & elaboratior structura partium muliebrium videtur, quam virilium, ut apprime ex comparatione liquet. Jure itaque colligendnm est Naturam neque impeditam esse, neque aberravisse in fœminæ generatione; sed incomparabili Providentiâ sexuum distinctionem sancitam esse, quò perenni propagatione animalia ætatis deciduæ in sobole ad æternitatem provehantur.

Ac rursum si nulla sit Providentia, non modò tam auspicatò cecidit fortunæ jactus in utroque hominis sexu condendo, sed etiam in innumeris aliis animantibus extruendis; quippe infinita animalium genera progenuit; & si in quovis genere partes unius sexus peculiari modo efformentur, iis aptè accommodatas alteri largita est: ut si quibus animantibus masculis non emineat membrum genitale (quod de muscis, bombicinis, papilionibus perhibetur) fœminæ membrum genitale emittitur, marique inseritur, ad semen è mare proliciendum

liciendum: cujusmodi alia prætereo; ex dictis sat patescit quod si omnia ad fortunam referantur, in quovis animalium genere ad sexuum differentiam immensum fœlicissimorum casuum complexum postulari: & vicissim ex sexuum discrepantiâ in omni animalium genere Providentiam apertissime elucere, cum nullum luculentius illius specimen esse possit, quam ingenti varietate quàm optime res alias aliis aptare.

Neque par est penitus præterire illud, (ut *Galeno* nuncupatur) Naturæ σόφισμα, nempe vehementem & effrænatam Venerei coitûs cupiditatem, cujus impetu perculsum omne animalium genus in furias ignemque ruunt; nempe ita provisum est seminis copiam ejusmodi vellicationem & pruritum in conceptaculis suis creare, ut quibus animantia tanquam stimulis Cupidinis acta solicitentur & urgeantur semen deponere, prolique operam dare, quo suam quodque familiam cæteroqui unius tantum ætatis in omnia secula conservet. Cujus quidem cupiditatis impetus & desiderium fame & site longe importunius perhibetur, quanto magis interest totius generis conservatio quàm Individui. Prætereo autem exquisitissimam voluptatem, quæ inter coeundum percipitur, (quam adeo prædulcem æstimavit *Lucretius*, ut fœdissimè *hominum Divumque voluptatem* appellet) cujus illecebris animalia ad sobolis procreationem stimulantur: quippe nisi membra in utroque sexu adeo providè ad coitum destinata acutissimi sensûs fuissent, generandi munus neglexisset longe maxima pars animantium, animalia enim rationis expertia solùm Veneris stimulis & voluptatis sensu ad coitum invitantur; adeo ut providus Naturæ Parens non minus de voluptate quæ ad Veneris exercitia solicitet, quàm de instrumentis, quæ illa peragat sollicitus videatur, hæc enim sine illâ plerunq; inutilia fuerant, cum solo illius sensu his uti incitantur animalia. *Ita capta lepore* (ut de *Venere* pangit Poeta)

Lib. 14. de usu part. c. 2.

Lib. 1.

P *Illece-*

Illecebrisque tuis omnis natura Animantum
Te sequitur cupide quocunque inducere pergis.

Verum hisce diutius insistere pudet, pigetque. Jam autem si modo summatim perpendatur, hinc quot casus desiderentur, ut homo quivis potentiâ generatrice polleat; quot deinde non modo ut simul fiat foemina; sed ut tam destinate, concinnè, congruè efformetur, ne sua viro facultas frustranea sit, quoties in singulis animantium generibus tam mirabiles, perplexi, & opportuni casus repetantur: inde quot, quàm varia, quam clara, quàm stupenda supremæ Providentiæ prostant specimina; si, inquam, re utrinque consideratâ, ista omnia ad Fortunam potiusquam Providentiam referre quis posset, istum profectò Atheismi vesaniæ damnandum propinarem, & jure quidem, quippe omnem rationem ejurasse necesse est, & nihil omnino absurdum aut solæcum habere, priusquam tale quidpiam sibi persuadere valeat; & pertinaciam ac impudentiam, exutâ ratione, induisse, antequam tale quid propugnare audeat. Verum ut pergamus.

Si adhæc stupendæ seminis virtutes, & solertissima foetus formatio paulò attentius advertantur, rursus prodibit admirabile Divinæ Mentis artificium. Quid enim mirabilius quàm vagum & informem quendam humorem, qui ad nullius præscriptum disponatur, quodque cum delectu quodam disponere, ad usus destinatos instituere, adeoque ineffabiliter exquisitam corporis fabricam extruere? Quocunque enim modo peragatur generatio, sive (quod Cl. *Harvaeus* minus ingeniosè quàm pro more suo hariolatur) vir solummodo immaterialem quandam Ideam tribuat, foemina materiam; sive quod masculei seminis spiritibus mulier menstruum solum sanguinem tanquam alimentum suppeditet, quod *Aristoteli* placuisse videtur; sive quod uterq; parens semen emittat, quod plerumq; Medicorum Scholis complacuit; sive quod vir solum principium efficiens suppeditet,

De gen. anim. exerc. de concep.

ſuppeditet, ſemen autem fœmineum vicem ſuſtineat principii materialis, & fortaſſe ſimul efficientis, quod veriſimilius videtur, nam indubium eſt mares in animalibus oviparis ſolummodo ſpiritus in fœminas excernere; quin & humorem craſſum, quem mares in viviparis ejiciunt, ſolum ſpirituoſarum partium, quæ aliàs avolarent, vehiculum eſſe, nequicquam autem inſervire ad fœtûs conſtitutionem, quoniam abundè compertum eſt in damis, cervis, equis, canibus, cuniculis per integrum à coitu menſem, nihil craſſioris materiæ in utero conſpicuum reperiri: verum utcunque inquam ſit, ſive iſtorum altero, ſive alio quovis modo perficiatur generatio, hoc eſt quod ſatis mirari non poſſumus ſeminis particulis animalium ſimulachra tam exquiſitè & ſubtiliter ſupra omnem conceptum delineari; nam partium corporis quæcunque ſit, quæ ſeminalibus particulis parentis veluti Imagunculam impreſſit, illius quàm exquiſitiſſimam ſtructuram nunquam ſatis demirari poſſumus: v. g. ſupponatur ſaltem meatus ſeminarios ſeminis particulas in debitam figuram effigiare, quàm ſtupenda & pluſquam Dædalea illorum contextura agnoſcenda eſt, qui inconfuſè & ad amuſſim minutiſſimis particulis in fluido liquore natantibus, exquiſitiſſimæ machinæ lineamenta exprimerent. Si verò in ipſo ſpermate corporis rudimenta non delineentur, ſed ipſius inſitâ virtute & energiâ efformentur, (ut ſolertiùs autumant plerique) ſuccreſcet rei difficultas, nam imprimis nihilo facilioris negotii eſt ſeminis particulas ita diſponi, ut ipſæ per ſe adeo exactam fabricam elaborarent, quam ſi in eandem formam effigiatæ fuiſſent. Quid factu difficilius quàm ut forte fortunâ adeo eruditam ſolertiam conſequerentur quâ corporis ſtructuram tam affabrè elaborarent? Exquiſitiſſimæ ſolertiæ eſt organa ſpermatica ita fabricare, ut ſeminis particulis vim & facultatem adeo ſolertem conciliarent; exquiſitioris adhuc (ſi fieri poſſit) ut deinceps particulæ ſic diſpoſitæ totidem, tam variis, ſubtilibus & involutis motibus moderarentur,

Vide Harveum de Gen. Anim. exerc. 68.

P 2 quot

quot sunt, qui infinitos venarum arteriarumque meatulos delineant, tot partium figuras efformant, in exquisitum systema adaptant, organa totidem tam mirabilium functionum adornant, totius corporis structuram artificiosè absolvunt, & omnia denique quàm optimè perficiunt. Quisquamne est, qui animum inducere valeat particulas aliquot semine contentas huc illuc confusè & temerè lusitantes ita affabre massulam exagitare, & in eum ordinem constanter coire, ita ut in exiguâ & diffluente sustantiâ solertissimè compendiosum corporis tot partibus & organis instructi systema elaborarent. Quam rem optime quidem, ut omnia, edisseruit *Clariss. Gassendus.* Nihil, inquit, est admirabilius, quàm ex informi quodam humore Animal effingi adeo simile illi, è quo prodiit; & cum illâ præsertim partium tam innumerabili multitudine; tam incomprehensibili varietate, tã inexplicabili symmetriâ; cum uniuscujusq; tam necessario usu, tam congruo situ, tam idoneâ formâ, aliisque id genus, quorum nihil licet nisi cum ingenti stupore spectare: Enimvero non est humanum ingenium eâ fœlicitate, ut sperare debeat perspectum à se unquam iri, seu cujusmodi agens sit, à quo tam stupendum opificium est, seu qualis sit actio, modusque agendi, quo id elaborat. Esse certe in eo debet & absolutissima scientia, & exquisitissima industria, quando opus talem tam aperte clamat; verum utraque sic excedit omnem mentis nostræ solertiam, omnem nostrarum manuum peritiam, ut nullâ ingenii vi assequi utramvis possimus. Ex quo efficitur, ut par sit omnino suspicere, commendareque Divinum illum Opificem, à quo solo potest hujusmodi agens inditam habere & tam perspicacem intelligentiam operis, & tam potentem tamque subtilem ad operandum facultatem.)

Phys. sect. 3. memb. post. l. 4. c. 8.

Insignissimum hunc authorem eò sæpius adferre placuit, Non modo quod omnia eruditissime expediat, disseratque; verùm insuper quod, etiamsi non solum omnium optimè sed

prope-

propemodum unicè Atheos & Atheiſmum profligavit, tamen apud aliquammultos (qui quanquam parum Philoſophi ſint dicendi, tamen haud parum eruditos dicerem, niſi quod nimium eo nomine jactitent, & ſe ſolos pro eruditis reputarent) non modo audiat Atheiſmi præcipuus patronus, ſed & primus noſtro ſeculo id monſtri in orbem revocaviſſe incuſetur: quam calumniam quoties tam proterviter tanto viro impingi audierim, quanquam aliàs præmitis ſim indolis, vix quidem præfervidæ indignationi temperare novi: Verùm Græculos hoſce calumniatores non tam refellendos quàm contemnendos arbitror, utpote qui quid ſit genuina Philoſophia, an alba atrave fuerit, neſciant; ſed homines ventoſi ſi aliquid nominis in Grammaticâ adepti fuerint, protenus intumeſcunt; ut non modo ſatis eſſe ſe argutos opinentur, ad quorum tribunal cauſa *Lucianica* inter σίγμα & ταῦ diſceptata dijudicetur, ſed quoque alieno foro præſidere auſint, & *Ariſtarchos* ſeſe in iis gerere, quæ *juxta cum ignariſſimis* intelligunt.

Sed revertendum eſt. Porro itaque ſi ſeriò perpendatur hinc ſpermatis facies, inde multò exquiſitiſsima corporis ſtructura; hoc ex iſto fieri poſſe nunquam animum induceremus, niſi quòd factum videamus. Unde perpulchrum mihi videtur *Venerandi Patris* pro futurâ reſurrectione ratiocinium; *Juſtin. Mart. Apol. 2.*
" ſic enim arguit. Rem ipſam ſecum conſideranti, quid in-
" credibilius videatur, quam ſi in corpore nondum eſſemus,
" atque aliquis diceret; ex parvâ quâpiam humani ſeminis
" guttâ fieri poſſe, ut oſſa, nervi, & carnes ad eam quam
" videmus conformata effigiem exiſtant: ſit hoc namque per
" conceſsionem poſitum atque dictum. Si quis, inquam, vobis
" cum nondum tales extaretis, neque ex talibus orti eſſetis,
" aſſeveraret, ſemen humanum, & imaginem humanam pictam
" indicans, ex eo ipſo ſemine naturam hujuſmodi fieri poſſe:
" num priuſquam id factum eſſet, id crederetis? Non equi-
" dem opinor quempiam contra hoc dicere auſurum eſſe. Per-

ſimili

" ſimili ergo modo, propterea quod nondum mortuum re-
" ſurrexiſſe videritis, vos incredulitas reſurrectionis tenet.
" Sedenim quomodo ab initio non credidiſſetis poſsibile eſſe,
" ut è tenui gutta tales exiſterent, & extitiſſe tamen videtis:
" eodem modo exiſtimate impoſsibile non eſſe, ut diſſoluta at-
" que ſeminum inſtar in terram disjecta corpora humana,
" tempore ſuo juſſu Dei reſurgant, & naturam incorruptibi-
" lem induant &c.

Reperiturne quiſpiam, qui Atheiſmi luto hæreret, poſtquam ſuis ipſe oculis corpus in cineres diſſolutum, poſtliminio ad vitam reſtitui videret? & tamen profecto perpenſis utrinque circumſtantiis nihilo facilius videtur è ſeminis guttulâ tam exquiſitam corporis humani fabricam factam eſſe, quam cadaver putidum & diſſolutum in vitam reſtitui; mihi ſane ſeriò rem nude & ſeorſim contemplanti facilius videtur cadaver putidum in vitam revocare, quàm ex aquæ guttulâ hominem efformare: Neque quidem dubitandum eſt, quin mentis divinæ ſolertia machinas facilè comparare poſſit, quæ cadavera penitus dilapſa & in cineres diſſoluta redintegraret, quod tamen ſi efficeret; poſtquam conſuetudo tam mirabilis Phænomeni admirationem paulatim imminueret, id quoque unà cum reliquis ad fortunam referret ſolæcum iſtud hominum genus: cum eò ſtuporis pervenerunt, ut nihil adeo uſquequaque abſurdum & monſtroſum fingi queat, quod iis pudorem incutiat, ſed ſemper figmenta Murenis Tarteſſiis grandiora, & quolibet ἀδυνάτῳ portentoſiora & quidvis comminiſci pergent, potiuſquam fabulis & portentis renunciare.

Quid multis opus eſt? Quid, poſſitne cauſa bruta, omniſque rationis expers omnis rationis ſolertiam adeo promptè ſuperare? Poſſitne per adeò diuturnam operationum ſeriem eidem ſubtilitati & ſolertiæ inhærere, & conſtanter per decies millenos caſus ad eundem ſcopum pervenire? Poſſintne operationes omnium ſubtiliſſimæ, ſolertiſſimæ, ad uſque ſtupo-

rem

rem præclarissimæ (à quibus nempe exquisitissima quæque Artis opera innumerabilibus intervallis absunt) a causâ quæ nullâ ratione, nullo consilio polleat, promanare?

Verũ causantur quanquam rem sic evenire plane stupendum sit, tamen semotâ Providentiâ, ad fortunã & casum non referri oportere, cum Naturæ opus esse possit. Verum enimvero responsum istud non minus futile esse, quam vulgare sit, supra demonstratum est, nempe ubi evicimus Naturam aut in Fortunam aut in rationem resolvendam esse, quippe si principium sit ratione præditum, rationem & Providentiam sub Naturæ voce inducunt; sin verò ratione & consilio vacet, quicquid Naturæ opus esse dicitur, exinde ad cœcam & brutam temeritatem refertur. Præterea cum speciatim inquiunt ideo semen in animal ei simile, unde deciderat, efformari, quòd ejus sit natura; id ipsum est quod huc usque exaggeravimus; Quid enim aliud est seminis Natura, quàm semen ipsum? cum itaque ad illius Naturam confugiunt id solùm dicunt, semen in animal effingi, quòd in animal effingatur: Deinde unde sodes semen istam naturam adeptum est, ut non possit nisi elaborare & demum extruere tam elegantem & subtilem corporis fabricam? si à causâ sapientiæ & rationis compote, ad Providentiam rursus transitur; sin aliàs, redit quicquid supra objecimus: hoc nempe nobis & cuivis non planè stupido stupori est, ut guttulæ aliquot eam naturam assequerentur, idque a nullâ causâ rationis compote, sed nescio quo Fortunæ eventu, ut necessario ejusmodi opera moliantur, quæ immensùm exquisititissima quæque Artis, Ingenii, Industriæ, molimina exuperent. Quod quidem sine Providentia fieri ne Impudentissimi autumare possint, nisi sint (uti loquitur *Galenus*) *impudentissimis impudentiores*. *De usu part. Lib.14. c.4.*

E dictis rem satis confectam arbitror, quorsum itaque plura? Quid ergo de universo partium apparatu, quæ fœtus nutrioni destinantur, commentarer? Quid de mirabili umbilicalium

licalium structura? Quid de vasis uteri lactiferis? Quid de duplici tunica Amnio & Chorio, in quibus infanti nutrimentum reponatur? Quid de humoribus nutritiis utraque tunica contentis? Quid de placenta? Quid de Acetabulis? Quid de reliquis id genus omnibus? Si vero prædictis adjiciantur quæ omnia scitissimè commentatus est *Galenus* libris 14, & 15. de usu partium, de quibus quidquam disserere pene ex industria abstinui; priori objectionis parti non modo plus satis fieri, sed & in invictum Providentiæ argumentũ eam transcribi arbitror. Et denique quanquam hic urgere potuissem quicquid adversus fortuitum hominis ex terra ortum de mirabilibus & solertissimis quibuslibet in corpore humano phœnomenis supra aut diximus aut dicere potuimus, tamen ab iis omnibus consultò supersedere malui, quòd mallem objectionem ex se refutari, præsertim cum tam abundè id fieri posſit.

Veruntamen post hæc superest adhuc aliud non obscurum (ut mihi videtur) Providentiæ documentum, quod à re in qua versamur, alienum non videtur; ab instinctu scilicet desumptum provide admodum animalibus impresso, quo fœtuum qui alioquin sint statim atque nascuntur expiraturi, educationi prospicere moventur: quod quoniam alii fortasse non adeo solidum aut perspicuum arbitrantur, non penitus abs re fore existimo, si quàm brevissimè explicem & vindicem. Stupenda itaque animalium plerorumque solertia est, quam in fœtuum educatione produnt: etenim quanquam innumeris super hac re fabellis scateant libri quà veterum quà recentiorum; quin & etiamsi hocce Providentiæ Divinæ specimen contemptui exposuerunt, dum id patefacere adlaborarent, non modò quod circa vulgares fabellas (quas è *Megasthene*, *Ctesiâ*, *Onesicrato*, *Daimacho*, aliisque desumpserunt *Herodotus*, *Plinius*, *Solinus*, *Gellius* aliique) nugarentur, sed etiam quòd præteritâ verâ & genuinâ solertiâ, plerumque nugis, in quibus fortè nulla prostarent sagacitatis indicia, inhærerent: tamen, si ritè perpendatur, apertè

 providentiam

Providentiam clamat ſagacitas brutis animantibus paſſim indita, quâ media idonea ad fines ſibi à Naturâ præſtitutos neceſſitate quadam eligere ſtimulantur. Quotuſquiſque ſibi perſuadere queat animantia bruta, judicii, rationis, conſilii expertia actiones tanto cum judicio, ſolertia, deliberatione elicere, niſi Providentiâ aliquâ per inſtinctum neſcio quem dirigantur; cujuſmodi ſunt miro artificio nidos, in quibus ova deponant, extruere; ovis, uſque dum excludantur fœtus, incubare; cibum pullis tam ſedulò comparare; ab omnibus injuriis tueri, & iſtiuſmodi alia?

Sunt fateor qui omnes brutorum actiones alior ſum referri volunt, quam ad communes inſtinctus; nempe partim ad ſenſum ſeu paſsiones doloris ac voluptatis; quommodo libidinis ſenſu & voluptate ad coitum illa ſtimulari autumant: partim ad imitationem; ſic, inquiunt, aviculæ nidos iis ſimiles, in quibus ipſæ connutritæ fuerant, non ab inſtinctu, ſed exemplo extruere invitantur. Fateor inſuper haud pauca, quæ ad Inſtinctum referuntur; aliunde provenire; ſic antipathias omnes naturales dictas aut ab injuriis prius illatis, aut ab aliorum exemplo & imitatione emanare; ut pullus milvum, agnus lupum, lepus canem, & quodlibet pene animalium genus hominem refugere videntur, aut quòd Parentes ſuos ab iis fugientes viderint; aut quòd prius ab iis perterrefacti ex memoriâ prioris periculi ad fugam concitantur: quippe ſi agnus lupo connutritur, lepus cane, pullus milvo, tantum abeſt ut illos fugiant; ut potius amore & voluptate complectantur; & quibus regionibus ferarum greges non adeo continuis venationibus vexantur, non tam proclivè hominis aſpectu fugitant, ac in noſtris, ubi creberrimis terroribus & injuriis affliguntur: adeo ut mutuas animalium inimicitias non tam à naturâ quàm experientiâ enatas eſſe facilè crederem: ſed tamen omnia, quæ ad inſtinctum referuntur, aliunde quàm ab inſtinctu promanare conſtanter pernego.

Imprimis itaque quod ad illos ſpectat, qui inſtinctus non infuſos eſſe, ſed à dolore & voluptate, aut naturali partium contextura oriri volunt: dico non obſcurum eſſe ſapientiæ ſpecimen eâ conditione quodque naſci, ut naturæ ſuæ neceſsitate ſequi, quicquid ſui, ſuique generis conſervationi inſerviat, urgeatur (ut ſupra de Venereis ſtimulis, quibus, animalia ad generis propagationem ex coitu ſollicitantur, inſinuatum eſt.) Deinceps dico quanquam aliæ ſint operationes, ad quas mechanicâ ratione, ſeu voluptatis & doloris ſenſu ſtimulari poſſunt animalia, tamen aliæ multæ ſunt, quæ nullo mechaniſmo explicari poſſunt, ad quas promptè accinguntur, nullo dolore aut voluptate affecta. Sic quanquam libidinis ſtimulis generationi operam dare excitantur, tamen à nullo ſenſu prolem fovere illectantur: etenim à quo ſenſu tanta avium v. g. ſolicitudo in fœtibus educandis? unde tandiu & obſtinatè ovis incubare perſeverent? unde totæ in prolis educatione occupantur? unde fimo egeſto perinde ac ovis non incubent? Ad quem ſenſum omnem Grillo-talparum induſtriam & prudentiam referemus; quæ ſcil. glebas terræ tenaciores eligere ſolent, undique anxiè & ingenioſè confirmare, in iis foraminulum itui & reditui idoneum perfodere, intus cuniculum, quo impunè deponantur ova, agere, alia antra juxta efficere, ad quæ in quovis periculo confugiatur, circa glebam ſibi canalem ſubterraneum excavare, quo melius ejus firmitudini provideant; & ab hoſtium incurſu vindicent; invaleſcente frigore nidos miro artificio in terram profundiùs demittere, & è contra calefacto aere altius ad uſque terræ ſuperficiem attollere, ut citius matureſcant fœtus, & plura ejuſmodi, quæ ſummâ ſedulitate & induſtriâ proſequuntur, de quibus vide *Goedart. experim. 76.* Præterea quamvis ipſæ operationes à ſenſu aliquo promanare queant, tamen nequaquam operandi modi. Ita erucæ autumnale frigus dum ſentiant, monentur & quodammodò adiguntur latibula ſibi quærere, at quomodo iſta parent nullo ſenſu

edocentur:

edocentur: quod igitur congregentur (ut prædicto Authore proditum eſt) & reticulum quoddam commune apices extremorum ramuſculorum cum foliis ſuis teneros adhuc ac flexiles contrahendo, intertexant, in quo ſeſe abſcondunt, & à brumali frigore conſervant; hoc inquam non video quo mechaniſmo aut ſenſu ſine peculiari quodam inſtinctu aggredi poſſent: Quod & ab aliis animalculis in alios fines factum eſſe paſſim eodem Authore memoratur. Ita ſi detur materiam viſcoſam in aranearum inteſtinis prægravantem eas, ut illam egerant, incitare; tamen unde niſi ab inſtinctu non modo eam exſpuerent, ſed fila tam affabrè ducerent retiaque tam admirando artificio pertexerent? Si cum *Clariſſ. Gaſſendo* dixeris araneam ad texturam promoveri *appetitu* innato exugendi humorem ſive muſcarum, ſive culicum, tanquam alimentum ſibi maximè congruum; ac propriâ conſcientiâ tum deſtitutionis alarum, quibus prædam per aerem volare conſpectam impetat ac rapiat; tum viſciditatis, firmitudiniſque filorum ſuorum, quibus tenſis per aëra præda irretiatur, corripiaturve, &c. Iſtis non modo non explicaveris unde tam eleganter telam ſuam texere didicerit; etenim quid ſi intellexerit quanto emolumento ſibi foret ſua tela, an inde ſtatim artem didicerit eam adeo affabrè pertexendi: ſed & verba dederis, unde enim niſi inſtinctu noverint muſcis cruorem vel ſuccum ineſſe? unde alimentum illud norunt eſſe ſibi congruum? quàm ſeriò, prudenter, & ingenioſe Araneam ſecum diſputare fingitur? quaſi diceret. Scio mihi deeſſe alas, quibus muſcas captare valeam, aliud ergo ineundum eſt conſilium; ſunt autem mihi viſcida fila, quæ ſi tendantur, & retis in morem formentur, prædam teneant, ne autem præ ſtaminum tenuitate illaqueatæ erumpant, alia aliis ſubtexendo ita retia ſtabiliam, ut captivæ nullo luctu aut conatu evadere valeant; Ego autem in abdito latitans exiliam, & quicquid captum eſt perdam, eſt enim mihi venenoſus aculeus, quo confodiam, & iſtiuſmodi alia. Fac denique

Experim. 13.

Phyſ. l. 8. *ſect.* 3. *c.* 5.

nique volucres pondere ovorum gravatas ea deponere, cur non in quolibet loco? cur nidum prius artificiose extruerent? cur ovis exclusis potiusquam excrementis insiderent? cur usque ad foetus exclusionem? Hæc & innumera alia de modis operationum, quas eliciunt bruta animantia perquirere liceret; ita ut quanquam ipsæ operationes à sensu aliquo nascantur, tamen providentia & ingenium, quæ in modis, quibus peraguntur, prostant, non possent nisi à solertissimâ ratione demum exoriri.

Quod ad illos spectat, qui tantam ingenii solertiam non simul cum ipsis animantibus nasci, sed à parentum exemplo & imitatione disci arbitrantur; ut aves nidos, in quibus foetus deponant, ad illorum exemplum, in quibus se enutritas fuisse meminerunt, extruere: Dico præterquam quod valdè mirum videatur, ut ita constanter filii parentes imitentur, ut ne quidem unus aliorsum flectat, sed ad unum omnes parentum vestigiis insistant, nisi ad id agendum aliquâ naturæ necessitate propenderent; aquam nihilominus hærere; quæram enim unde ipsorum parentes tantam ingenii vim adepti fuerint, atq; ita tandem ad ea deveniendum est, quæ nullum aliud imitata sunt. Potuitne primum in quoque genere aliud imitari? Quomodo igitur potuit quodque volucrum genus sibi peculiarem nidum extruere, nisi principium aliquod cuique congenitum singula, cum ova se depositura præsentiunt, ad locum idoneum comparandum, in quo foveantur, moveret? Ut quousque animalium solertem Providentiam ad imitationem referant, tandem necesse erit ad animalia pervenire quæ nullius exempla secuta sunt: sed ex principio, quod singulis omnium Author providus indidit, ut impulsu quodam ea sequuntur, quæ sibi aut toti speciei utilia, ea aversantur, quæ noxia & incommoda forent. Aliàs cur unum animalium genus ovis exclusis incubaret potiusquam aliud? Quorsum alia semen exclusum negligant, alia

alia id alio quopiam fomento contegant, Alia ei incubent, nisi quod sapientissimus omnium Conditor iis quorum semen postquam exclusum est per se ad maturitatem pervenire non potuit, principium quoddam inseruerit, quo incitentur ipsa semini fovendo providere; & quæ semina alioqui foveri non possent, prospexerit, ut ea continuâ ipsorum parentum incubatione foverentur; quorum autem semen per se & sine ulteriore curâ maturescere valeat, iis nullum tale principium indiderit? Quid multa, cum è dictis satis liqueat *argumenti exitum* explicari non posse, nisi demum in Providentian resolvatur, quæ mundi initio commodos cuique animali instinctus inseverit, eorumque Ideas à parente in prolem transmitti prospexerit; cum enim animula semine contenta parentis pars sit, & partes singulas habeat genitoris partibus analogas, fit ut prolis cerebrum iisdem habitibus & Idæis imbuatur, quæ naturæ necessitate parentis Plantasiæ imprimuntur. Sive autem in *Prominentiis Cerebelli orbicularibus* nidulentur (ut peregregiè vir *Clariss.* Dr *Willis* conjectatur, observationi quidem verosimillimæ innixus, quòd scil. animalia quò magis instinctu pollent, eò majores prædictas prominentias habeant, & è contra) sive quovis alio loco, perinde est, modò existere satis liquescat. Hisce si minus cuivis Numinis argumentum adduxisse videar, nemo est, quin agnoscat me iis, qui Numinis Providentiam agnoscunt & venerantur, novam materiam quam alioqui fortè non advertissent, eam celebrandi saltem suggessisse. Quod quidem si effecerim, operæ pretium esse non potest non fateri. *Anat. Cereb. cap. 18.*

Verum de his nimium, superest ut quàm brevissimè altera objectionis pars examini subjiciatur; quòd nempe animalcula, quorum fabricæ haud minorem solertiã produnt, quàm corpus humanum aut alia grandioris molis animalia, sponte tamẽ & casu nasci videantur, atq; adeo reliqua omnia ita exoriri potuisse. Quod non modo *Lucretium* sed & *Cardanum* alicubi urgere memini. Dico itaque etiamsi fingatur insecta sponte & sortitò

titò provenire, tamen perquam iniquum videtur, inde ad ſpontaneum & fortuitum hominis exortum arguere; ſiquidem ex iſtâ hypotheſi penè infinities difficilius ſit hunc quàm iſta moliri; hæc ſcilicet è terrâ ſcaturire quotidiè intuemur, hominem autem eo modo naſci, per omnia ſecula, quæ innotuiſſe contigit, hactenus haud compertum eſt; ſi verò homines eo modo è terrâ prodire potuiſſent, quo inſecta erumpere arbitrantur, cur non indies inde emergerent, pariter ac numeroſæ inſectorum familiæ. Veruntamen revera dicendum eſt non magis ab hâc objectionis parte *Epicureos* lucrari quàm à priori (quam ſcil. invictum eſſe Providentiæ documentum ſatis jam ante probatum arbitror:) quippe tantum abeſt inſecta ſponte i.e.citra cauſæ intellectricis inſtitutum naſci, ut ſtupendam ſolertiam poſtulent, & luculentiſſimum ejuſdum teſtimonium ſuppeditent.

Imprimis ſolertiſſimam cauſam produnt exquiſitiſſimæ & ſubtiliſſimæ illorum machinæ; quæ ejuſmodi ſunt, ut non poſſint niſi ſagaciſſimâ attentione elaborari; tamque ſtupendo artificio efformantur, ut fingere non poſſis quî ſolertius operari potuiſſent eorum cauſæ, quamvis fingas intellectu pollere. Nimirum eſto maſſulam aliquam calore agitari, ita ut particulæ ſubtiliores ſeſe diffundant; potuitne corpus ſubtile tam concinne radiari, tam affabrè materiam agitare, ut corpus tanto partium & organorum apparatu ornatum delinearet? Potuitne partes omnes tam eleganti ſymmetriâ ad invicem coaptare? Potuitne ad ſuos uſus quaſque ordinare; tot organa tantillo corpuſculo digerere, ita tamen ut alterum alteri non obſtet, omnia denique elegantiſſimâ menſurâ & proportione temperare? Immò quid fingi poſſit admirabilius inſectorū corpuſculis? quàm divina ſolertia, quæ tot partes, tam exquiſita organula, tot ſubtilia munia in iis diſpoſuerit, quæ deniq; Roſtrulum, podiculum, cornicula, pedes, femora, lingulam, venulas, arteriolas, nervulos, muſculos, membranulas, partes, quæ innumeris functionibus famulantur, ſtomachum, corculum,

lum, jecur, cerebellum; vasculа alia, quæ alimentum per corpus convehant, alia, quæ excrementa egerant, organula generationi famulantia, aliasque partes innumeras, sine quibus animalcula nec nutriri, nec movere, nec sentire, nec propagari possent, in atomo penè insensibili elaborarit? Quantæ insuper solertiæ est, in tantillis apiculis fere easdem partes & functiones discerni, (quod perspicilli ope fit,) quæ in elephante, aliisque prægrandis & enormis structuræ animantibus reperiuntur; quæ ut sæpiusculè montes animati appellari solent, ita non paucioribus intervallis animalcula ista superant, quàm montes, qui cœlum altitudine æmulari videntur, exiguissimas quasvis moleculas; & tamen ista vix paucioribus organis instruuntur, quàm illa? Hodiè pernotum est passim in aceto innumerabilia pisciculorum examina anguillarum more natare, quorum aliquot sæpè vidimus magnitudine pedem acari, qualis in caseo putrescēte pronasci solet; haud excedere; an satis mirari possumus in istis tantillis vix pauciores partes efformari, quam in enormi Balenâ, quæ bellua tantæ magnitudinis, ut citra hyperbolen pro Insulâ natante habeatur? Ad hanc rem non minus præclara; quam vulgaris est *Pliniana* dissertatio, & proinde non indigna quæ huc etiam transferatur. *In his* (exclamat) *tam parvis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? Ubi tot sensus collocavit in culice? & sunt alia dicta minora; sed ubi visum in eo prætendit? ubi gustatum applicavit? Ubi odoratum inseruit? ubi verò truculentam illam, & proportione maximam vocem ingeneravit? quâ subtilitate pennas adnexuit? prælongavit pedum crura, disposuit jejunam caveam, uti alvum, avidam sanguinis, & potissimum humani sitim accendit. Telum verò perfodiendo tergori, quo speculavit ingenio? atqui ut in capaci, cum cerni non possit exilitas, ita reciprocâ geminavit arte, ut fodiendo acuminatum pariter sorbendoque fistulosum esset? Quos teredini ad perforandum robora, cum sono teste dentes affixit, potissimumque*

que

que è ligno cibatum fecit? sed turrigeros Elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in sublime jactus, tigrium rapinas, leonum jubas; cum rerum natura nusquam magis quàm in minimis tota sit. Et profecto etiamsi insecta tanquam vilia conculcentur & negligantur, si tamen illa seriò contemplemur, neque quod vulgaria sint, illorum elegantiam curare omittamus; nihil excogitari potest, quod magis stuporem creare, aut clariùs Conditoris solertiam prædicare possit.

Deinde clarissimè elucescit Providentia ex jugi & constanti Insectorum eorundem ortu; quippe fingi nequit res, quæ ex immensâ variorum casuum unà concurrentium multitudine fiunt, jugi & inviolato tenore redire? Quid enim factu difficilius quàm ut in casuum multitudine servetur constantia? Quid dictu absurdius, quàm ut particulæ sine causâ aliquâ moderatrice, quæ illis motum ad munia sua idoneum indiderat, perpetuò ita sese temerè modificarent, ut machinas, quibus nihil admirabilius, nihil solertius, nihil subtilius, nihil denique quod ingenium & industriam magis desideret, affabrè adeo moliantur? Quin potius quid excogitari aut effici posset, quod apertius, quod luculentius supremæ Providentiæ solertiam fateatur, aut potius clamet & vociferetur? Quid enim magis Providentiam postulat, quàm Phænomenῶν constantia, in quibus summa elegantia, innumerabilis partium & organorum multiplicitas, incomprehensibilis subtilitas, elegantissima omnium ad invicem cohæsio, & sexcenta alia ejusmodi? Mihi profectò stupori est quenquam adeo vecordem esse, ut vel quidem per somnium fingat particulas temerè sese semper per innumerabiles & subtilissimos motus eodem modo expandere, materiam ordinatim digerere, partes innumeras efformare, omnes ad invicem tam appositè contexere, singulas ad sua munia destinare, & denique per infinitos casus machinulas summæ solertiæ, elegantiæ, symmetriæ, subtilitatis summâ cum constantiâ elaborare.

Argumen-

Argumentum hoc ab effectuum similium perpetuâ constantiâ *Cl. Gaßendus* hâc similitudine non parum illustrat. Ut "certè (inquit) nummi in variis regni civitatibus cusi simillimi sunt inter se, quòd in singulis monetarii sint, qui "sint ex Principis præscripto instructi similibus typis; sic peræquum est reputare, cùm similes adeo conspicimus muscas "*Massiliæ* & *Parisiis, Ulissipone* & *Alexandriæ*, similes esse "proximas causas; semina videlicet, quæ ex præscripto "Authoris naturæ instructa sint similibus ad eas deformandas principiis. Alioquin enim quemadmodum fieri non "posset, quin Artifices dissimillimos nummos cuderent, si "fortè fortunâ, ac pro lubitu, neque ex consilio communicato eos appararent; sic fieri non posset quin muscæ procdirent res quæpiam dissimillimæ, si forent agentia proxima "fortuita, ac temerè operarentur, neque in unum collinearent "scopum. Et sic quidem ille. Phys.l.4.sec.3. memb.post.c.1.

Argui insuper posset ex pudendo hypotheseων defectu, quæ insectorum exortum sine Providentiâ moderatrice expeditum eunt: aut enim rem satis expeditam arbitrantur, si solum quomodo fiat, historicè narrent. Quasi quod certâ aliquâ methodo generentur, sequeretur statim methodum istam non Providentiâ sed Fortunâ institutam esse: quod quidem perinde est ac si cum, quomodo horologii machina sine artifice fieri potuit, explicatum irem, observarem quo ordine, quave methodo Artifex singulas illius partes efformaret, & invicem adnecteret; atque ita istum ordinem simpliciter narrando satis me fecisse ad expediendum quomodo horologium è partibus sponte coeuntibus & sine Artifice fieri potuit arbitrarer. Aut hypotheses precarias, atq; semotâ Providentiâ futiles & ridiculas comminiscuntur. Sic fingunt massulam quandam sponte fermenti rarescere, cujus statim partes fluidæ & tenuiores sese diffunderent, & præterlapsu canaliculos efformarent; partes autem crassiores diversimodè pro variâ illarum dispositione, varioque caloris gradu expandantur,

tur, è quibus demum fiant corpusculi membra omnia, quà interna, quà externa. Quibus id solum repetunt, quod supra, nempe cum de corpore humano disseruimus, abundè refutatum est: ut ut autem sit, quàm vesanum est credere particulas temerè motitantes, nullâq; Providentiâ directas ita eleganter massam elaborare, in totidem membra adeo ingeniosè se explicare ? Cur non succus incalescens sese circumquaque diffunderet, & ab omni parte canaliculos efformaret, ut potius orbiculare quodpiam efficeret, quàm corpusculum tot artubus diversimodè dearticalatum ? Quid animal adeo simile aliis omnibus ejusdem generis delinearet ? Quid particulas usquequaque lusitantes à confusione eximeret ? Quid totidem, tam varia, tam tenuia organula elaboraret ? Quid tam regularem partium symmetriam concinnaret ? Quid artus, ut brachia & pedes in articulos divideret, & internodiis interstingueret ? Quid artuum extremitates in digitulos dirimeret ? Quid alia ejusmodi sexcenta ! Quî credi possit omnia adeo affabrè elaborari, & disponi, nisi adesset causa aliqua solertissima, quæ istiusmodi motus instituereet ? Argui denique posset à similitudine inter ea, quæ sponte prodire videntur, & ea quæ ex semine nascuntur: Quod quî fieri posset, si atomi temerè, neque ad præfixam normam moverentur ? Quomodo potuissent mures, qui è quisquiliis provenire reputantur, in omnibus adeo similes iis qui è semine oriuntur existere, nisi causæ intellectricis præscripto ad eundem scopum collinearent ? Sed quid rem fusius diducam, cum è prædictis luculenter adeo liquescat ? Nisi rem ab artis opusculis exaggerare lubeat, nempe quæ cum Naturæ operibus conferenda non sunt, tamen non fortunâ sed arte solâ fabricari possunt. Sumantur Præclarissima quæque *Dædali, Architæ, Policleti* aut aliûs cujuscunque Artificis automata, & ista nihilo majori stupore non Artifice sed fortunâ & temeritate elaborata fuisse dicemus ; siquidem haudquaquam dubitari potest quin automatum naturalium elegantia longè antecellat exquisitissimis qui-

quibuscuuque Artis machinis. Quanto minori admiratione celebranda est *Regio-Montani* musca, quàm insectum quodvis animale? Ista brevi circumvolitare valuit; statim tamen stupida & cessatura, ita ut nisi novo Artificis beneficio nullos postmodum obitura sit motus: hujus quàm nulla erit concinnitas, si cum musculâ animali comparetur, quæ non modo proprios motus excire valet, iis que quodammodo moderari; ita ut ad arbitrium modò moveri, modò cessare possit; sed & interno vigore ac vita donatur, diversimodis muniis, plurimisque motuum seriebus defungitur, ut nutritione, multiplici sensatione, imaginatione, appetitu, generatione, aliisque, quorum singula haud paucas machinulas exigunt, & harum quæque (ut alias partes innumeras quà internas quà externas omittam) peculiarem sedem ita tenet, ut neque aliis impedimento sit, neque ab iis impediatur. Jam verò cum usque adeo celebretur *Regio-Montani* ingenium ob uninus aut alterius automatis concinnitatem; quanti stuporis erit non agnoscere solertiam causæ Architectricis, quæcunque demum illa fuit, quæ innumeras machinulas longè magis operoso & complicato apparatu fabricatas extruxit, præ quarum concinnitate *Regio-Montani* machinamenti concinnitas prorsus evanescit? Immo verò si tantilli æstimarem *Regio-Montani* aut *Architæ* automata stupendâ industriâ & sagacitate extructa, ut illa nullo labore aut solertiâ facta fuisse arbitrarer; omnes esse me in tantos Artifices iniquum clamarent, idque jure; quantâ igitur injuriâ Divinum istum Opificem afficimus, qui infinities tum plura, tum exquisitiora opera condiderit, si singula ad Fortunam & Temeritatem referamus? Deum Immortalem! tam-fœlix & sapiens cæcus & temerarius fortunæ ductus, ut tanto intervallo oculatissimam solertissimamque *Dædali*, *Architæ*, *Zeuxis*, *Phidiæ*, *Policleti*, Artificis cujusque peritissimi industriam superaret. Quin & denique si quis omnia, quæ usquam prostant, Artis monumenta casu quandoque conflata fuisse assereret, quanquam talem

omnes deridendum propinarent, quòd tam stupendam fortunæ esse solertiam crederet; tamen minùs à ratione destitutus videretur, quàm qui omnia Naturæ opera Fortunæ olim molimina fuisse dicere sustineret: atque porrò multo facilius se tueretur, & quomodo id fieri potuit, explicaret, quam qui Naturæ Phœnomena sine causâ providâ Architectrice explicare aggrederetur, neque ullo elencho iste redargui potuit, nisi qui pariter hujus stuporem impeteret. Itaque si dicas neminem fuisse Naturæ Opificem, dicam & Ipse nusquam vixisse Artificem quemvis, nulli fuere *Dædali*, nulli *Architæ*, nulli *Policleti*: At mirabilia machinamenta fabricarunt: Nequaquam, ista enim omnia opificia, quæ tantoperè obstupescis, casu, isti non absimili, quo facta fuisse Naturæ automata velis, extiterunt. Jam vero cum non usque adeo fatuum sit opinari exquisitiora Artis opera sine causâ intellectrice fabrefacta fuisse, ac fuisse Naturæ opera citra ejusmodi causam efformata; & tamen qui simpliciora ista & minus operosa Artis opera fortè fortunâ constructa esse diceret, omnium calculis tanquam impudens & ex industriâ stupidus exploderetur; quantò itaq; potius tanquã impudenter & flagitiosè amẽtes, qui multò exquisitiora Naturæ opuscula ad cæcam temeritatem referre sustinerent.

Et tamen quotusquisque fere est hominum, qui solertiam, quæ machinulas istas fabricavit, vel quidem advertat, nedũ obstupescat? Immò verò potius ultrò & quasi per anticipationem quandam eas ad casum referre proclives sumus, in delirium adeo vecors adducti, solum quòd illarum natales aut præ exiguitate aut præ vilitate non observemus; sed quoniam è contra copiosè & incomprehensibili varietate è putri materiâ scaturire experimur, nec ulla semina, è quibus nascantur, advertimus, quàm promptissimè sponte & citra Providentiam è putri materiâ nasci opinamur. Quibus equidem quàm ineptè nobis ipsis imponimus! Non enim ex putri materia generantur animalcula sed ex vi seminali, quæ antea sopita & constricta latitaverat, verùm dissolutis per putrefactionem cor-

poribus

poribus emicare & foras prorumpere incipit, particulisque igneis & salinis affatim in materia quavis putrida scatentibus promovetur, ac ad maturitatem fovetur: etenim insecta non modo semen deponunt, sed *quod magis est admirandum iis in locis id præstant, in quibus calore solis commodè incalescere possunt, neque ante solent fœtus erumpere, quàm iisdem in locis parata sibi inveniunt alimenta,* ut memorat Goedartius id multâ & diuturnâ observatione edoctus. Quorum tamen semina non observamus, non modo quòd perexigua sint, sed quod nihil emolumenti nobis afferant: quomodo experimur Bombices ex ovis nasci, quod nostra interest iis attendere, sin vero iis quoque abfuisset utilitas, illorum ova non minùs neglecta jacuissent, quàm aliorum insectorum seminula, eosq; pariter cum reliquis è putri materia gigni suspicaremur. *Metam. nat. observ. gener.*

Porro hujusmodi semina, si commodâ matrice deponantur, statim vires produnt animalculum progignentia; ut muscarum seminula in carnes profusa carnis tanquam commodæ matricis calore fota brevi vermiculos producunt: sin è contra plantarum aut arborum foliis aut aliis ejusmodi locis, quæ vim prolificam excitando non sunt, excludantur, non statim germinant, nisi solis aut alterius calore solicitantur; sin abfuerit ejusmodi causarum concursus, diu sopita delitescunt, neque vim seminalem exerunt, donec ope solis aut alicujus aliius causæ extrinsecæ excitata sobolem demum progignant, quæ causa est quòd vernâ tempestate insecta adeo copiosè scaturiant. Hinc etiam evenit ut è foliis diversarum plantarum diversa insectorum genera emergere videantur, quòd scilicet, dum diversis plantis victitarunt, ibi ova sua deposuissent; unde uno erucarum genere scatent Brassicæ, alio spinetæ, alio salices, alio lactucæ, urticæ, labruscæ, ulmi, roseta, fraxini, aliis alia: Hinc denique expedire licet, quî in fructibus, ut pomis, pyris, nucibus, procreentur vermiculi, quòd scilicet muscæ floribus & germinibus passim insidentes

ova

ova & ſeminula excluſerint, quæ frugibus in quas floſculi & germina abeunt incluſa, unà cum iis matureſcunt.

Hæc autem accipi velim, non quaſi inſecta omnia è parentum ſeminulis fieri arbitrarer, ſed quòd videatur eo ritu pleraque naſci: Non enim putandum eſt Deum animalia minorum gentium eo modo quo majora instituiſſe, non ſcil. utriuſque ſexûs alterum condidiſſe (quî enim lumbrici aut vermiculi ab unâ certâ regione undique per totum terrarum orbem perreptarent?) ſed potius vim ſeminalem ubivis reſperſiſſe, non modo quòd mundi initio innumeras ſeminum moleculas ipſe contexuerit, ſed quod quibuſdam particulis vim impreſſerit, quâ ad invicem agitatæ, certiſque ſeriebus, revolutionibus, commiſtionibus inter ſe commiſſæ in certas demum moleculas coirent, quæ varia variarum rerum ſemina forent; quâ de cauſâ quanquam nova indies conflentur ſemina, non tamen fortuitâ, temerariâve corpuſculorum motitatione; ſed Naturæ legibus, quas Deus ab uſque mundi initio rebus omnibus indidiſſe videtur, in machinulas adeo admirabilis & exquiſitæ proportionis, ſolertiæ, ſubtilitatis elaborata fuiſſe neceſſe eſt. Ex quo fit hujuſmodi animalcula ubivis locorum & ex omni ferè materiâ generari quoniam innumeris, quas ſubiit materia, mutationibus, fit demum vim ſeminalem ſimul cum rebus fere omnibus commiſceri; hinc igitur evenit ut ex herbis, fruticibus, arboribus, vel in radice, vel in foliis, vel in fructu, vel in trunco, tam cum vireſcunt, quàm cum putreſcunt, itemque ex omne genus animalibus, ex omni animalium parte, cute, carne, ſudore fœcibus, nive, ſaxis, metallis, aceto, lanâ, libris & quâcunque re aliâ enaſcantur.

Dein cum inſecta ad Fortunam referre propendemus, quòd tam confuſa illorum varietas videatur, quam ridiculum eſt! quaſi varietas magis caſum, & fortunam ſaperet quam Providentiam, quaſi Providentia non potuit incomprehenſibilem illorum varietatem efformare, aut quaſi quæ nobis incomprenſibilis

comprehensibilis videtur, ita etiam Deo videatur: sed ne hisce tam minutis diutiùs quàm par est immoremur; dico non tam ineffabilem esse insectulorum varietatem quàm videtur; sed quemadmodum in variis mundi plagis in staturâ, colore, temperamento, & aliquatenus figurâ hominum aliorumque animantium, præcipue canum (quorum pene quæque natio sibi peculiares habet) insignis apparet varietas; ita quoque oritur insectorum ejusdem generis ex diverso regionum, quas incolunt, temperamento quædam diversitas, scilicet pro variâ ratione frigoris, caloris, humiditatis, siccitatis, variantur illorum temperamenta & subinde colores, ita ut quæ hisce mundi plagis albicant, ista eadem in Æthiopiâ fortè nigrescant, & tamen quæ diversis coloribus imbuuntur vulgo ad diversas classes & familias referuntur; quasi hominum omnium non eadem foret species, quòd non eadem sit omnium statura, color, temperamentum, & id genus alia; aut quasi quis columbarii tecta subiens columbas alias adhuc tenellæ ætatis, provectioris alias, alias majores, alias minores, candidulas, nigellas, rutilantes, lividulas, fuscas, cinereas, subvirides, cæruleas, pallidas, versicolores videret, exinde statim totidem columbarum esse genera autumaret. Quod tamen non modò vulgi error est, sed & male affectant historiæ naturalis scriptores insectorum census exaugere, ut si quoquomodo differant, statim ad specialem classem reducuntur, ita ut una fortasse species in decem alias subdividatur, ut passim observare est apud *Jonstonum, Muffetum, Aldrovandum,* aliosque. Adde naturales Metamorphoses, quas annuatim subit omne insectorum genus, adeo ut nullum reperiatur reptile, quin aliâ anni tempestate ad volatilium gentem transeat, & vicissim nullum volatile, quin rursus in reptile degeneret, quod cecinit *Sulmonensis.*

Quaque solent canis frondes intexere filis
Agrestes tineæ (res observata colonis)
Ferali mutant cum Papilione figuram.

Denique

Denique non raro Providentiæ exprobatur insectorum inutilitas, quòd vix ulli sint usui; quanquam hoc quoque iniquè admodum, cum plerique illorum usus nos prorsus lateant, non modo quòd subtilissimi sint & investigatu difficillimi, sed & quòd illos observare & eruere non curaverimus: Quanquam sanè mihi videatur idem insectorum finis, qui hominis, aliorumque omnium: nempe singula condidit omnium Author eo demum fine, ut in iis aut potentiæ, aut sapientiæ, aut misericordiæ aut justitiæ, aut alterius cujuscunque perfectionis specimina ederet: itaque cum insectorum machinulis extruendis adeo mirandum Opificis supremi artificium jam supra agnoverimus, exinde egregius illorum usus liquet, ut nempe non minus summe exquisitam Dei sapientiam in iis miraremur, quàm in aliis omnibus, siquidem vilissima & abjectissima quæq; animalcula nihilo faciliorē partiū apparatum requirant, quam quæ omnium maximè laudamus. Neque nihili est culices, pediculos, aut si quid vilius *Mezentio* cuique Numinis contemptori elenchum opponi, & immanem istam *Ciclopum* sobolem, dum arma in Cœlum & Numen movent, quavis musculâ prosterni. Adde Deum tam iis omnipotentiæ suæ vim illustrasse, quàm quibus maximè: scilicet hisce copiis non minora facinora præstitit, quàm quæ ingentium exercituum ministerio edidit. Quoties illarum famulitio Ægyptum olim subegit? quam misere regis fastum, qui adeo audacter ter-maximum ipsius Numen & Majestatem lacessere sustinuit, pediculis & ranunculis fregit, Unde Deum non puduit illas sibi pro exercitibus suis vendicare, ut videre est *Joel* 2. 25. & 1. 4. *Amos* 4. 9.

Neque soli Deo, sed & finibus naturalibus inservire videntur, aliis nempe animalibus, ut volucribus & piscibus, cibum præbent, sicut enim plantarum pediculi insectis alimentum sunt, & insecta alia aliis, exilia utiq; majoribus, ita majora piscium & volucrum præda sunt; unde (ut & *Goedartio* observatum est) hirundines ad regiones nostras non advolant,

volant, priusquam aër muscis exiguis scateat, quæ ipsis alimentum suppeditent. Et quidem Animalcula, quæ hemerobia seu Ephemera perhibent (non quasi unius duntaxat diei spatio permanerent; sed quòd post metamorphosin (originem enim ex verme terreno habent) non ultra unius diei spatium vigeant) tanquam in piscium alimentum apparari videntur, quippe Occidente sole omnia infinito pene numero juxta fluminum ripas lusitantia in aquas recidunt piscibus geniales cupediæ, ut ex propriâ observatione referunt *Augerius Clutius in libello de Hemerobio, & Johannes de Mey in primâ appendice ad Goedartii librum de insect. Metamorph.* Si tamen cuiquam usus naturales insectorum recensiti exigui videantur, advertat solum perexiguas esse illorum moles; usus equidem moli saltem æqualis est. Atqui vero si tota res ritè perpendatur, egregius illorum usus etiam nostri respectu prodibit, siquidem animalium, quæ magnum nobis emolumentum præbent, conservationi egregiè inserviunt, omnia enim animalia seriatim alia aliorum usui destinantur, ita ut quanquam immediatè nobis non inserviant, tamen alia, quæ nobis inserviunt, conservando, nostro demum sunt usui.

CAP. IV.

Generalia Aliquot Capita Adversus Atheos urgentur; Quibus Quicquid Dubii superest, Penitus Diluitur.

EVictâ ex Naturæ Phœnomenis Numinis existentiâ superest solùm, ut generalia quædam capita adjiciam, quibus aut objecta diluantur; argumenta aut stabiliantur aut

plenius explicentur, & quicquid denique aut dubitationis aut obscuritatis supersit, penitus amoveatur.

1. Imprimis itaque qui sapientem esse Naturæ Authorem contendit, tot habet sententiæ argumenta, quot in Natura reperiuntur insigniora Phœnomena; quorum nempe quælibet Opificis sapientiam apertè prodit: iste vero qui negaverit, nullâ ratione inductus negat: Quid enim est, quo probabile efficiat Naturæ Ordinem ac vicissitudines cœcâ & brutâ temeritate sanciri potuisse? Id quis unquam argumentis confirmare aggressus est? Nihil enim majus probatum eunt, quàm possibile esse, ut mundus, & quæ in eo sunt, casu coaluerint, hariolantes porrò quo tandem casuum complexu idipsum evenire posset. Quæ autem objectant aliunde desumuntur: Quid autem absurdius? Quid obtusius? Quid omni non modo rationi; sed & prudentiæ repugnantius, quàm opinionem hinc saltē non contemnendis ratiociniis impetitam, inde omni probatione vacantem & vesanis ac futilibus commentis innixam amplecti? Hoc quidem si quispiam animum induxerit, nihil tam absurdum, tam portentosum est, quin pariter affirmare possit: nihil tam certum, perspicuum, indubium, quin juxta inficiari liceat. Nam v.g. quæ potuit, quæ vesania, qui stupor, quæ stultitia, quæ mentis inopia, rationis violatio esse major, quàm ut quispiam nullo ratiocinio inductus tam præclara Providentiæ opificia, quàm sunt animalium fabricæ, ad Fortunam referat? Hoc inquam si quis fecerit, quid adeo usquequaque monstrosum est, quod non facile crediderit? Quid adeo indubium, quin inficiari sustineat? Quid adeo perspicuum, quin confiteri respuat? scilicet isto pacto tueri liceret quicquid effinxerint Poetæ veras & genuinas fuisse rerum gestarum historias, & quævis ejusmodi alia; quippe possibile est, ut fere quicquid commenti sunt Poetæ, olim peractum fuerit, quidni igitur liceat Poetarum fabulas pro veris narrationibus asserere, perinde ac mundum & quæ in illo sunt olim fortuitò & sine provido

vido Conditore genitum fuisse? Quinimo tametsi nulla hactenus extitissent supremi omnium Opificis documenta, tamen illius existentiam inficiari capitis prorsus deliri foret; siquidem anilis credulitatis sit, meram conjecturam, quae omni probatione vacet, licet fortasse nullis ratiociniis labefactari posset, amplecti. Ut sanè nemo Atheus esse queat, nisi saltem stultè admodum sit facilis. Si autem tam vesanus foret Atheismus, etiamsi nulla extarent Numinis documenta, quàm extremae vesaniae erit atheismo litare, cùm tam praeclaris ratiociniis impetatur.

2. Dein absurdè & praeposterè admodum ab essentiâ Dei argumentum adversus illius existentiam duci; veluti si quid, quod conceptu arduum sit, aut quoquo modo cruces intellectui creet, illius essentiâ convolvi videatur, non omnino aequum est ut Divinae Existentiae certitudinem labefactet; scilicet non modo quòd quid rei sit essentia Divina nos penitus lateat, ut infra latius diducetur, sed etiam quòd eâ ratione, quae certissima sunt, inficiari liceret: ita nempe fit ut quorum existentia prae aliis omnibus certissima agnoscatur, eorum conceptus potissimum intellectum involvant & discrucient. Quid enim captu magis arduum quàm corporis aut materiae Idea; aut enim è partibus extensis, aut omnis extensionis expertibus conflatur: si prius; partes infinitas contineat necesse est, aliàs enim ad inextensas deveniendum est; si posterius, nequeunt extensum constituere, non enim adjungi possunt, nisi penetrent; etenim secundum unam partem attingere nequeunt, aliâ intactâ, partes enim non habent, non ideo tangunt nisi quoad totum, id quod demum est penetrare: Quocunque nos vertamus, sive materiam divisionis in infinitum capacem esse velimus, sive demum ad partem minimam deveniendum esse opinemur, utrinque apertis, uti videntur, contradictionibus implicamur, uti norunt omnes, qui leviter Philosophiam degustarunt. Unde, etiamsi Dei Idea intellectus humani captum discruciaret, satis

liquet nequaquam Dei existentiam inde labefactari oportere. Aliud enim est quid res sit cognoscere, aliud quòd sit, quatenus notitiæ istæ methodis prorsus diversis acquiruntur, atque ita de altero certissimi esse possumus, de altero interim penitus incerti; quamobrem quod quid sit Dei essentia nos penitus effugiat, neutiquam imminuit scientiæ, quam de ejus existentiâ habemus, certitudinem: siquidem argumenta in promptu esse possint, quæ luculentissimè hanc astruant, cum interim desint, quæ illam omnino explicent. Sed verò adversus eorum iniquitatem, qui propter obscuritatem substantiæ Divinæ, certitudinem, quam de Dei existentiâ habemus, imminutum irent, fusius peroravit *Gregor. Nazianz. Orat.* 34. quem adeas.

* *Lucian in Jove Tragœdo.*

Frustra igitur sunt * qui vesanas Gentilium de Deo opiniones, & aniles superstitiones objiciunt. Quippe si innatæ hominis ignorantiæ & superbiæ attendatur, si profundæ barbariei, in quam olim tota gens humana fuerat prolapsa, nihil mirum est, si tam proterviter & vesanè de Deo erraverint: si verò quid reputaverint Ethnici alicujus momenti fuerit; cur non omnium consensus quòd Deus sit, nos moveret, pariter ac dissensio de ejus Idæâ & conceptu? Insuper an non argumento est istam opinionem firmissimè omnibus inhærere, quam potiusquàm homines repudiarent, non pigeret tam vesanos & horrendos errores complecti? Idololatria enim & superstitio non in totum à ratione abhorrent, sed partim rectæ rationi, partim ignorantiæ & inscitiæ innituntur: isti, quatenus Deum esse, quem adorare oportet, supponunt; huic, quatenus modi, quo cultus Divinus ritè præstaretur, ignari, quemcunque tametsi stupidum & ridiculum amplexi sunt; sic ex proclivitate ad Numen venerandum, præcipites & cæci in fœdissimam Idololatriam delapsi sunt; cujus rei indicio esse potest, quòd Philosophia & Idololatria paria semper habuerint incrementa: Philosophia enim Numinis solummodo existentiam indigetare, &

cultum illi debitum esse palam evincere potuit; qualis autem illius natura, quales ritus & ceremoniæ, quibus eum venerari oportebat, nequaquam investigare valuit; hinc innumeras Deum colendi methodos indagarunt, unde demum tam exorbitans cultûs licentia ubique terrarum exorta est, & etiamsi à ceremoniis, quæ enormius, ab ipsâ ratione alienæ erant, abhorrebant sapientiores, tamen degeneres vulgi animæ, quæ quid turpe erat, quid non, dijudicare non valerent, pronæ ad impurissimas quasque superstitiones prolapsæ sunt.

Perinde est cum *Lucianus* diversissimas Philosophorum de Dei Naturâ sententias objectat. Nam præterquam quòd vix possibile sit ex ipsâ Dei Naturâ, quin infinitos de eo errores errarent; præter hoc inquam, nihil mirum videri oportet eos in tantoperè discrepantes sententias ivisse, qui nempe placita sua non tam sophiæ & Veritati; quam nominis gloriæ velificantes induxerint; unde *Timone* appellantur Κενεῆς οἰήσιος ἔμπλεοι ἀσκοί *utres vanæ opinionis pleni:* hoc enim consilio Philosophati sunt, ut quisque peculiare sibi erigeret imperium, & novæ sectæ nomen imponeret; cujus rei abundè argumenti est, quòd successores decessorum sententias nulla ratione cōmoti repudiaverint, aliasque perinde ac eas, quas rejecerant, incertas attulerint: Ut speciatim erant qui *Antiochum* à *Philone* descivisse dicerent, *ut ii, qui se sequerentur, Antiochii vocarentur* ut refert *Cicero Acad. quæst. l.* 4. Inde adeo discordes de Diis sententias commenti sunt ὅτι πλανωμένους καὶ μὴ τἀληθῆ λέγοντας ἀλλήλους ἐλέγχειν προῄρηνται uti loquitur *Justinus. Quod eis illud propositum sit studium, ut se invicem hallucinari minimèq; vera afferre arguant & convincant.* Neque quidem aliud est quam quod, cum in locis aliis versantur, satagunt; sic super primâ rerum materiâ planè scio diversas sententias plusquam ducentum recenseri posse; Iniquè igitur *Cotta* apud *Tullium*, cum concludit meritò nullam Deorum esse Naturam nos suspicari, propterea quod Philosophi tam latè in eâ explicandâ dissentiant:

In Icaromenippo.

Cohort. I. ad Græcos.

ant: Pari utique jure ſuſpicetur nullam extare τὴν ὄντων ὕλην *materiæ ſilvam*, ex qua res omnes efformentur, de qua tamen *Cotta* cum ſuâ *Academiâ* ne minimum addubitare potuit, parem tamen utrinque conſequentiam inveniet: Si quis enim authores conſulat, qui Philoſophorum ſententias unà corraſerunt, non minorem reperiret opinionum de materia diſcrepantiam, quàm de Deo: & proclive eſt obſervare vix quenquam eſſe, qui peculiare quidpiam de Deo ſomniavit, quin idem etiam circa materiam præſtiterit.

3. Confodiuntur Athei non modo argumentis quæ nos in ipſos objectamus, verum etiam quæ ipſi in nos; & iiſdē implicantur nodis, quos ut ſolvant, Divinam naturam abrogatum eunt. Quid enim in Deo adstruunt quod intellectum involvat, quin idem alteri cuipiam competat, ſi Deus non fuerit? Rationi, inquiunt, repugnat quidpiam ingenitum aut ſempiternum eſſe: Eſto, an vero abſonum erit Deum ab omni æternitate ἀγέννητον extitiſſe, & nunquid minus abſurdum videtur atomos, materiæve primæ maſſam ingenitam & æternam extitiſſe? Nunquid intellectum torqueat Numinis æternitas? an minus torquet æterna materiæ perduratio? Quæ diſſenſio nobiſcum ab Atheis interceſſit, niſi quod unicum ens improductum exiſtere ſtatuamus: illi infinita entitatula; nos ens ſupremum, quod mundi œconomiam concinnaverit, Divinâ ſapientiâ pollere dicamus; illi Entis ſupremi nomine appellent inertem materiæ maſſam omnis rationis expertem? Quocirca utrinque convenit aliquid primum & improductum eſſe; & ſolummodo diſceptatur an ens ingenitum rationis compos ſit, an expers. Et tamen vix quicquam nobis Exprobrant Athei, quin quod pariter tollat omne æternum & ingenitum.

4. Noſtrâ nihil omnino refert quam Philoſophorum ſectam ſequamur, aut quas mundi hypotheſes amplectamur: Nempe Naturam ipſam urgemus, cujus ſolertia palam eſt, non abditos operandi modos, aut ſpeciales hypotheſes, qua-

rum

rum utique perſpectio admodū lubrica & incerta eſt: v. g. Perinde nobis eſt, an Univerſi œconomia eodem ordine diſponatur, qui *Ariſtoteli* & *Ptolemæo* arriſit; an eo qui *Tichoni*; an deinceps eo, qui *Copernic*; an quovis alio; quoniam pariter omnes ſapientem Authorem exigunt; etenim ad quodcunque exemplar conformetur Mundi fabrica, adeo mirifice concinna eſt, ut nullo modo extrui & expoliri potuit niſi ſolertiſſimi cujuſdam Artificis dextrâ. Quod potiſſimum obſervari velim in primævis patribus ac Scholaſticis legendis, qui plerumque Peripateticæ philoſophiæ devoti argumentum hoc dum pertractant, multa interſerunt, quæ utcunque minùs explorata videantur, nequicquam tamen argumenti vires imminuunt: ſic cum Cœli ſiderumque ordinem, pulchritudinem, motuumque admirandam varietatem atque conſtantiam ediſſerunt, ſupponunt ſolem inter Martem & Venerem circumferri; Terram viciſſim omnium Planetarum medio immotam manere; Sphæras Planetarum ſolidas eſſe, quibus Planetæ tanquam clavi impacti affigantur; Fixas deinde omnes in unâ ſphærâ cohærere, quæ Erronum orbes ſponte in Orientem rotantes Occidentem verſus ſecum rapiat; quibus porro adjiciunt circulos Epicyclos, excentricos, Concentricos, & reliqua ejuſmodi: Quorum quidem alia manifeſtè falſa ſunt, alia adhuc inexplorata, atque omnino incerta, tamen argumento par robur ineſt, ac ſi iſta omnia vera ac perſpecta fuiſſent; quoniam adferuntur, non ut probationis munere perfungantur, ſed tanquam hypotypoſis concinni iſtius ordinis, à quo deducitur argumentum: Cæterum etiamſi falſum Paradeigma ordinis mundani aſſignaverint, ipſa tamen Ordinis concinnitas manifeſta eſt, nec minus elegans, quàm ſi eodem modo, quem illi autumarunt, inſtitueretur: Nam *Copernicanam* v. c. Hypotheſin conficere pariter opus rationis eſt ac *Ptolemaicam*, & mundi ordo ſi minùs hoc vel illo modo inſtituatur, inſtituitur alio perinde eleganti. Et propterea cum objiciunt nonnulli non poſſe adeo valide à naturæ œconomiâ argui,

gui, cum illius indaginem assequi non valeamus, frustra sunt. Licet enim peculiares modos, quibus instituitur & operatur natura, nesciamus, tamen adeo affabre institui videmus, & præclare operari, quocunque demum modo,ut inde non possimus nisi Authoris solertiã admirari. Et sanè tantũ abest quin rerum naturalium ignorantia causæ nostræ officiat, ut potius quodammodo prosit; non modo quòd Naturæ elegantiam, atque opera mirifica clarè advertamus liceat, etiamsi modus operandi atque instrumenta, quibus utitur, magnâ ex parte nos fugiant; sed etiam quod ipsa tametsi plerunque ignota valdè admirabilia esse deprehendere liceat: quippe si fortè interior Naturæ ratio paulò perspectiùs investigetur, quot vicibus subtilior videtur, quam cùm adhuc obscurior & magis abdita existeret! Quanto enim plus solertiæ in Naturâ advertunt, qui peritiores evaserunt in genuinâ Naturæ Philosophiâ, quàm qui eam aut parum sciant, aut omnino nesciant; si verò tanta solertia in iis appareat quorum detectionem quodammodo assequi valemus; quanta in illis agnoscenda est, quæ tam affabrè atque admodum subtiliter conficiuntur, ut præ exquisitâ subtilitate aciem nostram penitus effugiant! Nimirum solertia, quæ solertiã nostram tanto inertvallo antecellit, ut ipsum captum fugiat, quî potuit cæca&temeraria esse? Quî potuit nisi à mente diviniore, quàm sit nostra, oriri? *Quia enim* (inquit *Lactant.*) *supra hominis sensum & ingenium est, cui rectius quam Divinæ Providentiæ tribuenda est?* Iniquum idcirco est res fortuito factas fuisse opinari, quia quomodo fiant nondum satis exploratum est; quòd perennem Naturæ ordinem agnoscamus necesse est utcunque ecquo modo fiat nescii; planè enim novimus non adeo consultam & sapientem esse fortunam, ut opus tam præclarum quoquo-modo perficiat; & exinde sicubi solertem Naturæ ordinem deprehendimus tametsi peculiaris illius ratio lateat, inconsultâ Fortunæ temeritate nequaquam fieri potuisse vel inviti fateamur necesse est. Deinde quemadmodu

De irâ Dei cap. 10.

admodum ſunt, qui quoniam Naturæ conſilium indagari non poſſe ſibi perſuadent & nullum fuiſſe inde concludunt; ita alii ſunt, qui quoniam Naturæ indaginem ſeſe demum inveſtigaviſſe reputant, inde naturæ Authorem non deſiderari volunt: at protervè utrinque, quippe non aliter ſe gerunt, quàm ſi duorum horologii machinam contemplantium alter, quâ arte & proportione rotulæ ad invicem adaptentur, & motus ſuos tam accurratè peragant, ſciret; alter verò totius apparatûs ſit ignarus, & hinc utrique machinam iſtam nullo artifice fabrefactam fuiſſe colligerent: hic quia illius conſilium neſcivit, ille quia novit. Cæterum ſi quis ſub Philoſophi nomine Atheiſmo litaverit, is planè aut Philoſophiâ abuſus eſt, ut illius auxilio adverſus vulgi reprehenſiones atheiſmum tueatur; aut illam planè neſcit, vel parum callet: Primi generis homines ſunt, qui prius ſeſe omni impietati devoviſſent, quam cum alioqui propugnando non ſint, ad Philoſophiam confugiunt (eo modo quo Hæretici & ſchiſmatici ad ſacram paginam) quo melius impietatem ſuam adverſus imperitorum & Philoſophicæ ſcientiæ expertium clamores propugnent, inde enim adferre poſſunt, quod ejuſmodi Adverſariis ſilentium facilè imponat; cum obtendunt, ſive verum ſit ſive falſum non refert, quod illorum captum effugiat: Hi utcunque ſibi & plebeculæ ingenioſè Philoſophari videantur, tamen cuique prudentiori incredibilem aut ſtuporem aut impudentiam produnt, & Philoſophiam perinde ac religionem abdicaviſſe ſe oſtendunt, neque tam ingenioſè quàm ridiculè nequam habentur: Equidem mirum eſt quàm putidè nugentur viri aliôqui fœlici ingenio ornati, cum Providentiam, quæ totius naturæ apparatum inſtituit, abolere ſatagunt, & ad cæcum fortunæ ductum id referre, quod niſi ſummâ ſapientiâ, potentiâ, ſolertiâ, induſtriâ ſe effici non potuiſſe planè vociferetur. Poſterioris generis videntur ii, qui firmiter, antequam animos ſuos Philoſophiæ applicare ceperant, nihil niſi ſolâ Dei manu

fieri posse opinati fuissent. Hi cum leviter Philosophiâ tincti advertunt quibus modis naturales effectus produci potuissent sine immediato Dei opificio, non ulterius prospiciunt, sed inde demum conficiunt rerum Naturam sibi suisque operibus faciundis sufficere, atque interim omittunt ventosi & arrogantes jam facti Philosophi perquirere unde iste Naturæ ordo & series, qui tales effectus tantâ solertiâ producere valeat. Atque ita hos sciolos in atheismum tradiderunt partim falsa præjudicia, quibus se, antequam animos ad Philosophiam contulerant, imbuissent; partim Philosophiæ defectus quòd scilicet mechanicum Naturæ artificium se investigavisse reputant, ibi non sine bruto stupore subsistunt, nec de Artifice, qui Naturæ artificium & mechanismum disponeret, quicquam perquirere pergunt. Ita non Philosophia, sed Philosophiæ inscitia Atheismo famulatur, immò potius tantum abest quin liberæ Philosophiæ cultus quoquo modo Atheismi tyrocinium sit, ut ipsâ nullus uspiam validior suppetat Atheismi elenchus; & sanè nisi obstaret Philosophia, parum abesset quin ferè omnibus licuisset Atheis esse: iis enim, quorum aures oracula divina non percusserunt, quomodo in Numinis agnitionem nisi Naturæ contemplatione deveniri posset? Quid plura? *Næ quidem ille* (ut præclarè Vir multò Clariss.) *perversè nimium Philosophiæ nomine abutitur, quicunque Automati rotas, filamenta, commissuras, omnemque mechanicum apparatum evolvit, quorum interventu Dædala illa machina, temporum decursus, mensium ordines, Planetarum vices, reciprocosque maris æstus, & id genus alia exactè metiri didicit; si demum cum hâc suâ indagine hoc tantum proficiat, ut Artificem cujus operâ & ingenio ista debeantur minus agnoscat.*

Dr Willis *Cerebr. Anat. Epist. Dedic.*

5. Neque incongruum est subnotare nullam hactenus hypothesin ab Atheismi patronis assignatam fuisse, quibus omnia Naturæ Phœnomena expedire adlaboraretur; multas agnosco quæ aggressæ sunt aliquot naturalium legum & effectuum canonas

nones per opportunum casuum concursum explicare; at nullas hactenus videre contigit, quin quæ innumerabiles Naturæ effectus prætererierint. v. g. nemo hactenus causam assignatum ivit, cur Sol oblique per Zodiacum circumferatur, cur hinc inde à septētrione in Austrum vicissim iret & rediret; Nemo explicatum ivit, quomodo musculi in hanc situs, & processûs rationem, quam adepti sunt, efformantur: nemo exortum vasorum generationi famulantium; quoniam diu antequam liquor ullus per ea fluat, efformantur, & innumera ejusmodi reliqua. Et in istis, quorum ex casu ortum expedire adnituntur, non totam eorum œconomiam disserere suscipiunt, sed satis fecisse se rentur, si vel in uno solùm momento id præstent: Sic cum *Epicurus* & *Asclepiades* se bellè provinciâ defunctos arbitrabantur, si ostendere potuissent quo pacto citra Artificis cujusquam rationem & consilium tam commoda in singulis manûs tendinibus moles oriri potuit; scitè monet *Galenus* ut pariter de cæteris ad illos spectantibus edisserant. *Vos oportebat primùm quidem sicut tendonum moles non magis artificiosè quàm inartificiosè fieri ostendistis, eodem modo dicere aliquid etiam de eorum multitudine, & positione & applicatione.* Sed & hoc affatim evictum esse arbitramur, ubi supra de canalibus per corporis ambitum excavatis egimus. *De usu part. l. 1 c. 21.*

6. Ut multa Phœnomena expediant, de materiæ particulis & rebus inanimatis tanquam mente & affectibus præditis loquuntur, ut cum iis electionem quandam optimi aut idonei tribuunt; Hoc commodius (uti sæpiusculè loqui solent) invenerunt atomi, hinc hoc vel illo modo sese accommodarunt; aliæ hunc locum, situm, ordinem quærunt, aliæ istum. Quoties innuunt res inanimatas alia velle, appetere, adamare; alia vicissim, à quibus abhorrent, devitare? Quàm trita axiomata, *opus naturæ opus intelligentiæ*; *natura nihil frustra*, & sexcenta hujusmodi, quæ aut inanimatis rationem & electionem attribuunt, aut ratione & consilio aptari subinnuunt. Quoties de Naturæ scopo & intentione? quoties de mutuo rerum

 consensu?

consensu? Quoties de rebus omnibus dicere solent, quasi sua quæque munia intelligerent? Sic *Epicurus* cum Dei Providentiam ad mundi gubernationem non desiderari disputavit. *Quid opus* (inquit) *sapientiâ ordinis in exercitu, si militum quivis suâ sponte noverit locum, ordinem, stationem, quam accipere & tueri debeat*, &c? Quasi atomi eo ingenio polleant, ut muneris sui quæque gnara sit, & sapientiâ accincta eo fungatur. Quibus constat ipsos rem expediendo non esse, sed occultò rationem inducere, quæ vaga omnia moderetur. Ita deinceps cum omnia ad Naturam effecta referunt, fatentur casu ea primò extitisse, Naturam verò sese usu, & multiplici ejusdem casûs eventu sensim erudiisse, & demum istâ peritiâ, quam jam indies exerit, imbutam evasisse; ita ut quod casu duntaxat initio contigerat, id temporis decursu, Naturæ longâ utique experientiâ edoctæ arte fieret: Quomodo *Epicurus in epist. ad Herodotum* ὑπολειπτέον καὶ τὴν φύσιν πολλὰ καὶ παντοῖα ὑπὸ τῶν αὐτῶν τῶν πραγμάτων διδαχθῆναι. *Illud supponendum est fuiße Naturam ab ipsis rebus edoctam.* Atqui verò nisi Naturæ nomine causam intellexerint, quæ rerum eventus observare, iisque attendere valuit, quomodo erudiri potuit? Cum verò nihil aliud insinuari velint, quàm certas leges, secundum quas atomi suas motitationes moderantur, nisi causam sapientem induxerint, quæ naturæ leges tulerat, & atomis certas motiones indiderat, hoc solùm lucrantur sibi ipsa corpuscula leges præscripsisse, & motus quæque suos solertissimè gubernare. Atque quidem cum nihil aliud præter atomos, earumque motus Naturæ nomine exprimi velint, quid aliud, si quid omnino, dicunt, quam atomos sibi leges instituisse, certasque artes coluisse, eoque peritiæ diu assuescendo pervenisse, ut longè solertiùs quàm artificum peritissimi operarentur? Verùm fierine potest quenquam mortalium eo inscitiæ, aut potius stuporis delapsum esse, ut credat quidquam valere consuetudinem in vagis & temerariis atomorum motibus; quodq; fortè semel hâc serie moverint, idcircò eo promptius & facilius

Plut. de facult. luc.

lius in eandem rursus concedant; præsertim ubi tam incomprehensibilis motuum fortuitorum complicatio postulatur, quantam efflagitat unius animalculi fabricatio. Nec denique quicquam apud Atheos vulgarius est, quàm ut de Naturâ (quam toties crepant, & Numinis vice tanquam Mundi Reginam venerantur) tanquam principio, quod summâ solertiâ & sagacitate polleat, loquantur, quo Deum dum repudiant, tandem admittunt, uti supra aliquoties monuimus.

7. Neque quidquam lucrantur, cum Naturæ Phœnomena ad causarum naturalium seriem referunt; sed potius eò perplexius irretiri videntur, quò altiùs causarum seriem deducunt; nam quantò major earum series, tanto est mirabilior; ac proinde eo potentius sapientiæ, quæ eam instituerit, argumentum. Sic cum omnia, quæ in terris advertuntur, Phœnomena, unde sint sciscitamur; interpellant statim, à cœlo & astris; quo tamen minimè se evolvunt; Ecquis enim non videt haud minoris consilii esse cœlo sideribusque ad ea producenda uti, quàm si illa Deus ipse absque omni aliorum agentium ministerio produxisset? An non stupenda est sapientiæ vis, quæ eo consilio cœlos disposuerit, ut tam affabrè & opportunè tam præclâra moliantur? Par equidem Providentiæ opus videtur, quòd Sol herbas teneriusculas è terræ gremio evocet, foveat, in folia discriminet, & deinceps in flosculos perficiat, & granula postea in novam progeniem evasura conformet, quàm foret, si Deus, subducto sole aliisque ipsius ministris, hæc omnia ipse elaboraret. Adhæc animantia, inquiunt, progenuit Sol, edidit terra; esto, sed unde tam opportuna solis terræque ad invicem distantia? Unde soli tam exquisita vis prolifica? Unde facultas tam elegantes machinas condendi? Num probabilius quod sol tales fœtus nisi ex Providentiæ præscripto procreet, quam ut ipsa tellus eos sponte effundat? Quid opus igitur ad solem confugiendi? Potissimum cum jam ante affatim probavimns tam

affabre

affabrè & exquisitè concinnatas esse animalium omnium fabricas, ut nullâ causâ, nisi quæ sapientiâ polleat, extrui potuissent. Quid quod denique majoris sapientiæ sit causarum seriem instituere, quam ipsos effectus immediatè genuisse? sic cum omnia Naturæ opera ad causas naturales referunt, eatenus succrescit difficultas, quatenus solius Providentiæ opus sit, tum naturæ opera efficere, tum instrumentorum seriem, quorum ministerio utatur, adaptare; sicut pluris est unà cum automato instrumenta, quibus fabrefieret, conficere, quàm id solum elaborare.

8. Neque nostrâ refert an naturæ opera & Phænomena peragantur Mechanico quovis artificio, quo valeant *causæ secundæ* varios motus & munia, quibus destinantur, obire; an quodlibet magis speciali *Causæ Principis* concursu & directione perfici dicatur: Quippe si omnes Naturæ motus mechanico quodam apparatu deducantur, paria sanè immensæ sapientiæ vestigia in ejusmodi mechanismi dispositione prostant, ac si ipsa omnia Deus ipse immediatè operaretur. Quid nempe creditu enormius quàm materiam vago & fortuito casu in ejusmodi demum ordinem olim coiisse, ut necessariò tam inviolabili constantiâ, totidem, tam admirandis, magnificis, subtilibus officiis & usibus fungeretur? Quin & longè præclarioris esse videtur artificii opera automata & instrumenta ita erudire, ut opificia quævis conficiant, quàm si ista non nisi Artificis labore conficerentur. Neque præterea disputatur an res quæque naturales diversimodis corpusculorum motu, situ, quiete, figurâ, magnitudine, separatione conjunctione naturam suam & proprietates adipiscantur; sed an corpuscula tam concinnè ad motus, figurationes, situs, conjunctiones, è quibus totidem, tam exquisita Naturæ machinamenta extruantur, temerario lusu determinari possint. Ita licet corporis compages solâ causarum inferiorum operâ extrueretur, tamen in eo elucescit Providentiæ vis, quòd ita omnia concinno ordine disposuerit, & locis debitis delegaverit, & ejusmodi instru-

instrumenta apparaverit, ut necessario conspirent & cooperenter ad tam elegantem corporis symmetriam expoliendam; cum nimirum ad illius molitionem tot mille solertiæ specimina exigantur. Quid equidem Providentiâ istâ admirabilius, quæ adeo scitè bruta agentia adaptavit, ut per tam varios meandros & ambages stabili eodemque tenore ad difficillimam & exactam eutaxiam confluerent. An Deus quicquam in naturâ hodiè immediatè operatur, an potius ita omnia initio disposuerit ut illius auxilio non indigeant, sed ut sine eo res quæque munia quibus destinantur exequi valeant, hactenus Theologis & Philosophis disquirere permittitur: An verò Deus ita potuit Naturæ œconomiam disposuisse, ut postmodum illius concursus non desideraretur dubitare pene nefas foret. Quidni enim potuit Deus, postquam Mundi Idæam efformaverat, tantum materiæ in minutissima corpuscula divisæ apparatum condidisse; quanta toti machinæ absolvendæ sufficeret; variis magnitudinibus & figuris varias particulas induens, innumeris motibus exagitans, & in varias demum contexturas colligens, ex quibus varias qualitates & facultates voluit comparari, quæ omnia deinceps Naturæ munia ritè obirent, & omnes, quos præscripserat, effectus præstarent; hinc aliis vim magneticam indidisse quâ alia ad se adducere valerent; aliis vim elasticam, quæ jugi in omnem partem nisu ubique subirent, ne usquam rescindatur rerum compages; alias in varias contexturas mirificè compegisse, & undique per terrarum orbem conspersisse, aut particulis ejusmodi propensionem indidisse, ut sponte ipsæ in ejusmodi contexturas demum coirent, ex quibus deinceps innumerabiles enascerentur plantarum species; his amplius animantium genera efformavisse, iisque exquisita quædam organula, quæ particulas alimenti nonnullas ea arte elaborarent, ut ex iis postmodum alia pro suo quæque genere nascerentur, adaptasse, & istiusmodi reliqua. Si inquam hanc aut hujusmodi hypothesin instituerit Naturæ Opifex, perinde & forte luculentius sapientiæ specimen exhiberet quam

si

si ipse se omnibus Naturæ operibus & phœnomenis hactenus immisceret!

9. Invictissimum esse ratiocinium, quod ab Artis operibus ad Naturæ opera ducitur: nempe quòd si artis opera solâ ratione perficiantur, nedum quæ conficit natura; quoniam quin illa istis longe præclariora sint dubitari nequit, quod partim ex prædictis liquet, & plenius constaret, si forent utraque ad invicem commissa: Neque enim aliud quicquam Artes videntur quàm Naturæ æmulatio; fasne igitur hujus machinamenta demirari, illius tanquam casu compacta æstimare? Quid aliud artis canones quam observationes quædam ex Naturæ solertiâ depromptæ? Quid aliud artis opera & præclariora effecta, quàm quædam Naturæ imitamenta? Sic exquisita *Galilæi* perspicilla quæ nuper inventa tantâ cum admiratione excepit orbis, vix quicquam in se admirandum habent, nisi quod ad Oculorum formam efformentur: & sanè quid aliud Optice quam observationes aliquot ab oculorum usu & solertiâ desumptæ? Ut & Artes pingendi, cœlandi, sculpendi, à sola proportione partium omnium ad invicem singularumque inter se desumi videntur: & Musica Instrumenta ad similitudinem organorum vocibus modulandis inservientium machinantur; & musculis demum ita proportionantur intervalli, ponderis, molis, motûs, figuræ rationes, ut non solum arte mechanicâ ordinari videantur, sed & illius regulis ansam primum dedisse, & ejusmodi alia. Quod autem excipiunt aliam esse artificialium rationem, aliam naturalium, quoniam ista Artificum industriâ effici quotidiè videmus, cum nihil tale in naturalibus intueri liceat, prorsus futile & ridiculum est: id nempe quod objiciunt argumenti nervus est; scilicet si Artis opificia non possint nisi Arte fieri, ut quotidiè experimur, quantò minus multò exquisitiora Naturæ opera; non enim à sensu fit argumentatio sed à minori ad majus, qua nulla validior; ut scilicet si videamus præclara ædificia, animalium picturas, automatum machinas solâ

ſolâ ratione elaborari poſſe, quantò magis rationem deſiderant longè præclariſſima Naturæ opificia, quæ innumerabilibus intervallis Artis molimina ſuperant? Et porro inſtituitur comparatio ſolùm inter utriuſq; ſolertiam, ut ſi ab ipſâ Palatii alicujus elegantiâ ab Artifice extructum fuiſſe ritè inferatur, cur non à ſolâ Mundi elegantiâ Architecti ſapientiam inferre liceat? Non enim argui velimus Palatium hoc ab Architecto quodam conſtructum eſſe, quod aliud vidimus ita conſtrui; ſed ſimpliciter à ſolâ ædificii ſtructurâ, quòd ſcilicet ejuſmodi ſit, ut fortunæ manibus extrui reſpuat, & non niſi cauſâ rationis & conſilii compote fabrefieri potuiſſe ipſa clamet; ut ſi quis, qui in ſilvis ſemper vixerat, & nihil humani artificii antea viderat, in illud incideret, illiuſque elegantiæ, ſymmetriæ & utilitati attenderet, ſtatim Artificis ingenium & induſtriam miraretur: neque enim niſi ab omni rationis uſu deciderat, ædificii ſtructuram fortuitò extitiſſe arbitrari poterat. Vel ſi Idiotæ cuivis in ſilvis nato omniſque humanæ artis ignaro horologium quoddam exquiſitum objiceretur, ſi etiam ab Artifice diſſereretur mirabilis prædictæ machinæ œconomia; quantâ elegantiâ concinnetur, quàm ſubtilibus, variis, tenuibus organulis inſtruatur; quos motus, & quàm æquales obeat, quibus uſibus inſerviat, quàm fideliter temporis menſuram indicet, & id genus reliqua; an non protenus, niſi quidem penitus obbrutuiſſet, Artificis ingenium & induſtriam obſtupeſceret? An non machinæ ſolertia ſe temerè & citra artem ac ingenium fieri non potuiſſe per ſe ipſa vociferetur? Ita ſi fingatur Philoſophos eſſe, qui ſemper ſub terrâ delituiſſent, nullumque ædificium extrui obſervaſſent, aut extructum eſſe aliunde accepiſſent; hos autem poſtea è latebris eductos, ut elegantiſſimum quodvis Palatium perluſtrarent, an non ex ſolâ ſtructuræ elegantiâ Conditoris ſolertiam agnoſcerent? vel ſaltem an non luculentiſſimè Conditorem proderet nuda et ſimplex ſtructuræ elegantia; ita ut omni rationi reclamarent, ſi non Artificis, ſed fortunæ manibus extructam fuiſſe arbitrarentur?

rentur? Cum denique præclarè arguit Stoicus. *Si meliora*
Cic. de N.D.l.2. *sunt ea, quæ Natura, quam illa quæ arte perfecta sunt, nec ars efficit quicquam sine ratione: ne natura quidem rationis expers est habenda. Qui igitur convenit signum aut tabulam pictam cum aspexeris, scire adhibitam esse artem: cumque procul cursum navigii videris, non dubitare, quin id ratione atque arte moveatur: aut cum solarium vel descriptum, aut ex aquâ contemplere, intelligere declarari horas arte, non casu; mundum autem, qui & has ipsas artes, & earum artifices, & cuncta complectatur, consilii & rationis esse expertem putare?* Frustra regesserat *Cotta* nullam esse ab arte ad Naturam consequentiam, quòd videamus artis opera arte fieri, non autem quæ perficit natura: Quippe imprimis inde petitur & stabilitur argumentum, quòd nempe si compertum sit artem nihil sine ratione efficere; nedum natura rationis expers habenda est, quòd meliora sunt ea, quæ naturâ, quàm illa, quæ arte perfecta sunt; ita argumenti fundamentum est, quod pro certo innotescat artis opera solâ arte fieri, unde deinceps infertur non nisi arte fieri potuisse Naturæ opificia; quòd plus artis & solertiæ postulent, quàm quæ arte perfecta sunt; Ita tantum abest argumentum ab arte ad naturam responso isto labefactari, ut illi tanquam fundamento superstruatur. Deinde facilè fingi potuit quæ arte perfecta sunt, cuidam artis planè rudi objici; quod si fingatur, porrò interrogari potuit, an non oportuit, postquam illorum symmetriam intellexerat, arte fuisse perfecta colligere? & An non absurdè admodum se gereret, si opificia tam stupendæ solertiæ & utilitatis casu ac temerè elaborata fuisse crederet? Et propterea fortasse est, quòd idem Author proximè similitudinem seu potius ratiocinium ab ejusmodi Artis opificiis petat, quæ nunquam antea visa fuerant. Ut *si in Scythiam aut in Britanniam sphæram aliquis tulerit, hanc quam nuper familiaris noster effecit Posidonius, cujus singulæ conversiones idem efficiunt in Sole & in Lunâ & in quinque stellis errantibus, quod efficitur in Cælo*

singulis

singulis Diebus & Noctibus: quis in illâ barbarie dubitet quin ea sphæra sit perfecta ratione? Et mox inducit illum apud *Actium* pastorem, qui navem nunquam ante vidisset, ille tamen ut procul divinum & novum vehiculum Argonautarum è monte conspexit, primo aspectu inanimum quiddam, sensuque vacuum se putat cernere, post autem signis certioribus, quale sit id de quo dubitaverat, incipit suspicari: sic Philosophi debuerunt, si fortè eos primus aspectus mundi conturbaverat, postea cum vidissent motus ejus finitos & æquabiles, omniaque ratis ordinibus moderata, immutabilique constantiâ, intelligere esse aliquem non solùm habitatorem in hâc cœlesti ac divinâ domo, sed etiam rectorem & moderatorem, & tanquam Architectum tanti operis, tantique muneris. Sic quod artis opera artificum ratione elaborari videmus, nostrâ nihil refert, cum abundè à solâ ipsorum solertiâ artificem esse argumentari liceat; quod autem fabrefieri videmus, nervos argumento addit, si enim ista ab Artifice quodam semper fiant, sequitur ut multo majis longè præclariora Naturæ opera Artificem desiderent.

10. Nec quidquam est, quòd aliqua in rerum naturâ Melius fortasse disponi potuissent; libenter enim agnoscimus, immò acriter contendimus Deum perfectiorem mundi fabricam, siquidem placuisset, extruere potuisse; tantam enim potuit fœcunditatem terræ indidisse, ut nullæ uspiam provenirent steriles avenæ, ut omnis ferret omnia tellus; & tantam salubritatem, ut nullæ noxiæ & venenosæ plantæ, aut animantia uspiam vigerent; neque iisdem, quod jam fit, opus foret; potuit genus humanum firmioris roboris, ac diuturnioris vitæ extruxisse; non in totidem, & tam varios morbos ac ærumnas proclive; non præmaturo, aut tam præcoci facilive interitui obnoxium, & ejusmodi alia: & propterea parum mihi placet eorum institutum, qui quò magis sapientissimam Dei Providentiam celebrent, rerum naturam usque adeo perfectam esse volunt, ut nullo pacto quidpiam melius

inſtitui poſſet: quaſi Deus omnes ſapientiæ theſauros huic machinæ extruendæ impendiſſet, & in eâ ultimum potentiæ ſpecimen edidiſſet. Verum utcunque melior natura excogitari potuit, tamē adeo undiq; exquiſita eſt hæc, quam videmus, ut non potuit niſi à cauſa ſummo conſilio prædita conflari, de qua ſanè multò potiori ratione dici poſſet, quod ſuo Athletæ *Zeuxem* ſubſcripſiſſe fertur, Μωμήσεταί τις μᾶλλον, ἢ μιμήσεται *culpaveris hæc facilius quàm imitaberis :* Quanquàm enim conceſſerim Deum præ potentiæ & ſapientiæ immenſitate præſtabiliorem Naturæ œconomiam ſancire potuiſſe, tamen conſtanter pernego ingenium humanum parem, nedum meliorem, excogitare poſſe; etenim non video quomodo commodius quàm plurima attemperari potuiſſent, exemplo ſit ratio circuitûs ſolaris, quæ adeo providè ordinari videtur, ut opportunius nullo hominis ingenio inſtitui potuiſſet; Ita enim Sol unicus toti terrarum orbi ſufficit, ut ſive plures mundo præſidere vellemus, ſive eundem alia ratione compoſitum, utilitatem ei, quam jam affert, parem non conciliaret: ſi enim variis Zonis varii Soles imminerent, perpetuo ardore terram aduerent; jam verò Sol nunc accedendo, terram calore fovet, nunc recedendo, eam vires, ne nimium exhauriatur, reſarcire permittit: aut ſi ulterius ad utrumlibet polum procurreret, nonmodo quæ ab altera parte degunt animalia, propter nimiā Solis abſentiam & longinquitatem frigore perirent, ſed fontes frigoris, regiones nempe prope polos ſubjectæ, ita incaleſcerent, ut inde frigora, quæ ardorē temperarent, & aqueū humorē (qui alioqui penitus exhauriretur) reſarcirent, provenire nō poſſent. Sed eſto res quaſque melius inſtitui potuiſſe, an idcirco ratione & conſilio non inſtituuntur? Nihilne arte effectum, quod non omnibus numeris abſolvatur? An non alia horologia perinde ac celebris *Argentienſis* illa Artificem confitentur? An non alia ædificia utcunque longè inferiora Architectum deſiderant, pariter ac excelſa & regia palatia? Aut an ædificium quodvis, ſiquidem ruinis obnoxium ſit, conſilio ex-

truƈtum

tructum non fuisse arguemus? An horologia Artificis manu non adaptari suspicabimur, quoniam labefactari possunt; & sæpiusculè labe aliquâ contractâ restaurari efflagitant? An non penes Artificem sit qualia lubet opera elaborare? An necesse est ut semper totam peritiam exerat? An *Apelles* semper *Venerem*? An *Phidias* semper *Minervam*? Si quis in silvis tuguriolum ex cespite & vimine constructum intueatur, & quòd non pari arte, nitore, robore, amplitudine, ac *Cæsaris Palatium* aut *Capitolini Templum* absolutum fuerit & exornatum inde colligeret non hominis industriâ, sed cespitis & viminis frustillis in aggerem fortè collectis factum fuisse, an non quam ineptissimè argueret? Quanto autem obtusius se gerunt, qui mundum temerè & casu factum esse colligunt, quòd non tam absoluta, elegans & commoda sit illius fabrica, quàm fingi posset? Equidem perinde est ac si *Archimedes* palatium quodvis augustissimum nulla arte extructum fuisse diceret, quòd ipse exquisitiorem fabricam excogitare potuisset. Mundum autem tugurio contuli non quasi non summoperè ornatum & Augustum esse dixerim; quippe immensùm pluribus intervallis elaboratissimum quodque ædificium exuperare crediderim, quàm vilissimum quodcunque tuguriolum Augustissimo palatio superetur: sed quòd ad immensitatem divinæ potentiæ dum respexerim, tanquam casula nullius splendoris aut amplitudinis esse videatur mundus, præ eo quem ædificare valeat Omnipotentia.

Quid quod denique eadem objectare licuisset, etiamsi Deo placuisset longè meliorem naturam extruere? Ut si fingatur hominem tantæ firmitudinis condidisse, ut ante annum vitæ centessimum neque morbis obnoxius foret, neque mori posset; tamen Providentiam pari jure reprehenderent, quòd hominum vita ad ducentum annorum spatium non prorogaretur; & si ad ducentum annos foret prorogata, tamen quòd non ulterius protracta esset, morte præmaturâ extingui videremur; atque ita deinceps quamdiu cunque protrahi fingatur, eadem

rediret

rediret Providentiæ reprehensio quod homines immortales & sempiternos non procreaverit. Quin & immortalitate donati quereremur, quòd eâ frui non liceat, nisi continuâ alimenti assumptione subinde nutriamur. Sed & his etiam datis, conqueri nihilominus pergeremus ingratum & invidum genus de staturæ humilitate, de virium infirmitate, & si quæ aliæ dotes nobis abessent, quibus aliud quodcunque animalium genus exornetur. Veruntamen si vicissim ingrati homines minus firmam aut commodam conditionem adepti fuissent, se satis fælices, & Deum ipsis abundè munificum haberent, si postmodum ad hanc, quam occupant, vitæ sortem proveherentur. Fac illos ambulandi usu caruisse, quàm fælices sese reputarent, quantâque gratitudine perfunderentur, si postea istam facultatem assequerentur; quantum, inquam, id ipsum donum reputarent, de quo jam queruntur ingrati, quôd scilicet Deus præstabilius donavisse potuit, sed pro divinæ potestatis arbitrio donare noluit. Sic si loquelâ destitutum natum fuerat hominum genus, si que postea eâ nos beare Deus dignaretur, immensum beneficium æstimaremus; quod tamen, quoniam illius defectum non experti sumus, nunc flocci facimus. Hisce satis omnia coargui opinor, quæ passim delirat *Lucretius* Providentiæ mundi Architectrici parcimoniam aut inscitiam aut oscitantiam exprobrans, quòd utique non naturam commodiorem, elegantiorem, augustiorem, sed totidem ærumnis &periculis obnoxiam instituerit.

11. Ut argumenta ab hariolationibus aut hypothesibus ad arbitrium confictis non petimus; ita iniquum est ut quæ diduximus, ab iis quidquam præjudicii patiantur. Si quis Atheū refutatum iret ex sacræ historiæ (quam pro fabellâ habet) testimoniis, nisi prius adstrueretur illius θεοπνευςία aut sufficiens authoritas, quot sannis, & meritò quidem, eum lacerarent? tamen vix hoc, ut impietatem suam propugnent, satagunt Athei; non enim tam precarias hypotheses adferunt, quàm immanes quasdam conjecturas seu potius fabulas,

las, ut ratiocinia nostra eludant: bene enim norunt non aliud impietati suæ patrocinium adferri posse quàm solum, ut ratiocinia, quibus evertitur, eludant.

Verum ut commenti non sumus animalia quædam longè pulchrioris formæ, quàm sint, quæ nobiscum versantur, in Lunæ orbe reperiri: ita neque par est, ut nobis objiciant posse in Lunâ aut alio quovis orbe horrenda monstra stabulari: Ut item non ab iis arguimus, quæ in siderum orbibus esse possunt, ita neque illis nos redarguere licet, quòd nesciamus quid ibi reperiatur, & quibus finibus astrum quodque inserviat. Quàm ridiculum est ad ignota confugere, cum totidem, & tam præclara ubique occurrant Providentiæ specimina, quæ controversiæ finem tam abundè imponere valeant? Ita fingenti *Epicuro* in *Principio* mundi alias quasdam innumerabiles animantes mirandâ specie & magnitudine fuisse natas; sed eas permanere non potuisse, quòd illas aut sumendi cibi facultas, aut coeundi generandique ratio defecisset, Egregiè reponit Lactantius. *Cum videret in omnibus quæ spirant, mirabilem Providentiæ inesse rationem; quæ, malum, vanitas erat dicere fuisse animalia prodigiosa, in quibus nascendi ratio cessasset!* Quippe demus monstra ejusmodi imperfecta casu olim è terrâ prodiisse, an idcirco sequitur animalia perfecta eo ritu efformari potuisse? Nimirum an ideo dubitare liceat opificium, quo vix quicquam solertius fabrefieri potuisset, an ratione effectum fuerit, quòd rude aliquod illi simile tentamentum sine ratione efficiatur? At quantò absurdius erit id dubitare, solùm quòd fingi queat tale aliquod tentamentum casu fieri potuisse, etiamsi factum esse nunquam comperiissemus? Quorsum multa, etenim ex animalium, quæ videmus, mirabili structurâ, solâ providentiâ efformata ea fuisse colligimus, utrum autem prodigiosa, mutila & deformia fuerint necne, ut prorsus nescimus, ita scire non refert, cum sive fuerint, sive aliter, pro certo nihilominus habemus talia hodiè esse, quæ adeo præclaram

De opif. Dei, c. 6.

ram & divinam produnt solertiam, ut non potuissent nisi divinitus pronasci.

Si denique istiusmodi commentis quidquam tribuatur, nihil tam absurdum est, tam vesanum, quin isto pacto propugnari queat; dicerem *Ovidii Metamorphoses* non fuisse Poetæ fabulas, sed Philosophi hypotheses, quibus prodigiosam, genuam tamen rerum originem enarratum ivit. Quorsum, si ista admittantur, *Deucalionis* & *Pirrhæ* saxa non admittimus? Quorsum ex satis à *Cadmo* dentibus homunculos, ex formicis *Myrmedonas* substitisse non credimus? Quorsum animalia commistis formis non olim emersisse, ut quædam partim hominem, partim bovem repræsentarent, Quorsum centauros, Chimæras, aliaque istiusmodi monstra in primo rerum exortu pullulasse adeo obstinatè pernegat *Lucretius*.

12. Quo clarius quis præmissæ argumentationis vim percipiat, monendus est ut desuescat mens à consuetudine oculorum, nec quod commune & familiare est, id leve existimet, sed rerum magnitudine, non novitate capiatur. Quoniam autem rerum solertia & majestas præ consuetudine imminui solet; finge te semper aliquo antro ab omni terræ cœlique aspectu inclusum delituisse, postea autem ex abditis terræ faucibus subitò eductum Universi magnitudinem & harmoniam collustrare; & adstent porro periti Philosophi, qui indigetent quæcunque Providentiæ specimina in terrâ, vegetabilibus, animantibus, homine sese produnt, an in isto statu omnia fortuitò extitisse crederes? An potius sine ecstasi totidem miracula contemplari posses? Quemadmodum refert Illustriss. Heros (gentis nostræ Juxta & ætatis ornamentum) de puellâ quâdam ab ortu oculis captâ, quæ duodevigessimo plus minus ætatis anno cæcicatis sanata ab innumeris Naturæ prodigiis, quæ sese undequaque illius aspectui ingesserant, tanto mirabunda perculsa erat stupore, ut præ nimiâ admiratione mente propemodum exciderat. Finge item

Mr Boil. de usu Philos. exper. p. 1. c. 1.

item te mundo primordiis præextitisse, & in concilium de mundo condendo coiisse, quî præclarius, quî solertius fabricari consuluisses? Quanto te stupore rapuisset, cum aspexisses rudem & indigestam materiæ aggeriem in mirabiliter adeo exquisitum ordinem & ornatum digestam esse. Finge insuper saltem animantium corpora, quæ casu constructa esse arbitraris, consilio & industriâ facta fuisse, aut saltem fieri potuisse, an ullo consilio, ullave sapientia solertius fieri potuissent? *Quid tu fecisses melius si Promethei loco constitisses?* *Gal. de usu part. l. lo. c. 3.* Assuescat mens paulisper istiusmodi meditationibus hærere, quæ tibi res, priusquam eum ordinem, quo constant, adeptæ sunt, representent, & vix poteris, quin in tam præpotentis sapientisque Architecti, qui adeo divina opificia condiderit, laudem & venerationem totus effundaris

13. Non denique prætereundum est nostrâ non interesse, an Rerum Natura ab æterno extiterit, an aliquando enata fuerit, sive an fato, ut aiunt, an fortuna extiterit. Utrumque enim perinde ridiculum & ineptum est: Quippe tametsi fingatur mundi fabricam eâdem serie, quàm hodie obtinet, ab æterno extitisse; tamen ex optima illius structura palam fit eam causa solerte & rerum provida conditam fuisse: Etenim cum in materiæ brutæ ac stupidæ ordine & distributione tam stupendam Providentiam videmus & agnoscimus, inde illius causam providam fuisse conficimus: Quæ autem Providentia in mundi œconomiâ aperta est, cum ipsi materiæ non insit, alibi quærenda est, atque adeo necesse est, ut præter materiam sit tandem causa provida; quæ eam digesserat. Et proinde *Aristotelei*, qui mundum fato & necessitate ab æterno fuisse asserunt, eâdem ratione ineptire videntur, ac qui eam casu&fortunâ extitisse asserunt; quid enim interest utrum tam stupenda Providentiæ specimina à cæcâ necessitate sint, an à cæcâ fortunâ? siquidem absurdissimum videatur, ut omnino forent nisi à causâ providâ; ut sive necessario, sive fortuitò existant, pariter ineptum sit: quòd utriusque

X absurditas

abſurditas in hoc verſetur, ut nempe tam præclara reperiantur Providentiæ ſpecimina, ubi nulla ſit Providentia : ad noſtram itaque cauſam perinde eſt, tam providum Mundi ordinem extitiſſe, ſive id neceſſariò, ſive fortuito, modo ſine Providentiâ, evenerit. Atque ita omnia in rerum naturâ Providentiæ phœnomena, quæ ſuperius recenſuimus, nòn minus fatum aſpernantur, quàm fortunam, cum neceſſario cauſam providam inducant; quòd turpiter abſurdum videatur tam ſolertia opera non referre cauſæ ſolerti; adeo ut quocunque referantur, ſive [cauſam habuiſſe dicatur, ſive non, parum refert; cum id, quod utrinque abſurdiſſimum videatur, eſt, ut omnino ſine cauſâ providâ & ſolerte extarent. Ut ſi fingatur *Peripateticum* & *Epicureum* in *Auguſtiſſimum* quoddam palatium, cujus ortus & prima conſtructio nemini innotuerat, unà incidiſſe; An non qui illud ſemper abſque opifice extitiſſe diceret, perinde vecors foret, ac qui fortunâ & temerario ruderum confluxu coagmentatum cogitaret? Quippe uterque pari vecordiâ rem, quæ luculentiſſimè artem & rationem prodit, cauſæ artis & rationis neſciæ tranſcribit. Siquidem ipſa ordinata ſtructuræ compages artificem planè indigetet; cum enim rudera, è quibus conficitur, omni arte & conſilio vacare conſtet, neceſſe eſt ut demum agnoſcatur Artifex, qui tam concinnam & artificioſam molem fabricaverit. At vero quemadmodum ipſa Palatii σύνταξις & elegantia Architectum prodit, & luculenter teſtatur fuiſſe quandoque fabrefactum; ſic ex mundi elegantia colligitur, non modo non fuiſſe caſu conflatum, ſed quoque extructum fuiſſe, idque à cauſa intellectrice : Quid enim magis Artificem deſiderat, quàm tam apta, tam concinna, tam utilis partium Mundi conſpirantium harmonia? *Epicurei* itaque cum Univerſi Machinam fortunæ aſcribunt, nihilo melius ſentiunt, quàm ſi *Auguſtiſſima* quæque Palatia temerario partium concurſu extrui arbitrarentur, & viciſſim *Ariſtotelei* dum tam præclaram tantarum molium ſymmetriam per

se & semper constitisse opinantur, non aliter sentiunt, quàm si Capitolinis Ædibus Architectos quoscunque abrogarent, & per se in eadem compage ordinatas fuisse dicerent. Propterea sicut non minoris vesaniæ sit credere ædificia per se, nulloque architecto confecta extitisse, atque sit si quis crederet fuisse illa forte fortuna extructa: ita perinde stupidus & vecors est, qui tam conspirantem & ordinatam partium Universi compagem per se, sublata omni quacunque causa intellectrice, ab æterno & nescio qua bruta necessitate fuisse autumaret, atque sint ii, qui eam ex cæca & temeraria particularum concursione prodiisse statuunt. V. G. cum supra *Cap.* 2. sciscitati fuerimus unde tam apta, provida, mirabilis œconomiæ solaris institutio, viz. tam opportunum à terra intervallum, tam velox & constans circuitus, tam mirabilis intra Zodiacum cursus; cur huc usque excurrat, & non ulterius; quorsum à Septentrione in Austrum meet, & vicissim remeet; & ejusmodi reliqua; hæc inquam cum interrogamus, nobis perinde est, quicquid reponant, sive fortunam, sive fatum, sive naturam, sive quidvis aliud; quippe de singulis porro sciscitari licet, an sint ratione & providentiâ prædita, necne; si istud, Deum agnoscunt; sin secus, nihili est quod reponunt, etenim perinde est in quam causam tam providam œconomiam refundant, nisi ad intellectricem referant; neque refert quo nomine appellent, modo bruta sit. Quod insuper de mirabili corporis humani structurâ dicendum est: Cæterum ab illius fusiori tractatione supersedeo, quoniam affatim aliunde liqueat hominis naturam à se non fuisse, & proinde Auctorem habuisse, uti initio capitis secundi evicimus, ubi demonstratur tum quicquid à se seu naturæ suæ necessitate non existit, à causa aliqua existentiam mutuari; tum naturam humanam nulla intrinseca necessitate existere (nulla enim repugnantia est, quin penitus interiret) & proinde existentiam

X 2 bene-

beneficio causæ alicujus adipisci, quam fuisse consilio & ratione præditam capite tertio satis evicisse nos arbitramur. Ut ut igitur, quantumcunque reluctentur Æternitatis Naturæ assertores, satis jam liquet totam controversiæ molem ad *Hypothesin Epicuream* devolvi, adeo ut istâ funditus eversâ, altera *Aristotelis* & quæcunque aliæ unà corruant.

Non sum nescius alios alia ratiocinia fabricari, si valida sint, gaudeo: Quod vero ad me attinet, satius duxi, quod mihi optimum videbatur, plene & accuratè, quantum licuit, pertractare, quam singula minori ἀκριβείᾳ disserere. Neque presentis instituti fuit Atheos quoquo modo debellare, sed solummodo armis ex Philosophiæ naturalis penu depromptis, ut, quantum religioni famuletur, patefiat: nempe illius perinde ac religionis vindex esse statui. Nec denique dubito quin plerique argumentationis nostræ prolixitatem reprehenderint; at ii sunt, qui controversiam non admodum callent, neque satis norunt quibus viis & argutiis atheis elabi solenne sit: verùm quotquot rem plenè & omni diligentiâ mecùm attenderint, scio unà mecum videre nullum caput me frustra inseruisse: Neque satis fecisse me arbitrarer, si solum, quòd fieri solet, in Rerum Natura Numinis Providentiam perspicuam esse fidenter dictitaveram, nisi etiam præclara aliquot illius specimina singulatim indigetarem, atque subinde quo plura, eo fortiùs argumentum comprobasse mihi videor.

C A P.

CAP. V.

Rejicitur Cl. Cartesii *Adversus Atheos Argumentatio.*

QUoniam nihil majori veritatis præjudicio sit, quàm illius à mendaciis defensionem petere, superest, si qui in causâ, quam teneo, tuendâ erraverint, ut eorum auxilia abjiciam, atque eâ libertate transfigam, quâ jam ante fui atheismum sectatus: Cæterum longè aliis nobiliora sunt duo *Clariss. Cartesii* sophismata, quibus vir mathematicè doctior quàm metaphysicè Dei existentiam magnâ cum pompâ probatum ivit; altero in *meditatione tertiâ de Primâ Philosophiâ*, in *quintâ* altero. Quæ compendio solvere, quoad fieri potuit, operæ pretium duxi, idque eò libentius, quòd à viris, iisque haud indoctis, maximi tanquam *Archimedeæ* demonstrationes habeantur; è quibus, ut exterorum innumeros taceam, inter nostros præcipui sunt *Doctiss. H. Morus Cantabr. in Antidoto Atheismi, Charltonus Medicus Londinensis* libro, cui titulum fecit, *de tenebris Atheismi*, nec non ex parte (uno enim eorum misso, satiùs diduxit alterum) vir multiplici corona longè dignissimus *Stillingfleetus libro de originibus Sacris, lib. 3. cap. 1.* Ut igitur pergamus. Sic in tertia Medit. argumentatur. D. *De Cartes.*

Utcunque nesciam quicquam extra meipsum existere, tamen cogitandi modos, quibus res alias animadverto, in me esse certus scio, quippe certus sum de re aliqua me cogitare, quamvis extra me fortasse nihil sit; Nullus enim error mihi obrepit nisi ex eo, quòd Ideas, (sic enim cogitationes seu cogitandi modos appellare placuit) quæ in me sunt, judicem

rebus

rebus quibusdam extra me positis similes esse sive conformes: Nam profecto si tantùm Ideas ipsas ut cogitationis meæ quosdam modos considerarem, nec ad quidquam aliud referrem, vix mihi ullam errandi materiam dare possent. Propterea igitur cum ideæ seu cogitationes simplices nequaquam errori obnoxiæ sint, restat solum earum origo investiganda: Quoniam vero aliæ innatæ sint, aliæ adventitiæ, quo pacto clarè earum omnium originem perspiciam? fortè omnes factæ & commentitiæ, cum quidem mihi insit facultas Idearum effectrix, Ut igitur perspicuè intelligam unde nascuntur Ideæ, perpendam imprimis oportet earum perfectionem; Nempe quatenus ideæ istæ cogitandi quidam modi tantum sunt, non agnosco ullam inter ipsas inæqualitatem, & omnes à me eodem modo procedere videntur; sed quatenus una unâ rem, alia aliam repræsentat, patet easdem esse ab invicem valdè diversas, nam proculdubiò illæ, quæ substantias mihi exhibent, majus aliquid sunt, atque (ut ita loquar) plus realitatis objectivæ in se continent, quam illæ, quæ tantum modos sive accidentia representant; & rursus illa, per quam summum aliquem Deum æternum, infinitum, omniscium, omnipotentem rerumque omnium, quæ præter ipsum sunt, creatorem intelligo, plus profecto realitatis objectivæ in se habet, quam illæ, per quas finitæ substantiæ exhibentur. Jam vero Lumine naturali manifestum est tantundem ad minimum esse debere in causâ efficiente, quantum in ejusdem causæ effectu, ergo cum in ideâ omni sit realitas objectiva, in illius causâ tantundem ad minimum sit necesse est realitatis formalis, quantum ipsa continet objectivæ. Quapropter si realitas objectiva alicujus ex meis ideis sit tanta, ut certus sim eandem nec formaliter, nec eminenter in me esse, nec proinde meipsam ejus ideæ causam esse posse, hinc necessario sequi non me solum esse in mundo, sed aliquam aliam rem, quæ istius ideæ est causa, etiam existere; rerum autem corporalium ideas ab ideâ meipsius videor mutuari potuisse, nempe substantiam, durationem,

nem, numerum, & si quæ alia sint ejusmodi: nam cum cogito lapidem esse substantiam, sive esse rem, quæ per se apta est existere, itemque me esse substantiam; in ratione substantiæ videmur convenire; ita ideam, quam de meipso habeo, ad lapidem aut alias quascunque res transferre possum. Sic quantum ad Ideas, quæ alios homines, vel animalia, vel angelos exhibent, facile intelligo illas ex iis, quas habeo meipsius, & rerum corporalium, & Dei, posse componi; quamvis nulli præter me homines, nec animalia, nec angeli in mundo essent: Itaque sola restat Idea Dei, in quâ considerandum est an aliquid sit quod à meipso non potuerit proficisci. Dei nomine intelligo substantiam quandam infinitam independentem, summè intelligentem, summe potentem, *&c.* quæ sanè omnia talia sunt, ut quo diligentius attendo, tanto minùs à me solo profecta esse posse videantur, ideoque ex antedictis Deum necessario existere est concludendum: siquidem idea hujus, quem Dei nomine concipio, continet in se infinitam realitatem objectivam, quatenus infiniti imago est: atque ita à solo Deo esse potest, nempe in eo duntaxat, cum ipse solus infinitus sit, tantundem reperitur realitatis formalis, quantum objectivæ continetur in illius ideâ. Nam quamvis substantiæ quidem Idea in me sit, ex hoc ipso quod sim substantia, non tamen idcirco esset Idea substantiæ infinitæ, cùm sim finitus, nisi ab aliquâ substantiâ, quæ revera esset infinita, procederet. Deniq; idea Dei cùm nec sit à sensibus hausta, nec à me effecta superest ut mihi sit innata, quam utique Deus, me cum creaverit, mihi, ut esset tanquam nota artificis operi suo impressa, indidit.

Ad hujus argumentationis solutionem, nolo omnibus, quæ objici possent, immorari, missurus quicquid aut levius, aut minùs directe ipsius fundamenta impetere videatur; imo ut liqueat non severè nimis cum ingenuis me agere, nihil eorum adferam, quæ pertinaces Athei in promptu haberent objectanda; verùm ea duntaxat adducam, tum quæ cuique Numinis

adsertori

adſertori & vindici urgere fas ſit, tum quæ ipſa potiſſimùm argumenti fundamenta ſubvertant: Atqui vero pauliſper, priuſquam comminus pugnetur, velitemus.

Imprimis igitur negare licet ullam omnino aſſequi nos Dei ideam; prorſus enim ignari ſumus qualiſnam ſit Dei ſubſtantia; eò fateor ratiocinatione devenire licet, ut rem ſempiternam, improductam, reliquorumque omnium effectricem eſſe intelligam, ſed quæ qualiſve ſit, aut cujuſmodi de eâ conceptum formare oporteat, me penitus effugere agnoſco, uti quem ex fidei normâ arbitramur eſſe inconceptibilem; non modo quod quid ſit, perobſcurè & inadæquatè deprehendatur, ſed quod prorſus nos ſe celavit. *Ita eum* inquit *Tertull.* *vis magnitudinis & notum hominibus objecit, & ignotum*: quippe quod ſit, ex operibus gnari ſumus; quid ſit, ignari. Idea cujuſpiam idem ſonat ac ſimilitudo, nihil enim aliud eſt, quàm imago ſeu idolum rei, quatenus mente depingitur: ſed cuinam quæſo mortalium unquam affulſit Numinis ter maximi imago, è cujus majeſtate eſſe videatur miſellorum oculis ſubduci? Apertè igitur olim vetuit ſub imagine quâvis ſe venerari, ne ipſius ſimilitudo concipi videretur: Tametſi enim lux ſit longè ſplendidiſſimi fulgoris, tamen (uti *Franciſcus Patricius* vir eximiè doctus, niſi quod nimium *Platonizet*) *in remotiſsimo ſuæ divinitatis receſſu habitans.* Cæterùm ad hæc hiſque ſimilia, carneus es, vociferantur, & materiæ fœcibus immerſus: ſed ſenſus penitus abdicari, omneſque imaginationis fæces abſtergi, mentemque puram & ſerenam eſſe, èque corporeâ maſſâ evocari, ac ſublimè evehi oportet, priuſquam perſpicuè Dei Ideam ibi depictam deprehendere fas ſit. Seraphicè! ſcilicet ut ſublimes difficileſque nugas aſſequamur, tanquam Aquila ad cœlum uſque ſubvolaret, modò ut captaret muſcas; ſive veluti *Ganimedes Lucianicus* cœlum petiit, ut cum Puello Cupidine colluderet, ſed ſeriò agendum eſt. Cum igitur nos monent, ut inter Phantaſiæ apparentias, & mentis ideas diſcernamus, ne

Apol. Adver. gentes.

forte

fortè putemus ſolum concipi poſſe, quod quoque imaginari licet, hoc potius, inquam, par eſt ut evincerent; quippe non deſunt, iique haut indocti, quibus hactenus dubitetur, ſintne intellectùs ideæ quidpiam aliud atque imaginationis phantaſmata: probandum igitur incumbit quod ac quomodo imaginationis & intellectus operationes diſtinguantur; quin & quæ ſit pura intellectio, omniſque imaginationis expers, quamvis enim ultrò largiamur multas operationes eſſe intellectùs proprias, ut animadvertere, judicare, argumentari, &c. nihil tamen ſuadet, ut ideas ullas illi ſoli ineſſe fateamur, nempe idea definiri poteſt imaginem eſſe rei, quæ cerebro aut phantaſiâ duntaxat depingitur: ita tametſi à mente adverti poteſt, phantaſma nihilominus eſſe perſeverat. Ita ut intellectio dici poſſit non nova diſtinctave Idea, ſed Ideæ in imaginatione reſidentis intuitio ſeu animadverſio; quod in corporeis manifeſtum eſſe probant, quoniam corporum omnes Ideæ, ſi germanæ ſint, materiales eſſe oportet, & tamen intellectui obverſantur, poteſt enim circa eas cogitare, ratiocinari, &c. quidni igitur intellectus res, ſolum imaginationis ideas intuendo, percipiat? Utcunque ſi intellectùs Ideæ perpetuo ſint ab imaginationis Ideis alienæ, ut contendunt, quomodo eas, inquam, diſcernemus? quis eas unquam percepit? quid porrò in ideâ intellectuali, quod non item in imaginatrice reperiatur? Quin inſuper reſpuit univerſa pene Philoſophorum natio quidpiam menti innoteſcere niſi ope phantaſmatum, adeo ut illi nihil adveniat, niſi his imbutum: hinc in ſurdo nato nulla Idea vocis, nec in cœco coloris, quia obturantur ſenſuum fores, per quas potuiſſent ad mentem trajicere; hujus veritatem me, brutum fortaſſe & craſſum animal, experiri fateor: omnes enim hactenus Ideas ex ſenſibus deprompſi, quantumcunque ex Carteſii conſilio intellectum ab iis abducere, & maſſam carneam Angeli inſtar exuere ſeriò laboraverim (quo vertemus, qui adeo corporeâ craſſitudine obruimur, ut omni conatu emergere non poſſimus? an in impietatis luto hærendum eſt

craſſis ingeniis ?) Hinc omnium rerum ideis deſtitui me ſentio, quæ ſenſibus non obverſentur ; quid ſit Angelus, quid ſit rationalis anima me perinde latet, ac ſi nunquam fuiſſent : quippe meditanti quid ſit Angelus nulla obverſatur Idea, niſi perpulchri juvenis alati, aut alia ejuſmodi, quales ſibi vulgus imaginari ſolet. Quid item ſit anima contemplanti obverſatur aura tenuis, purave, pellucida & ſubtiliſſima ſubſtantia, aut quid ſimile omnes corporis artus pervadens ; quam ideam utpote nimis craſſam cùm abjecerim, fateor me omni aliâ deſtitui, & quid concipiam neſcire. Cum autem, *Carteſi*, te ipſe è corpore proripuiſti, & pura mens factus ſis, Dic bona mens, quid tu ipſa ſis. *Res cogitans, dubitans, intelligens, affirmans, nolens, volens ?* Ad operationem tranſis, rem operantem haut aſſequeris, prius tenebamus mentem poſſe cogitare, ſed quid ſit, quod cogitet & quomodo ſe habeat, hactenus fugit. Perperam corpoream maſſam deſeris, ut eò penetres, quò nos carnei, ſtupidi, & materiâ obruti facilè pervadimus. Oculum eſſe rem videntem definio, an jam quid ſit oculus, quæ partes, qui ſitus, quæ partium cohæſio probè tenes ? ſit item canis animal latrans, ignis res calefaciens, magnes lapis ferrum attrahens ; Jamne ſit res confecta ? an εὕρηκα exclamandum ? mihine ut gratuletur gens Philoſophorum expectarem, quòd penitus eruerim intimam magnetis naturam, quæ huc uſque tantoperè aliorum torſit ingenia : profectò id ſi facerem, quàm me ab omnibus continuò deridendum propinarem ! At tamen non plus præſtat D. *De Cartes* ad mentis naturam inveſtigandam, cum definit eſſe rem cogitantem, quàm Ego ad magnetis, ſi definirem eſſe lapidem ferrum attrahentem. Monſtroſum quòd mens cogitet ! quis antehac tale quidpiam audiit ! Hei quòd tam attentâ & diuturnâ meditatione tritum & pervulgatum hoc, vir eximie, erueres ; decennium conteras ut ſolem lucere evincas ; quàm lepidum, ſi quis quod ubique commune eſt, de Cœlo peteret, aut ad Antipodas navigaret, ut lapides aut vulgare quodvis referret ! Quinetiam non modo ſpiri-

ſpirituales eſſentiæ, ſed & materiales ingeniola humana prorſus effugiunt, nempe modorum tantum & accidentium ideas novi, quoniam ſenſibus uſurpantur, per quos ad mentem demum perveniunt; qualis autem ſubſtantiæ idea ſit, quoniam ſenſibus non pateſcat, ignoro, non aliter ac qui à nativitate cœcus, Solis, quem eſſe ſentit, figuram aut colorem neſcit. Etenim præter accidentia ſcio eſſe neſcio quid ſubſtantiæ, adeo ut illa ab hac conceptu reſecare valeam; quibus reſectis, aliquid iis ſupereſſe percipio, ſed quid ſit prorſus neſcio; veluti ſi à cera detrahas colorem, extenſionem, figuram, aliorumque accidentium veſtes, quid qualeve erit, quod ſupereſt corpus nudum? an ceram concipere poſſis neque coloratam, neque extenſam, neque figuratam? Verùm de his plus ſatis, modò autem, priuſquam ad alia tranſeam, ſubnotari velim, ſiqui dogmata fanatica cudere & propagare ſatagunt, multùm illos de intellectu ab imaginationis faſcino abducendo concionari. Ita ſub hujuſmodi prætextu fanaticam ſuam nobis *Plato* propinavit Philoſophiam. Animus, inquit, diviniores & ſublimiores ideas per ſe citra ſenſuum auxilium animadvertit & dijudicat; ſenſus igitur dimittite, monet: ſolius eſt mentis de iis judicare, quæ diſſerere dignatus ſum; & tamen ſolùm ridiculas & involutas eſſe illa nugas libenter jurarem, uti quæ eo conſilio inventa ſunt, ut non modo omnem ſenſuum ſed & intellectûs captum procul effugerent, quò nimirum evaderet *Clarus ob obſcuram linguam magis inter inanes.* Ita vehementer attenta meditatione ridicula nugamenta nos expiſcari voluit, ut olim tyrannus nullius pretii piſciculos hamulis ex auro conflatis captavit. Næ equidem mirum tam ſublime ingenium ſe toties putidis nugis occupaſſe, mirabilius tot ſectatores adeptum fuiſſe; qui omnes, quocunque vertamus, toti fanatici ſunt; utcunque jactitent tumidi ſe Solos tenere *Edita doctrinâ ſapientum templa ſerena:* Hæc enim introire nemini permittunt, niſi prius ſenſus profanos, ut *Moſes* calceum, exuerint. At ſenſibus (mente potius) remoti extemplò ἐνθεοι

 con-

consecrantur, & sophiæ divinioris mystæ. Sed ab instituto inscius & invitus excidi, adeo mihi bilem movet, quòd fanatica hæc & jactabunda disciplina demum renascatur, & summam æstimationem inter ingenuos obtineat; sed delirent, qui deliriis se voverunt, ipse redeo.

Dicent fortasse tametsi οὐσίας divinæ ideâ destitui nos comprobetur, suppetit tamen idea illius attributorum, quòd sit infinitus, immensus, æternus, independens, omniscius, omnipotens, &c. Et ex hâc, quoniam objectivè infinita sit, colligimus, ut supra, ab Authore formaliter infinito, & proinde Deo effectam fuisse. Collectionis ratio infra examinanda veniet, quod igitur ad positionis examen spectat, quæro solum, unde intelligitis attributa ista ad ideam Dei attinere? nonnullis visus est nec infinitus nec immensus, quomodo evincam illis illius existentiam ab ideæ infinitate objectivâ, cum finitam eam solum esse crederent? Quî sciam ideam, quam vos Dei habetis, genuinam esse; commentitiam verò aut mutilatam, quam illi. Argumentis aliquot à vobis stare me cogetis? At jam non ideis, ut obtenditis, sed ratiocinatione agitur. Præterea vosne quid sit infinitum intelligitis? quàm facili negotio innumera problemata de infinito quovis proferre liceret, quæ, in quamcunque partem versemini, variis vos implicarent contradictionum plexibus: sed impresentiarum modo evolvite, quomodo Deus, si infinitus sit, entitatem cum quoquam alio participare potuit; nempe perfectio infinita omnem aliam, qualiscunque tandem illa sit, excludat necesse est, quippe alias reperiretur perfectio extra infinitam perfectionem; si igitur perfectio divina infinita sit, necesse est ut sola sit; si enim quidpiam præterea fuerit, non sine manifestâ ἀντιλογία infinitum esset & aliquid præterea; etenim vestrûm omnium suffragiis hactenus firmatum est postulare rationem infiniti, ut excludat omne aliud in eodem genere, nimirùm ne aliàs infinitum censeri non potuit: veluti nulla duratio esse potest extra æternitatem, aut locus extra immensitatem. Pariter

quoq;

quoq; abnegandum est intelligere vos quidquā de reliquis Dei attributis; Cum æternum, immensum, independentem, summè potentē, summè scientē prædicatis, solummodo verba ab aliis accepta datis, de rebus non quas intelligitis, sed quas non intelligitis garrientes. Deinceps cum menti ideam Dei à naturâ inditam esse dicunt. Unde compertum habent ipsos Dei ideam ex se depromere, & non primum à libris, colloquiis, disciplinâ hausisse; aut idearum aliarum ope non fabricavisse? Si modo dubitem ullamne natura ejusmodi ideam menti meæ insculpserit; dubitationem istam dicant quo pacto ita radicitùs evellam, ut nullus omnino supersit dubitandi locus? etenim adeo perspicuam demonstrationem crepant, quæ omnes scrupulos, dubiaque eximat. Rursus an non parili fiduciâ ex innatis ideis argumentantur *Epicurei* humanam esse Dei formam. En *Velleius*. *A naturâ habemus omnes omnium gentium speciem nullam aliam nisi humanam Deorum. Quæ enim alia forma occurrit unquam aut vigilanti cuiquam, aut dormienti?* Huic quicquid objiciam, regeret, ut solenne est *Cartesianis*, se rem in os mihi ingerere non posse, meque non attentè satis notiones innatas perpendere. Idcirco, quod *Epicureo Cotta*, idem *Cartesianis* respondendum est. *Isto modo dicere licebit Jovem semper barbatum, Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ, cæruleos esse Neptuni.* Quippe hæc & similia se de Diis à naturâ accepisse indubiè arbitrabantur Gentiles. Ut *Ganimedes Luciano* inducitur, quod Jovem Deum esse non crederet, quoniam Panis instar cruribus hirsutus non erat, neque fistulam, neque cornua habebat. Legem item naturæ olim obtendisse *Massagetas* nullus dubito, qui extrema potius supplicia, quæ interminatus fuerat *Alexander*, ferre optarent, quam extinctos parentes inhumare; quos utique non vorare, intraq; viscera recondere, summum piaculum censebatur. Quantoperè exhorrebant charissimos vitæ auctores inter putidas vermiculorum turmas abjicere devorandos? nihil illis monstrosius aut naturæ repugnantius.

De Nat. Deor. lib. 1.

gnantius videbatur; Sicut è contra Græcis nihil naturæ alienius, quam parentum cadavera belluarum ritu devorare, adeo ut mille mortes passuros se vovebant, potiusquam id ipsum agerent, quod, Barbari totidem vicissim moriendi vias pati se paratos dicebant, priusquam omitterent. Sic naturæ legem censebant *Sardoes* parentes ad extremum senium provectos trucidare; & *Cei*, senectute confectos inter convivia præsentissimum aliquod venenum haurire; ut & inter *Indos* uxori opprobrio fuisse, si conjugi superesset, ideoque moris erat maritorum rogis eas cremari. Nihil equidem ubique gentium familiarius, quàm gentis alicujus mores & instituta pro naturæ demum decretis ostentari. Dicunt *Cartesiani* à naturâ se accepisse Deum esse immensum, summè potentem, At putantne quidquam se de divinâ immensitate cogitasse, nisi à magistris, à doctoribus, à libris, aut simili quâvis ratione habuissent? quam exigua pars hominum est, qui eandem advertant, iique aut docti sunt, qui aut è sacrâ paginâ eam elicuisse se putant, aut ab his edocti. Fingant se omni hominum societate & disciplinâ continuo sepositos, an putant ideam Dei, quam etiamnum efformant, sibi occursuram esse? aut si id forsitan putent, opinari non sufficit, nisi id quoque demonstrent, siquidem demonstrationem *Archimedeam* crepant. Quid si inter Soldaniæ incolas, aliasque gentes, quas fertur ne ullam quidem suspicionem de Deo habuisse educati fuerant, demonstrarene possunt in istâ barbarie positis ideam Dei obrepturam esse? Quid si inter populum Americanum *Uros* dictum, qui (uti fertur) eo usq; barbariei delapsi sunt, ut non intelligant se homines esse, aut quidquam à reliquis animantium gregibus differre? An quidquam de Deo cogitarent, qui de seipsis nunquam cogitaverint? Quæ eo statu positi cogitarent, divinare possunt, at demonstrare nihil possunt; fortè Ideam Dei adverterent, & fortè non. Denique plerunque *Cartesii* sectatoribus familiare est dogmata, quæ ratione stabiliri nequeunt, pro naturæ placitis & anticipatis

Acosta.l.2.c.6.

ticipatis notionibus præfidenter ostentare; ut *essentialem esse spiritus* (qui quid sit prorsus ignorant) *proprietatem, non posse extendi: Corporis è contra proprium esse, extendi, dividi posse, penetrari non posse. Nihilo facilius primas voluntatis nostræ operationes quàm nos ipsos à nobismet ipsis citra Dei concursum provenire: Conservationem Solâ ratione à creatione differre; Æternitatem esse durationem instantaneam:* & sexcenta hujusmodi, quicquid enim intellectu difficilius adferunt, id continuò tanquam lumine naturali manifestum præsumunt. Atque equidem vix quidquam in Philosophiâ *Cartesianâ* absonum & ineptum adverti, nisi quod lumine naturali perspicuum esse velint. Cæterum hæc utcunque pro veris admittantur, tamen ut sentiam lumine naturali manifesta esse nunquam adducar: Ideoque cum in his falsos esse videam; quàm æquum est, ut cùm Dei ideam obtendant, falli posse subverear? Etenim nihilo diffidentius sibi à naturâ innotuisse aiunt æternitatem non posse dividi quàm Deum esse, aut eundem infinitum esse, idcirco quandoquidem me non moveat illorum auctoritas, ut æternitatem indivisibilem esse censeam (fidenter enim divisibilem esse adsero) neque me movebit, ut Deum esse credam; quin potius ut ipsam nihili habeam, quæ id mihi pro certo persuaderet, quòd aut manifesto falsum aut saltem ambiguum esse arbitror. Hæc dicta velim, non quasi ex industriâ notiones omnes hominum medullis inscriptas deletum irem, sed partim quod non adeo perspicuas & exploratas esse censeam, ut tam firmas demonstrationes, quas Philosophi, adversus quos jam disputatum est, ferre præ se ferunt, iis superstrui possint: Partim quòd videam hoc pacto quidlibet probari posse, ut siquis obstinatè ad opiniones adhærescat, quasi iis eum naturâ imbuisset, quas tamen consuetudine aut disciplinâ acceperit, næ vix ullis erit hic machinis dimovendus: Partim quod nihil difficilius arbitrer, quam notiones innatas, si quæ ejusmodi demũ sint, ab adventitiis discernere:

Denique

Denique potissimùm quod Deum existere longè sit aliunde evidentius, quam esse ideas quasdam hominum animis insculptas. Hæc ad illa quæ argumentationi suæ præmittunt adversarii, & arripiunt tanquam ultro admittenda. Par demum est, ut ad subsumptionem, quam fundamentum toti raticinio substernunt, deveniam; nempe tantundem realitatis formalis in Ideæ causâ esse debere, quantum objectivæ in ideâ continetur. Ubi igitur D. *De Cartes* rationes suas more Geometrico disponit, inter axiomata assumit *realitatem objectivam idearum nostrarum requirere causam, in quâ eadem ipsa realitas non tantum objectivè sed formaliter vel eminenter contineatur,* propterea cùm realitati ideæ Dei seu substantiæ infinitæ perfectione impar sim, sequitur illam efficiendo me non esse, & proinde aliquid esse me perfectius, quod ejus causa sit, & tantundem realitatis formalis in se habeat, quantum objectivæ contineatur in Ideâ Dei, atque ita demum esse substantiam infinitam, æternam, independentem, omniscíam, omnipotentem *i. e.* Deum.

Ad finem respons. ad secund. obj.

His ut respondeam, prætereo vocum obscuritatem: nondum enim intelligo neque hactenus declaravere, quid velint per *realitatem formalem,* quid per *objectivam,* in quo consistant, quomodo distinguantur. Nunquam enim adduci potuit *Cartesius*, licet ad nauseam usque interrogatus, ut explicaret, quid si realitas objectiva, seu modus essendi objectivus, seu rem esse objectivè in intellectu (illis enim unum & idem sunt) sed semper se subducere conatus est reponendo, quòd sit esse in intellectu eo modo, quo objecta in illo esse solent. Quod quis dubitat? quærimus quomodo objecta existant objectivè in intellectu, respondetur illa existere eo modo quo solent: egregia responsio! quisnam nescit objecta eo modo in intellectu esse, quo esse solent? dicant autem quinam sit modus, quo objecta in intellectu esse solent.

Imprimis igitur Quæro sitne realitas Dei objectiva infinita seu paris perfectionis cùm ejusdem realitate formali? Quod

si

si sit, res intra angustias mentis humanæ coarctata æqualis erit ipsi Deo, quo pacto cujusque menti inesset perfectio quædam infinita, & proinde finito comprehenderetur infinitum; verum hujus adsertionis merito puduit, palam enim agnoscit *D. De Cartes*, eumque secuti cæteri omnes *modum essendi objectivum longè esse imperfectiorem, quàm illum, quo res extra intellectum existunt.* Quandoquidem igitur imparem & proinde finitam esse velint realitatem objectivam, Quidni & virtus mentis nostræ finita eam producat? Præsertim si realitas objectiva non modo finita sit, sed præ realitate formali adeo longè imperfectior, ut realitas *formalis* minima excedat realitatem *objectivam* omnium perfectissimam; ita scil. ut musca aut papilio formaliter existens perfectior res sit, quàm Angelus, imò quàm Deus, si solùm objectivè existeret *i. e.* entium infimum si revera existat nobilius esse, quam supremum, si solummodo mente & cogitatione degat: (quód perspicuè proximâ quæstione liquebit:) ex quo principio fiet animum humanum, qui formali fruitur existentia, valere objectivam rei se longè perfectioris realitatem efficere, & proinde propriâ vi Dei aut infiniti Ideam efformare. *Respons. ad prim. obj.*

Quod ut clariùs pareat; Rogo insuper an sit ideæ realitas objectiva substantialis, necne, seu sitne idea substantia? Aperte negant (& sanè affirmare longè ridiculum foret) & *modum operationis mentis esse disertim docent.* Esto. An non minimum substantiale longè exuperet maximum modale? an non modi adeo tenuissimæ entitatis sint, ut hactenus incertum sit an entia dicenda sint? Injuriâ sanè afficiunt mentem humanam, si infra quemvis modum dejiciant, modus enim, quantumcunque omnium perfectissimus, longè infra eam subsidet. Quanta igitur injuria est mentem nostram infra suæ operationis modum deprimere? Mens equidem plus perfectionis metaphysicæ continet, quàm mentis operationes, & operationes quam operationum modi; si igitur ideæ *realitas objectiva* nihil quidquam majus sit quàm um-

bratilis operationis modus, quàm futilis & deridendæ temeritatis est, cùm mentis viribus effici eam posse negetur?

Præterea si adæquatam & perfectam haberemus Dei Ideam, non omni prætextu carerent; at cùm mutila, obscura, longè imperfectissima sit, quis illius authorem Deum jactaret? ne equidem accuratiùs se ipse delinearet. An non æquius est ut referatur ad infirmitatem ingenioli humani, quod pro modulo suo Ideam Dei excudit, non quæ majestate divinâ digna sit, sed quæ illi sufficiat, quandiu per speculum & in ænigmate eum contempletur? Hinc obiter notandum si ex Ideâ obscurâ & imperfectâ non liceat quidpiam concludere, ut passim docet *D. De Cartes*, nihil ex Ideâ, quam Dei formamus, fas erit concludi, ut pote quam obscurissimam & imperfectissimam experimur.

Accedit porro mentem humanam instructam esse facultate Ideas fabricandi, cujus vi fingere, quicquid velit, valeat; quâ, quàm facillimè Ideam, quam de Deo habet, efformare potuit, licèt nullus extaret Deus, & ita sui quisque *Idoli* quantumcunque perfecti *faber* erit. Habita est olim à priscis Philosophis, infinitorum mundorum, infiniti Universi, infinitæ materiæ Idea, an non propriis cogitationibus eam effinxerunt? nunquid in eorum animos à mundo infinito ipsius idea transfusa est? Hi si fortasse Demonstratione *Cartesianâ* abusi fuissent usque ad infinitatem Mundi adstruendam, illamne eludere potuit *Cartesius* nisi propriam subverteret? Equidem quidquid illis responderet, id ipsum sibi respondeat monemus; nihil intelligit, qui non videat tantundem hac ratione pro mundo infinito probari, quantum pro Deo.

Sed finge mentem nihil se perfectius posse comminisci, tamen perfectionum scalâ, quas in se animadvertit, potest tandem ad divinas assurgere: ut mihi repræsentare possum substantiam infinitam, æternam, independentem, omniscïam, summè potentem, quod deprehenderim esse me substantiam, per aliquod tempus perseverantem quadantenus firmam &

stabilem,

ſtabilem, nullique fortaſſe alii innitentem, intelligentem, volentem, & aliquod præſtare potentem; & ſiquæ hujuſmodi; his alios & alios deinceps gradus adjicio, & eo uſque accumulare pergo, donec tandem ex omnibus in immenſum ampliatis atque in unum aggeſtis idea entis perfectiſſimi ſeu ſubſtantiæ infinitæ, æternæ, independentis, omniſciæ, omnipotentis formetur.

Adhæc cum enumeratas perfectiones infinitas dictitamus, id ſolùm velimus tantas eſſe, quantæ creaturis inſint, aut quantas concipere poſſumus, & infinitis intervallis majores: qualem conceptum, cum finitus & limitatus ſit, negare nequeunt *Carteſiani*, quantumcunque realitatis Ideis ſuis tribuant, quin ab ipſâ mente proveniant. Quantilli quæſo miraculi eſt formare ideam perfectiſſimam, quam poſſumus, & deinde exclamare formari poſſe infinities perfectiorem, quæ innumeris vicibus vires noſtras excedat? Quod nihilominus totum eſt, cum perfectiones divinas infinitas eſſe dicimus *i. e.* tantas & eo uſque extenſas, ut de iis adæquatas & integras ideas fabricare non poſſimus: ſcilicet non aliud eſt, quàm ſi à numeri quaternarii conſideratione ulterius pergerem plures & plures quaterniones ſine fine accumulare: numerum enim numero ſuper extruere in immenſum ſemper licebit, nunquam tamen ad innumerum ſeu omnium maximum deventum erit: ita & perfectiones finitas in infinitum exaugere nunquam ad ſupremum omnium faſtigium evehendas; id quòd præſtamus, cum de perfectionibus, quas infinitas dicimus, meditamur. Etenim quanquam Dei perfectiones abſolutè & ſimpliciter infinitæ ſint, tamen potiùs indefiniti ſunt (vocem ſuam agnoſcant *Carteſiani*) noſtri de iis conceptus: quippe ita limitantur, ut nullum certum & definitum terminum ſentiant, ſed obſcuriuſcule percipiant in objectis ſuis infinitatem, quam ipſi nequeunt præ captûs anguſtiis complecti.

Nec denique quicquam promovent cum in Ideis cautè diſtingui oportere moneant id quod *eſſe proprium ſeu formale*

 voci-

vocitant ab *esse objectivo, vicario, seu representativo:* Nempe, inquit *Cartesius*, quatenus ideæ istæ cogitandi quidam modi tantum sunt, non agnosco ullam inter ipsas inæqualitatem, & omnes à me eodem modo procedere videntur; sed quatenus una unam rem, alia aliam representat, patet easdem esse ab invicem valdè diversas, diversasque pro diversâ objectorum perfectione perfectiones obtinere, unde ideas dicunt eatenus ab intellectu produci, quatenus *esse formale* habeant; sed secundùm *esse objectivum*, seu quatenus objectum unum potiusquàm aliud exprimunt, solis ab objectis fieri; & proinde tametsi Idea, quam Dei fabricamus, secundum *esse formale* intellectus viribus creari posset, tamen solo Deo secundum *esse objectivum fieri*, cujus beneficio habeat quod ipsius, seu *Entis* infiniti pictura & representatio fiat. Ut enim reticeam tum secum hæc afferre ne micam quidem demonstrationis, tametsi continuò *Archimedeam* crepant; imò cumprimis obscura & ænigmatica esse: tum quoque supra dictis abundè labefactari, quidquid enim dictum est de realitate objectivâ facilè huc adduci potuit: Quod tamen supervacaneum fore ecquis non videt; siquidem *esse ideæ objectivum* non modo operationis modum, sed etiam eundem cum ipsâ *realitate objectivâ* esse passim definiunt, evicto igitur istam, aut quemvis alium operationis mentalis modum à facultate intellectrice fieri posse, quorsum id rursus de *esse ideæ objectivo* seorsim præstarem? Dicam igitur nihil quidquam perfectionis realis à nobilitate objectorum ideis accedere, sicut non disparis perfectionis metaphysicæ videtur vespertilionis pictura quàm Angeli, si pari artificio depingatur; objecta enim non modo non ingrediuntur Idearum seu conceptuum essentias, sed neque quidquam in illos transfundunt. Quanquam ideis relativam seu extrinsecam inæqualitatē, quæ in denominatione externâ consistit, ab objectorū inæqualitate tribuamus, ut etiamsi *Alexandri* effigies non plus perfectionis in se habeat quàm *Diogenis*, tamen aliquid digni-

gnitatis ei accedere videtur à respectu quem gerit ad personam quam representat; tamen quoniam inanis denominatio sit, omnisque realitatis vacua, neque causæ alicujus effluxum ad sui productionem desiderat, hinc neque quidquam realis perfectionis adfert.

Deinde quoniam Idearum realitates *objectivam* & *formalem* ita coalescere docent, ut unam eandemque constituant (aliàs unam Ideam plures esse reculas & ab invicem distinctas censeri oporteret) Quidni causa, quæ *formalem* producere valet, valeat & *objectivam*? atqui formalem realitatem solâ mente effici posse in confesso est, eâ igitur objectivam quoque produci posse confitendum est, utpote quæ eadem cum formali esse agnoscitur? Dicendum igitur ideas habere solam realitatem *formalem*, quatenus mentis operationes sunt, & istam, quam *objectivam* appellant, aut nullam & commentitiam esse, aut saltem nihil majus quam denominationem extrinsecam mentis operationi advenientem ex habitudine quam ad objectum habet, & proindenon causas adeo insignes ad earum existentiam postulari.

Sed perquirunt unde sit nisi ab objecto, quòd hæc idea hoc objectum potius representet quàm aliud, seu hanc realitatem objectivam potius contineat quàm illam. At verò si de Ideâ sciscitentur quoad essentiam *i. e.* quamobrem essentia sit hujus ideæ hoc objectum representare, nimis importuni esse videntur; quandoquidem hujusmodi quæsitis in aliis rebus nulla suppetit responsio, atque propterea non hîc postulanda est; dicant mihi cur triangulus constat ex tribus angulis, cur bis ter efficiant sex: rationem exigo unde fiat ligonem esse ligonem, Davum esse Davum non Oedipum: dico igitur ob eandem causam, quæ efficit ligonem esse ligonem potiusquam schapham, ideam Dei Dei esse ideam Dei, potiusquam Angeli, aut equi, aut lapidis. Sin de Ideâ inquiratur quoad existentiam, *i. e.* unde fiat ut hoc momento hujus rei existat seu advertatur Idea potiusquam alterius, in promptu responsum habetur solam & unicam.

Cartes. tert. medit. & Clauberg. exert. 7. §. 8, 9, 10, &c.

cam illius causam esse mentem ipsam, ideo enim quid sit Deus contemplatur, quia eligit pro suâ libertate, ad illud objectum attendere potiusquàm aliud: Objecta autem ipsa non plus conducunt ad idearum productionem, quàm facultatem, quæ illas efficiat, monendo, seu illi occasionem de ipsis cogitandi præbendo; neq; semper huc usque intellectum adjuvant, multæ enim ideæ sunt, quas propriâ virtute nulloq; objecto monitus depingit, non modò imaginem, sed etiam ipsum exemplar effingens, veluti cum quod nusquam sit esse fingitur. Non igitur pro debito candore se gessit *Cartesius* in respons. ad primas object. Ubi doctiss. quidam Theologus causatus erat ab imperfectione intellectûs nostri evenire, quòd rationem non possimus assignare, cur Idea Dei realitatem Dei objectivam contineat, ut neque cur schapha schapha sit. Ad quod excipit *Cartesius. Non profectò magis probabile est causam cur Idea Dei sit in nobis esse imperfectionem intellectûs nostri, quàm imperitiam artis mechanicæ esse causam, cur machinam aliquam valdè artificiosam potius quàm aliam imperfectiorem imaginemur.* Mirum sane *Ens Cogitans* (sic enim se ipse definit) tam incogitanter loqui. Quis, sodes, causam dixerit, cur idea Dei nobis insit, esse imperfectionem intellectûs nostri? perspicacior adversarius tuus, quàm ut adeo obtuse aut loquatur aut sentiat, nec quidquam huic simile illius verba præ se ferunt; Nunquid enim idem sonet ab imperfectione intellectûs nostri esse, quòd rationem non possumus reddere, cur idea Dei sit idea Dei potiusquam alterius; ac ab intellectûs imperfectione esse, quod nobis insit Idea Dei: prius adseruit ille, illi posterius adfingitur, Dicam quòd res est, quoniam, vir bone, quod responderes, non suppetiit, potiusquam id ingenuè fatereris, eligeres non sine crassæ oscitantiæ notâ id dissimulare: quidvis malumus superbum genus, quam lapsus & errores confiteri. Atqui, ut redeam, causantur omnem imaginem seu picturam, cujusmodi sint Ideæ, ex naturæ suæ ratione semper ad exemplari desumi; cum illius sit

Clauberg. exerc. de cognit. Dei & nostri exerc. 6, 7.

ſit ſolùm imitatio. Hoc etiam pro imperio dictatum, argumenta deſideramus: conſtanter autem pernego, mentem noſtram conceptum formare non poſſe, niſi παράδειγμα imitetur; quoties enim quidvis effingit nihil extra ſe reſpiciens? quid enim eſt, quod vaga & ſolers imaginatio depingere nequeat, quæ omnia exprimit, novaque indies, ſi fingendi licentiæ indulgeret, creare poſſet? Non aliter atque Deus mundum procreaturus nullum exemplar niſi ſuum contemplatus eſt.

—— Pulchrum pulcherrimus ipſe Boet.
Mundum mente gerens, ſimilique ab imagine formans:

Quidni itaq; & mens noſtra operum ſuorum ſimulachra exprimet? quoties ideas comminiſcuntur artifices, ad quas ſolùm, dum operantur, reſpiciunt? ut *Phidias*, teſte Oratore, *exquiſitas omnes Deorum formas expreſsit ſpecie ſolùm ipſius menti inſidente defixus.* Verum de his ſatis. L. 1. de oratore.

Alterum *Carteſii* ſophiſma in quintâ illius meditatione de primâ Philoſophiâ occurrit, ubi argumentatur: cùm per Ideam Dei nihil minus intelligatur quàm ens ſummè perfectũ, Deum exiſtere neceſſe eſt; quod enim ſummè perfectum eſt, non poteſt niſi omnes perfectiones poſſidere, aliàs ſummè perfectum cenſeri non potuit, propterea cum exiſtentia ſit perfectio, eaque non ignobilis; Deo competat neceſſe eſt, aliter non eſſet, quod eſt, *i. e.* ſubſtantia ſummè perfecta, hinc colligit non magis ſeparari poſſe exiſtentiam ab eſſentiâ Dei, quam ab eſſentiâ trianguli tres angulos, cum perinde ad eſſentiam Dei ſummè perfecti attineat exiſtentia, atque tres anguli ad eſſentiam trianguli.

Hæc argumentatio licet inter *Carteſii* ſectatores à Philoſopho (ſic enim ſæpe inter ſuos audit *Carteſius*) excogitari jactitetur, tamen inter *Scholaſticos* jam olim pertrita, multùmque vexata fuit, qui eam *Anſelmo* illius auctori referunt, iſque adduxit *cap. 4. Proſol. & lib. contra inſipientem*, & alibi. en verba. *Deus eſt id, quo majus cogitari non poteſt, quod qui*

bene

bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare. Atqui diu refutatione non caruit, scribit enim *Carthusianus* acutum quendam Doctumq; Virum ipsi *Anselmo* coætaneum eam impugnasse, edito libro, cui titulum fecerat *Responsio pro insipiente.* Inter alia quæ ex eo *Carthusianus* attulit, salsum dicterium istud. *Nescio an insipientior sit, qui putat hoc sequi, an insipiens, qui dixit in corde suo* (contra quem librum inscripserat *Anselmus*) *non est Deus.* Hanc deinde argumentationem eruditum istum secuti *Gerson* & *Aliacensis* uti sophisticam contempserunt, ipsique *Anselmo* dialectices inscitiam exprobrarunt. A quibus in simili censurâ stetit *Aquinatis schola*; *Scoti* verò *factio* genuinam & firmam esse adseruit, adeo ut demum in controversiæ locum abiit, inter *Scotistarum* & *Thomistarum* (sic se ipsi cognominare affectant) familias. Nihilominus mea est, inquit *Cartesius*, quam ut alia investigavi *viam parum tritam sequendo, atque ab usu communi remotam. Facetè, lepidè, lautè, nihil supra, tuumne, obsecro te, hoc dictum erat? Vetu' credidi.* Verùm hæc obiter, ad responsum properandum est.

In element. Philos. propos. 79.

Summ. part. 1. q. 2. art. 1.

Imprimis igitur respondet *Aquinas. Dato quilibet intelliget Dei nomine ens* summè perfectum, seu ipsius verbis (perinde enim valent) *quo majus cogitari non potest, non tamen propter hoc sequitur quod intelligat id, quod significatur per nomen Dei esse in rerum naturâ, sed in apprehensione intellectûs tantum. Nec potest argui quòd sit in re, nisi daretur, quòd sit in re aliquid, quo majus cogitari non potest: quod non est datum à ponentibus Deum non esse* hæc ille. Veruntamen nodum non solvit. Nam quod summè perfectum est, ut reipsa existat necesse est, siquidem existentia sit perfectio: & quamvis inficientur Athei ipsâmet re aliquid esse summè perfectum, tamen vis argumenti cogit, id ut fateantur; si enim de essentiâ summè perfecti fuerit, ut existat, pariter repugnat tale aliquid non existere, ac hominem non esse rationalem; haud

aliter enim essentiam summè perfecti (ad quam attinere omnes perfectiones per se notum est) existentia, utpote quæ perfectio est, constituit; ac rationalitas essentiam hominis, sicut igitur impossibile agnoscatur hominem non esse rationalem, ita & rem summè perfectam non existere, quoniam ut homo nisi rationalis minimè talis esset, ita summè perfectum ni existeret, summè perfectum censeri non posset, quippe perfectius esset si existeret.

Rursum igitur cum aliis omnibus excipit *Aquinas* Dei nomine non necessario intelligi rem summè perfectam: nempe Deum posuere Gentiles, sed & corporeum (quod supremæ perfectionis incapax creditur) esse dixerunt, alii solem esse opinantes, alii Cœlum, alii mundum, alii homini formem, alii alia. Sed neque hâc viâ ex senticeto sese expediunt, nam cum aiunt summam perfectionem Dei Ideâ non includi, advertere debuissent præsenti argumentatione summam perfectionem essentiæ divinæ tanquam datam non præsumi, sed duntaxat probari ens summè perfectum existere; non enim concluditur, Deus est summè perfectus, ergo existit, ut datâ responsione supponitur; sed è contra summè prefectum existit, ergo Deus est: quippe totius processus ratio sic institui potuit. Atheum, cum Deum esse inficiatur, rogo existatne res summè perfecta: si annuat, Deum esse concessum est; nam etiamsi sint, qui esse Deum adserant, & infinitam illius perfectionem tollant, quoniam arbitrantur Dei existentiam evinci posse, infinitatem non posse; tamen nulli sunt, qui rei summè perfectæ si existat, Divinitatem abdicarent; si igitur demonstretur existentia summè perfecti, confecta est demonstratio Dei: Sin abnuat, id ipsum est, quod priori argumentatione refellendum proponitur: Ut putà summè perfectum nulla perfectione caret; quicquid autem non existit, aliqua perfectione destituitur; qui igitur negat summè perfecto existentiam, negat simul summè perfectum esse summè perfectum, quæ secum pugnant, quâ viâ ex

 natu-

naturâ ſummè perfecti colligitur illius exiſtentia.

Ne igitur ſpinis ſophiſticis diutius hæreatur: Dico argumentationem iſtam gemino ſophiſmate complicari, primum, quòd innitatur illegitimæ & minimè datæ ſuppoſitioni, puta eſſe ens ſummè perfectum, nempe quāvis ens ſumme perfectū in dictâ ratiocinatione ſimplicis ſolius (ut aiunt) termini munere fungatur, tamen occulta & contracta enunciatio habenda eſt, quæ tamẽ nõ adeo promte advertitur, quia ſupprimitur copula terminos conjungens. Etenim cum dico *ens ſummè perfectum*, *enti* connectitur *ſummè perfectum* tanquam attributum: tantundem enim valet, quantum dictio iſtæc *ens quod eſt ſummè perfectum*, quâ prædicatur *ſummè perfectum de ente aliquo*, nam vocula *quod* vicaria eſt vocis *ens*: unde eodem redit, ac ſi diceretur *eſt ens ſummè perfectum*; atque ita licet fuerit ipſa propoſitio, quæ probanda ſuſcipitur; occulte & temere tanquam præcognita præſupponitur, & ſui ipſius probationi ſubſternitur; propterea ii, in quos diſputatur, cum hypotheſin iſtam pro falſa habeant, aſſertionem illi innixam falſam quoque eſſe pertendent. Quocirca pro rata certaque regula firmetur *complexum ſubjectum cujuſvis propoſitionis ſemper eſſe aſſertionem hypotheticam.* Ut *ens neceſſarium exiſtit*, i. e. ſi ſit ens neceſſarium, exiſtit; neque aliter ens ſumme perfectum, *i.e.* ſi quidquam tale ſit, exiſtit: Et apertius quicquid exiſtit reale eſt, ſed Hippogryphes exiſtens exiſtit: ergo, &c. ubi utraque præmiſſarū apertè ſumpta vera eſt, à quibus nihilominus adeo perabſurda naſcitur concluſio à falſâ aſſertione, quæ in aſſumtione deliteſcit, nam iſtius ſubjectum curta eſt & cryptica propoſitio, *exiſtens* enim falſò ſubjungitur voci *Hippogryphes*, quorum conjunctio cum falſa ſit, & tamen præſupponatur dictæ aſſertioni, nihil mirum ſi erroris fons ſit, cum ipſa quidem ex ſeipſâ hauriatur; primò enim ſupponitur *Hippogryphem* exiſtere, & deinde iſthinc probatur. In omni igitur aſſertione, cujus ſubjectum ſeu alter terminus complexus ſit, imprimis evincenda eſt ipſius ſubjecti veritas, ſic

cum

cum dicitur ens summè perfectum existit, probari oportet ens aliquod esse summè perfectum, priusquam illi liceat tribuere prædicatum, scil. quòd existat, hoc enim verum esse nequit, nisi & illud, quemadmodum hæ *Homo procerus est animal, Leo rugiens vivit*, nisi & istæ, *homo est procerus, Leo rugit*. Et quidem si rei cuilibet epithetum adnectas, quod existentiæ notionem aut planè exprimat, aut secum involutam significet; pari evidentiâ argumentum pro rei istius existentiâ construetur. v. g. *materia* adjungas vocabulum *necessaria* seu *necessario existens*, an non statim inde sequitur materiam necessario existere? Etenim materiæ necessariæ non minus, quàm rei undique perfectæ complicatur existentia; si itaque *res perfectissima* existentiam arguit, *materiam necessariam* eandem arguere confitendum erit; siquidem eadem utrinque sit consequentiæ ratio. Quippe sicut notioni *entis* nudè & præcisè sumpti *existentia* non involvitur; ita neque materiæ præcisè cogitatæ implicatur: sicut porro necesse non est ut *summa perfectio enti* conveniat; ita neque necessum est, ut necessitas existendi materiæ ideam ingrediatur: Si tamen summa perfectio *enti* conjuncta supponatur, entis summè perfecti existentiam inferre videtur, ita *necessaria existentia*, materiæ conjuncta materiæ necessariò existentis existentiam quin pari passu arguat inficiari nequis. Sic quo tandem cunque te vertas, ipse sequar.

Alterum oritur sophisma ex ignorantiâ usûs aut significationis nominum, nempe quæ solum usurpantur ad denotandas rerum notiones citra quemvis respectum ad illarum existentiam, nota enim estdifferentia inter nomen & verbum, nempe hoc præter primariam significationem tempus προσσημαίνειν *adsignificare:* illud vero nihil præter primariam significationem, seu puram putam rei notionem denotare: non igitur ex eo, quòd sit notio seu idea entis summè perfecti, in qua includatur necessariæ existentiæ notio, sequetur tale quidquam actu existere: Seu (ut loquuntur scholastici) vocibus istis *ens*

summè perfectum significatur & includitur existentia actualis in *actu signato*, non *exercito*, *i. e.* existentiæ actualis notio sed non exercitium: quippe quemadmodum quoniam ipsa vox existentia actualem existentiam denotat, ritè colligi non potest actu esse seu exerceri, siquidem solùm existentiæ naturam denotat, non actuale illius exercitium; ita à necessariâ existentiâ non ritè infertur istius exercitii necessitas. Itaque ex prædictâ argumentatione tantùm sequitur rei undiquaq; perfectæ notionem cogitari non posse, nisi simul existentiæ notio convolvatur; utrùm autem notiones istæ re an Solâ cogitatione existant, adhuc superest probandum; notio enim rei, quæ ab existentiâ præscindi nequit, ejusdem existentiam realem non arguit sed solùm de tali ente ab existentiâ præciso cogitandum non esse. Hæc licet aliquantò subtilia sint, tamen vel leviter attendenti apprime perspicua, propterea plura addere supersedeo.

LIBER

LIBER SECUNDUS.

CAPUT I.

Gentilium de Deo placita perperam ad supremum, quem colimus, Deum traduci: Sed aut de Sole aut de Animâ Mundi, quæ Suprema Omnium Numina esse censuerunt, Intelligi oportere.



ENTILIUM theologiam Duûm generum esse volunt eruditi, alterum *Sabaismum*, qui cultus Cœli est, siderum, aliarumq; naturæ partium, prout inter Barbaros, seu gentes *Graciâ* alienas obtinuit: *Hellenismum* alterum, qui si strictim capiatur, solummodo mortalium seu defunctorum venerationem sonat, sin laxè, totam *Gracia* Idololatriam complectitur: Et commodè secundum pervulgatam *Varronis*, seu *Q. M. Scavola* (hic enim *Varroni* ad eam præivit) divisionem in tria genera dispertitur. *Mythicam* imprimis, quam procudebant Poetæ; tum *Civilem*, quâ utebatur Populus; postremò *Physicam*, quæ inter Philosophos duntaxat viguit, & hanc porrò in geminam speciem subdividimus; *Apertam* hanc, cum apertè Philosophi non aliter ac de quovis alio Philosophiæ capite de *Deo* disseruere: *Mythologicam* istam,

cum

cum Poëtarum fabellas interpretantur, & ad suam Theologiam accommodatum eunt. De quorum singulis seorsim dicere nihil arbitror attinere, cùm plerumq; solùm verbo tenùs ab invicem distinguantur: sic Philosophorum *Mythologica* nihil aliud est quam quâ utebanter Poetæ, quatenus fabellis denudatur; *civilis* pariter ne quidquam aliud est, quàm è reliquis aliqua certis locis in publicum cultum admissa. Solum itaque quam brevissimè perstringam narrationem originis & progressûs omnium *Gentilitiæ theologiæ* partium, quod non parvi momenti est, ad ea, quæ mox secutura sunt, elucidanda.

Dei igitur ἀοράτου cognitione ex hominum animis semel exesâ, propenso animo ad Cœlestium cultum deflecterent, partim ab nativo eorum splendore, partim διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν ὠφέλειαν *ob emolumenta inde ad homines manantia*, uti *Prodicus Chius* apud *Empir.* Illos vero præ omnibus in admirationem rapiebat stupendus & immaculatus (nondum enim ejus maculas mortalium oculis visibiles effecerat *tubus Batavus*) Solis fulgor, quo nihil illustrius videbant ὑπέρτατον δώματα ναίων. Multiplicia continuò hujus sentiebant beneficia, omnia calore suo fovere, gignere, vegetare agnoscebant, luceq; suâ Universum ab æternis tenebris vindicare; inde Almum, benignum, blandissimum statim prædicabant. Quin & quasi Universi Gubernator omnia moderari videbatur, cujus oculus omnia lustrabat, cujus motus tempestatum vicissitudines distinguebat: neq; modò terrena temperare visus est, sed & cœlestia, utpote qui reliquos Planetas omnes lumine suo affunderet, & hi vicissim tanquam satellites solem circumstarent, & insuper certis intervallis atque aspectibus regium Solis aspectum tanquam revereri & adorare viderentur. Quod postea sibi finxerunt *Julian. orat. ad solem. Marsil. Ficinus lib. de sole c. 4. Kepplerus Harmon. l. 5. c. 10.* Deinde robur & immensam Solis potentiam vix poterant non demirari, cum

Lib. 8. cap. 2.

cum incredibilem & indefessam illus celeritatem advertebant, adeo ut lassitudinis expers tam immensum spatium continuò percurrere possit. Hunc igitur supremum omnium Numen rerumq; Parentem esse facilè credebant. Quibus accidit (uti *Aquinas* argute) *sicut alicui adeunti regis curiam, qui volens videre regem, credit quoscunq; bene indutos vel in officiis constitutos regem esse.* Sic rude admodum olim mortalium genus cum adverterent solertissimam Universi œconomiam, protenus Opificem, qui illam condiderat, investigatum irent; Sole autem cum nihil illustrius, nihil utilius reperirent, eum proxime tanquam rerum omnium tum auctorem, tum regem salutant. A quibus in hoc solum dispares sumus, ut quod operi ipsi tribuebant, tribuamus nos artifici, utrinque agnoscitur naturæ pulchritudo; hinc solum novimus creatam fuisse, atq; proinde non ipsam sed ipsius Authorem cultu & honore prosequi oportere; isti autem opus ipsum tanquam increatum suæque venustatis Auctorem coluerunt. *Attigissent de Deo veritatem,* inquit Lactant. *nisi ea, quæ in usum hominum Deus fecit; tanquam sensu prædita essent, pro Diis habenda & colenda credebant.* Qui deniq; Numen sole superius venerantur, solem tamen quandam illius similitudinem referre agnoscunt. Τοῦτ (inquit *Plato*) ἐν αἰσθητοῖς ἥλιος, ὅπερ ἐν νοητοῖς Θεός, *Idem in sensibilibus Sol, quod Deus in intellectualibus:* ad cujus mentem *Davissonus Scotobritan: in Medicinam Petri Severini. Solis finita lux infinitæ primæ lucis satis plena est imago. Julianus* item acerrimus *Platonis* sectator in Orat. ad Regem solem, eum laudat tanquam πάντα ὅμοιον Θεῷ, duo enim ex mente *Platonis* suprema Numina esse opinatur, invisibile alterum, alterum visibile nempe solem, eaq; sibi mutuo similia substantiâ, adjunctis, viribus, beneficentiâ, effectis, &c. Solem igitur modo Dei *Imaginem*, modo *Vicarium* nuncupant Platonici. Vide *Greg Nazianz.* orat. 21, & 34. & *Pseudo-Areopagitam.* Unde fieret non modo ut promptiùs solem adorarent, sed porro ut quæ de sole dicerentur, faciliùs ad

De symbolo A. stol.

Lib. 1. cap. 5.

Deum

Deum optimum maximum accommodari possent, quod non-nullius momenti erit, cum ostendam quæ de Deo testimonia à Theologis nostris ex Gentilium scriptis afferuntur, intelligi oportere tanquam de sole dicta. Quàm cito ortus est Solis siderumq; cultus, & quàm late serpsit postea subinnuam. Interim pergimus.

Post adorationem Cœlestium secutus est *Hellenismus*, seu mortuorum cultus, quem initia cepisse (ut quæ de eo, quòd ante diluvium ceperat, nugantur alii, prætercam) *Sheruchi* & *Thara* seculo omnium pene suffragiis æstimatur. *Apotheoseos* sive cuivis vitâ defuncto divinos honores deferendi plures causas assignant viri docti, è multis paucas recensebo, quarum prima est hominum quarundam Astutia. Sic refert *Diod. Siculus*: si quis Divinos honores affectaret, nomen sibi assumebat cum Cœlitibus commune, ut in astro quovis sibi cognomine ipse coleretur. Hinc *Ægyptii Osiridis* nomine tum *Solem*, tum *Mitzraim* primũ *Ægypti* regẽ venerabantur: in *Hammone* item *Solem* & *Chamum* Noe filium mixto cultu adorabant, ut & in *Belo Assyrii* Solem ac primum *Assyriæ* regem; sic deniq; *Jovem Ætheri*, quem coluit, *avi Cæli* cognomen & *terræ aviæ Telluris* indidisse refert ex *Ennio Lactantius*, *Ita solent*, inquit *Illustriss. Casaub. prisci adulatores Diis, hominibusq; fucum facere, adjecto Deorum unius nomine ad mortalis ejus nomen, quem divinis honoribus vellent affectum*; cujus proxime plura adfert exempla tam inter Græcos quàm Romanos. Secundum quod *Servio* observatur Antiquos Reges nomina sibi plerunque vendicasse Deorum. Parique modo autumat *Clariss. H. Grotius* (libello in decalogum) bruta animantia primitus consecrata fuisse: Utique quia ad illorum formas τοὺς ἀστερισμοὺς stellarum congeries figuraverant, ideo demum ipsa animantia ab Ægyptiis in Deos relata: ut Canis ob Syrium; Leo, Taurus, Dracho, Vultur, Accipiter ob *Asterismos* iis singulis cognomines. Sit altera causa superstitum tum

Lib. 1.

Lib. 1. cap. 11. Animadv. in Athenæum. Lib. 6. cap. 14.

In 7 Æneid.

tum ambitio tum * adulatio, ut scil. Deorum filii, aut amici, aut uxores, aut nepotes haberentur. Sic *Osyrin* rebus humanis subductum consecraverunt *Isis* ejus uxor, & *Mercurius*, qui illi fuerat ab intimis consiliis. Teste *Diod. Sic. l.* 1. Sic *Æneas* apud *Maronem* sociis imperat.

Nunc pateras libate Jovi, precibusq; vocate
Anchisen genitorem —— & mox Patrem invocans
—— *Atque hac mea sacra quotannis*
Urbe velit positâ templis sibi ferre dicatis.

Sic postmodum *Cælo* locavit *Augustus Julium*, *Tiberius Augustum*, *Liviam Claudius*, *Claudium Nero*, *Vespasianum Titus*, *Titum Domitianus*, *Nervam Trajanus*, &c. Ad divinos quoque honores evexit virtus, fortitudo, & beneficiorum hominibus collatio. Id quod Gentilibus antiqui patres passim exprobrant, ut *Athanas. contra gentes*: homines divinitatem consecutos fuisse ὅτι τῖς ὑπ' αὐτῶν εὐεργεθεῖσι τοῦ βίου χρησίμοις, καὶ ὅτι τοῖς ἀνθρώποις χρήσιμοι γεγόνασι. Sic & *Theodor. l.* 3. *de Cur Græc. affect.* καὶ γὰρ δὴ καὶ τὸν Κρόνον ἄνθρωπον εἶναι Σαγχωνιάθων ἔφησε, &c. *Hinc & ipse Sanchoniathon Saturnum fuisse hominem tradit, Rheam mulierem Saturni conjugem: homines etiam Jovem & Junonem eorum liberos: postea vero cum beneficia quadam priores ipsi hominibus contulissent, vitâ demum perfunctos, dignos à Phœnicibus esse habitos, qui divinis honoribus culti, etiam vocarentur Dii, quiq; & aris & sacrificiis & annuis epulis colerentur.* Neque herclè aliter Cicero —— *Græcos Deorum honores tribuisse iis qui Tyrannos necaverunt*: & alibi. *Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros, in Cælum famâ ac voluntate tolleret*

—— *Nonne decebat*
Hos homines numero divum dignarier esse?

* *Unicuiq; eorum ab iis, qui eos adulando, Deos esse voluerunt, sacra & solennia constituta.* August. de Civit. l. 7. c. 18.

Æneid. 7.

Pro Milone.

De Nat. Deor.

Videsis *Tertull. Apol. cap.* 12. *Lactant. instit. l.* 1. *c.* 15. *de irâ Dei cap.* 11. *Cic. de consolat. August. epist.* 44. *ad Maximum. Euseb. præpar. Evang. l.* 1. *c.* 6. *Antioch. l.* 1. *ad Autol.* Homines enim inclytos, qui quoquo modo patriæ profuissent, Cœlo adscribebant, tum gratitudinis, tum virtutis in aliis acuendæ causâ. Sic Gymnosophista *Alexandro* interroganti quo pacto ex homine fieret quispiam Deus, respondit Εἰ πράξειεν, ἃ πρᾶξαι ἀνθρώπῳ μὴ δυνατόν ἐστιν, *si ea fecerit, quæ fieri non potest ut homo faciat.* Atqui vulgus olim quodvis facinus eximium mortalitatis vires exuperare facile credebat. Dictam deniq; Idololatriam omnium maximè adjuvabat extrema plebeculæ barbaries & Inscitia; Ea nempe secula nullo politiore cultu ad scientiam & virtutem temperata quemcunq; eximium potestate, aut sapientiâ, aut tyrannide, aut præstigiis, aut beneficiis videbant, quovis cultu, quem instituerent astutiores, facilè prosequerentur, quod & plus satis comprobat omnium ætatum experientia. A mortuorum cultu ceptum est deinceps statuas, simulachra, columnas, cippos, stelas adorare, quæ utique primò in memoriam extinctorum erectæ, cum ibi quotannis festa, aliæq; ceremoniæ in demortuorum honorem celebrabantur, temporis decursu in cultûs materiam abierunt: uti legitur trito isto loco *sapient. cap.* 14. *comm.* 15. Cujus eventûs specimen refert ex *Diophante Fulgentius* in narratione de *Syrophane Ægyptio.* Qui homo multò locupletissimus, filii unigeniti morte præmaturâ erepti, cujus gratiâ immensos thesauros corraserat, simulachrum erexit in orbitatis solatium. Universa autem familia in domini adulationem, aut coronas plectere, aut flores inserre, aut odoramenta simulachro succendere consueverat: Nonnulli etiam servorum culpabiles domini furorem evitantes, ad simulachrum profugi veniam merebantur, & quasi salutis certissimo collatori, florum aut thuris offerebant munuscula sic ille. Hinc vocem εἴδωλον conflatam esse παρὰ τὸ τῆς ὀδύνης εἶδος subnotavit *Phurnutus,* quia prima idola doloris fuerant monumenta.

Clem. Alex. Strom. 6.

numenta. Sic *Libero* divinos honores præstabant *Cretenses* in *Jovis* solatium. Sic *Proserpinam* consecravere *Hennenses*, ut, inquit Jul. Firmicus, *maternis luctibus ex aliquâ parte inveniretur solatium*; & mox. *Siracusani mitigantes dolorem matris, pompam miseri funeris excolunt honore templorum*. Non aliter atque quod sæpiuscule observatum est vocabulum עצבים *eghtzabim*, quod dolores significat, *Idola* etiam in sacris literis designare.

Eorum postmodum, qui Dii habiti, rebus gestis Poetæ ad placitum suas fabellas attexuere, iis quiq; putida & ridicula commenta affluentes, quæ insanum vulgus suæ putà futilitati accommodata avidissimè amplexum est. Atqui Denique Philosophi, qui Universi naturam venerabantur, cum vulgi Numina fœdissimis flagitiis & eorum cultum futilissimis ritibus conspurcari conspicerent, quoniam apertè à vulgi religione cultuum receptorum semper tenacis abire haut tutum erat, ut igitur plebeculæ portenta impune abdicarent, historias & fabulas de Diis *mythologicis* interpretamentis explicandas esse voluerunt: cui instituto tantopere adhæserunt, ut demum piaculare habebatur de Diis diversum æstimare, ut olim monuit *Vettius Prætextatus* apud Macrob. *Cave æstimes mi Aviene poetarum gregem cum de Diis fabulantur non ab adytis plerunq; philosophiæ semina mutuari*. Unde Euhemerus læsæ religionis reus ducebatur quod veram & genuinam Deorum historiã cõtexuisset. Quippe obstinate inficiabantur Deos suos unquam mortales fuisse, unde multum in hoc occupantur primi Ecclesiæ patres *Tertullianus*, *Justinus*, *Athenagoras*, *Minucius Fælix*, *Lactantius*, *Athanasius*, *Cyprianus*, *Augustinus*, *Theodoretus*, *Arnobius*, *Eusebius*, Alii; ut scil. probent gentilitia Numina ἀνθρωποδαίμονας esse, seu homines Cœlo ob beneficia dicatos. Quinimo in Græculos passim invehitur *Philo Biblius*, quòd veras rerum gestarum historias in allegorias rebus naturalibus affines deflexissent. Huc accedit, quod refert *Varro* apud *Augustinum*. *In omnibus templis, ubi colebatur*

Saturn. l. 1. c. 17.

De civit. Dei l. 8. c. 5.

lebatur Isis & Serapis erat etiam simulachrum, quod digito labiis impresso admonere videbatur, ut silentia fierent, hoc significant, ut homines eos fuisse taceretur. Sic ille. Ex toto hoc, quem hic brevi Perstrinximus, Idololatriæ progressu, constat Ethnicos solùm aut homines aut res naturales pro Diis habuisse. His in antecessum missis, promptius præcipuum institutum expedire licebit, ad quod descendendum est.

Jam diu est, viz. ab usque Christianismi fermè exordio, ex quo usu venit placita ad res divinas spectantia ex *Gentilium* scriptis corradere, ut patefieret quousque in iis penetrare valuit *Naturæ Lumen*, & quantoperè Sanctæ scripturæ decretis suffragetur. Quod consilium tota eruditorum gens aut secuta est, aut magno cum favore excepit. Id nempe passim innuunt *Patres*, id contendunt ad unum omnes *Scholastici*, quos imitantur recentiores non modò Theologi, sed etiam qui nomina humanioribus literis dedisse profitentur, ut *Lipsius*, *Scaliger*, *Grotius*, *Vossius*, quis non? E quorum numero insignius est præ reliquis *Augustini Steuchi Eugubini* opus, qui haut exiguum volumen ex veterum testimoniis conflavit, ut Gentilium de Deo placita per omnia secula ὀρθόδοξα fuisse, & veritati Christianæ conspirantia demonstraret. Hi, sicubi Gentiles Deum statuant unum esse, ingenitum, sempiternum, mundi Opificem, omniumq; in eo parentem, in impios severum, in probos beneficum, mundi gubernatorem, ubique præsentem, hisq; similia, arripiunt statim tanquam de Deo *Opt. Max.* dicta; Minimè attendentes, quis Gentilibus Deus omnium supremus habebatur. Quid enim si ista, aliaq; Dei *Opt. Max.* attributa rei alicui creatæ impiè adscriberent? quod si fecerint (& fecisse mox apertissimè evincam) nihil magis à nostrâ genuinâque theologiâ alienum. Equidem non satis demirari possum tot viros perspicacissimos, quas perfectiones sacrilegi Idololatræ de idolis suis, fictisq; Numinibus prædicaverant, veluti de industriâ perperam cepisse tanquam de æternâ verâque Numinis majestate prædicata. Quod si con-

consultò fecerint, quantæ vesaniæ! Sin aliàs quantæ Oscitantiæ, ne dicam inscitiæ, quæ de Numinibus fictitiis dicuntur, approbare quasi ipsi Deo tribuerentur; & Idololatras collaudare, quod laudes divinas creaturæ dederint! Quàm immensùm interest an quæ Dei sunt, Sacrilegè ad creaturæ cultum deflectantur, an in ipsius Dei gloriam ipsi soli inesse agnoscantur? *Ethnicorum* omnium prius est, *Christianorum* posterius.

Sunt imprimis, iiq; non indocti, qui abdita S. Triadis mysteria è veterum Gentilium monumentis eruisse se somniant; hos autem utpote communi doctorum calculo explosos, & manifesti erroris jampridem evictos, transilire par esse duxi; etenim æquius & utilius mihi videtur errores inveteratos, atque communi omnium suffragio stabilitos modestè redarguere. Cujùs conatûs fructum neque exiguum, neque contemnendum esse spero. Quid enim plus momenti ad eruditionis profectum habet, quam eruditos ab inani & cassâ industriâ avocare? Hinc enim fiet, ut sudorem aliàs in nugamentis, falsisq; occupandum circa utilia impendant. Propterea missis, quæ ad Trinitatis rationem accommodantur, ea duntaxat sequemur, quæ Dei attributa ratione revelanda adtinent, neque omnia latè diducam, sed pauca de multis duntaxat, quæ apertissime quod contendo confiteantur, strictim decerpam; ea nempe testimonia, quibus disertim rebus creatis tribuuntur perfectiones aut operationes, quas Deo *Opt. Max.* attributas fuisse hactenus volunt alii omnes. Nec expendam quæ ex spuriis authoribus afferuntur, mittam igitur versus Sybillinos, *Mercurium Trismegistum*, (Quem miror tandiu imposuisse etiam peritioribus Critices consultis, *Lipsio*, *Scaligeris*, &c.) Nec denique quidquam solicite de *Sophistis* sive *Platonicis* dictis, qui postquam vigere ceperat Christiana religio vixerunt, dicam; quales erant *Amelius*, *Plotinus*, *Porphyrius*, *Jamblicus*, *Proclus*, *Maximus Tyrius*, aliique, qui utique aliter animati videntur, quam qui Philosophi ante

Christi-

Christianæ religionis natales vixerant. Ista enim sublimiorem Genium orbi afflavisse videtur; unde si quid isti de Deo rectius opinati fuerint, id non tam è Gentilium Theologiâ quam Christianâ deprompsisse videantur. Etenim quemadmodum *Origenes*, qui illis florentibus vixit (erat enim *Plotini* discipulus, *Porphyrii* condiscipulus) sicut inquam ille, cui magis cordi erat disciplina Christiana quam Platonica, quamplurima ex hâc in illam invexit; ita isti ad *Platonem* propensiores quam ad *Christum* innumera è Theologiâ nostra demum ad Platonicam traduxisse visi sunt.

Ex immensâ gentilitiorum Numinum farragine, duo sunt longè omnium celeberrima, quorum alterum quisque prout plebe sapientior tanquam numen genuinum & unicè venerandum respexit; Solem puta & Mundum: Nam utcunque se veteres sophi ad cultum vulgo usurpatum demiserunt, attamen cum seriò de Deo loquuntur, horum alterum semper indigetant. Cæterum utrum à solis & cœlestium cultu ad totius Mundi venerationem descenderunt, an potius à Mundi ad solis cultum deventum sit, minoris est quàm ut controversiæ locus sit, cùm abunde liqueat modo hunc, modo illum *Jovis supremive Dei* nomine gaudere: Solem vero omnium primum venerationem consecutum fuisse, non modo colligere est ex priscæ historiæ reliquiis, sed quoque ex divino solis splendore & usu, adeo ut cum semel à Deo opt. Max. recessum erat, proclivè & quodammodo naturæ sponte solem, illius pulchritudine perculsi, venenarentur ut jam ante subinnuimus. Cæterum ad totius naturæ cultum desiderabatur Philosophia, quæ dictitaret puriorem quendam spiritum omnia pervadere, qui omnia Naturæ phœnomena moderaretur; hujusmodi vero extitisse spiritum homines, priusquam philosophiæ studio se accingerent, non advertisse longè vero simillimum est. Verum enimvero licèt antiquiores Idololatriæ solem & cœlestia duntaxat colebant, tamen gliscente simul cum philosophiâ superstitione, totius demum naturæ fabricam

cam pro supremo Numine habuerunt: quâ ratione Philosophi utrumque, solem sc. & Mundum in unum Deum conciliavere. Quippe cana omnis sophia solarem Æthereamve quandam substantiam à sole quodammodo dependentem universam Mundi machinam commeare opinata est, ita etiamsi veteres mundi ἡγεμόνικον seu *Principatum* in ipso sole posuerunt, eandem nihilominus vim per omnes naturæ artus fusam esse arbitrati sunt, quæ non secus a sole pendeat, atque spiritus corporis humani à cerebro, aut funiculi globulorum ætherorum in Philosophiâ *Cartesianâ*, qui ejusdem cum sole substantiæ & ubique diffusi, soli tamen tanquam eorum principio alligantur: pari modo spiritum æthereum seu animum ubique per omnia commeare statuebant. Id ipsum quod πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου seu πῦρ τέχνικον toties dixere. Quocirca qui Soli orbis imperium concesserunt, id agunt non aliter quàm cum in cerebro collocatur hominis ἡγεμόνικον, quamobrem omnis mundi pars ex eorum mente Dei quoque pars dicenda erat, similiter atque omne membrum corporis humani pars ejusdem æstimetur, licet in cerebro resideat totius principatus, unde erat ut quicquid divinitatis de mundo prædicabatur, prædicandum erat quoque de sole, & vicissim quicquid soli conveniebat, mundo etiam tribuere fas erat. Quod idem de æthere supremâve mundi regione subnotandum est. Quoniam enim purior & insignior mundi pars sit & quasi caput, ipsi sæpe ipsius Dei nomen indiderunt, cum revera solùm Dei insigniorem esse partem reputarunt, ætherem spiritumve æthereum per omnia intentum esse opinantes. Uti de sociis suis testatur *J. Lipsius*. *Superum hunc ignem* (sic enim ætherem ex eorum mente nuncupat) *quem illi purum, lucidum, mobilem constituebant, misceri omnibus volebant, & vitam, vegetationem aut conservationem dare. Denique hunc esse mundi animum, hunc Deum, illum dico in æthere ardorem tenuem, nulluque admistione concretum.* Hinc in Stoicorum, & Pythagoreorum scriptis nihil obser-

Physiol. Stoic. l. 2. dissert. 12.

observatu facilius, quàm modo universum Deum dici, modò æthe rem, modò solem.. Cæterum quoniam aliqui, antiquiores scil. & potissimùm barbari eorum alterum venerati sunt, nihil de altero cogitantes, quoniam item multa modo de uno specialius, modo de altero dicta sunt, primo seorsim de sole & cœlestibus agendum est, deinde de Universo.

Repetunt nonnulli solis & siderum cultum ab usque *Enosi* Antediluviani seculo, ut *R. David Kimchi* in radicibus, *Salomon Jarchi* in commentariis *Maimon* de Idololatriâ, qui ipsum Enosum מִן הַטּוֹעִים *inter errantes* fuisse tradit, imo communem hanc Hebreorum sententiam fuisse testis est *Hieronymus* in quæst. Hebraic. quibus suffragatur *Cl. Seldenus Syntag. de Dis Syris proleg. c.3.* Cujus conjecturæ argumentum petunt à *Genes. cap. 14. comm. 26.* אָז הוּחַל לִקְרֹא בְּשֵׁם יְהוָה, quæ sic vertunt, *tunc profanatum est in invocando nomine Domini*; & interpretantur Mosen voluisse sacrosanctum Dei nomen rebus celestibus tributum esse, & inde prostitui ac profanari. Verùm alii propemodum omnes aliter Reddunt: quod sc. *tunc ceptum est invocari nomen Domini:* quæ discrepantia orta est ex ambiguitate vocis הוּחַל quæ æquivoca est ad *incipere* & *profanare*: priori significationi adstipulantur versio vulgaris Latina, Syriaca, Arabica, Aquilæ Græca, Pentateuchum Samaritanum, Targum Oncheli in editione Complutensi & Regiâ Ariæ Montani (aliis enim editionibus, quâs castigatiores esse fateor, legitur *tunc profanatum est*) ab omnibus autem abeunt *septuaginta seniores*, qui redidderunt οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου; pro הוּחַל legentes הוּחִיל, cujus radix יחל speravit. Qui vero הוּחַל per *ceptum est* interpretantur, ab invicem quoque secedunt, Alii statuunt, quod tunc homines inceperunt appellari nomine Domini, quia nempe quot quot pietati studebant, dicti erant filii Dei, sed vero לקרוא בשם ex linguæ Hebraicæ usu & analogiâ sonat potius invocare nomen (est enim conjugationis activæ) quàm vocari nomine. Alii igitur volunt

volunt quòd tunc ceptum eſt nomen Dei ab hominibus invocari, ſic *Hyeron. tunc initium fuit invocandi nomen Domini*, ſive quòd iſto ſeculo cepit Dei cultus, qui pene interierat, inſtaurari, ſive quòd ſuccreſcente hominum numero publicus & ſolennis Dei cultus à piorum Eccleſiis eo fine congregatis celebrari ceperit. Verum enimvero quo ſenſu accipenda ſit vox הוחל hactenus ambiguum eſt : Cum *Druſio* definiendum ; *ſi* הוחל *hoc loco ſignificat captum eſt, non ſignificat profanatum eſt : & contra ſi ſignificat profanatum eſt, non ſignificat ceptum eſt.* Pithiæ oraculum ! Sed tamen eo loci nihil de Idololatriâ cultuve ſiderum intendi veriſimilius videtur ; non modo quòd ex majori ſuffragiorum numero vocula הוחל ſonet *ceptum eſt* : ſed quoque ex duplici aliâ conjecturâ,quarũ prima eſt iſta *Alexandri de Hales.* Nempe Seculis antediluvianis cultum Dei rebus creatis haut probabiliter tributum eſſe propter recentem memoriam ejus, qui fecit Cœlum & terram, quam ex diſciplinâ Patrum habuerunt : Potiſſimum cum tum temporis adeo longævi erant homines, ut traditio de mundi creatione illiuſq; conditore per trium hominum ora ad uſque diluvii tempora propagari potuiſſet. Cui quòd reponit *Cl. Seldenus* planè Judæorum fabellas ſapit, ſc. hoc evenire potuiſſe ex ſacræ hiſtoriæ Cabalâ malè intellectâ ; quicquid enim arcano volumine condidit poſtea *Moyſes*, id Cabala antea erat, quoniam itaque à patribus acceperant Solem, Lunam, & Stellas dominos eſſe Diei & Noctis, perperam interpretati ſunt quaſi propriè Domini fuiſſent. Sed quæ de Cabalâ jactantur, nemo non agnoſcit eſſe audacula Judæorum commenta, ne ſcil. Talmudicis nugis & traditiunculis quas à patribus acceptas eſſe obtendunt, deſit patrocinium : traditionem autem fuiſſe πατροπαράδοτον de mundi fabricatione agnoſcimus ; atqui quidquam eos de ſiderum dominio accepiſſe quæ indicia,quæ documenta ? Solem ac Lunã viciſſim noctu & interdiu dominari cur non *Moyſes* ipſe antea primus dixerit ? Sacri Hiſtoriographi verba illa eſſe dico,

In quæſt. hebr.

Syntag. de Dîs Syris prolegom. cap. 3.

fortaſſe inaudita, ſed quibus *Moyſi* placuiſſit Solis Lunæque uſus & officia depingere.

Altera mihi conjectura eſt, quòd ſi Patriarchæ Antediluviani Idololatriæ (quâ Deo nihil magis exoſum) rei extiterant; id criminis minime omiſerat *Moyſes*, cum delicta, ob quæ vindicta divina diluvium demiſerat, recenſeret. Nam *Geneſ. cap. 6.* de diluvii cauſis agens, præterquam quòd in genere narrat mortales omnes *vias ſuas corrupiſſe*, memorat ſolùm libidinem & injurias ſeu violentiam; priorem *Comm.* 2. *videruntque filii Dei filias hominum, & acceperunt eas in uxores*; poſteriorem *Comm.* 11. *Corrupta eſt terra coram Deo, & repleta eſt injuſtitiâ*, de quibus locis perpauca non omnino ἐν παρόδῳ. *Viderunt filii Dei filias hominum*; filium pro homine dici pleriſq; linguis familiare eſſe neminem eruditulorum latet, eo modo quo *Græcis* υἷες Ἀχαιῶν, & ἰατρῶν παῖδες pro hominibus Achæis & medicis. Sed quid per *filios Dei* intelligendum ſit hactenus diſputatur. Alii (ut tranſiliam gerras Rabbinicas jam diu exploſas de Angelorum cum fœminis coitu) filios Dei opinantur juſtos & pios eſſe, qui ab impiorum turba ſegreges continuò veram religionem tenuiſſent, & per filias hominum fœminas de impia Caini ſtirpe, quæ ab omni pietate deſciverant, & pios, qui eas uxores duxerant, in ſua vitia pellexerant: atqui vero incertum eſt aut ſeceſſionem piorum ab impiis factam eſſe, aut Sethi ſobolem patris ſui æmulatam fuiſſe pietatem, magis quàm qui à *Caino* progenerati, ſed veriſimile omnes utriuſque familiæ pariter degeneres fuiſſe, cum ſtatim unicus *Noah* æquitati ſtudere repertus eſt. Potius igitur cum aliis autumarem quos *filios Elohim* appellat *Moyſes* fuiſſe potentes & proceres, qui cæteris motalium robore præcellebant; nimirũ non modo familiare eſt Sanctæ Scripturæ quodq; magnificum Dei nomine inſignire, ſed & vocabulum *Elohim* fortes ſonat perinde ac Deum. Sic utraq; Chaldaica paraphraſis reddit בני רברביא : רברבים enim *potentes, magnates & principes* ſignificat, unde vertit *Symmachus*

chus

chus υἱοὶ τῶν δυναστευόντων Quinimo ſub hac ſignificatione leguntur eadem verba *Pſalm* 89. *Com.* 6. *& quis ſimilis eſt Domino in filiis Elohim*, ubi inſtituitur comparatio Dei ad principes. Item & *Pſalm.* 82. *Com.* 6. *& Dii quidem eſtis & filii excelſi vos omnes, tamen ſicut homines moriemini*, &c. Et ſicubi aliàs in ſacrâ paginâ uſurpantur. Interpretari igitur velim quaſi quiſque prout robore & potentiâ præſtabat, omnem fœditatem pro libidine auſus ſit, & filias ſibi ſubditorum vi & injuriâ rapuiſſet. לקח enim aliquoties (ut *Druſio* obſervatum eſt) ſignificat *capere per vim*, ſive rapere, & hîc ſic accipi debere confirmatur quòd dicitur uxores eos omnes cepiſſe, *ex omnibus quas eligerent*, quaſi quiſque quamcunque ex omnibus velit, ſibi arripuerit; etenim non potuit quiſque quamcunq; elegerat citra violentiam ſibi accipere. Quæ interpretatio ſi admittatur coincidet cum commate 11. tanquam ſpecialis inſtantia injuriarum, de quibus Deus ibi conqueritur, ſic enim חמס, quod *Com.* 11. legitur, ſignificat, ſeu violentiam, vim & rapinam; cùm abjectâ omni juris & æquitatis curâ ſola dominetur vis & tyrannis; ſic utroque commate de iiſdem delictis, iiſdemque perſonis agetur, quòd ſc. robuſtiores quique in viros tyrannide graſſantur, in fœminas libidine, illius accuſati *Com.* 11. hujus *Com.* 2. ſed utcunque ſit nihil hîc de idololatria, quam certè non omiſerat *Moyſes*, cum alia flagitia haut magis abominanda memoret, non igitur in mundum antediluvianum inductam fuiſſe.

At vero ſolarem cultum non multùm à diluvio arceſſendum eſſe, non modò liquet ex trito *Maimonidis* teſtimonio ſic ſcribentis. Notum eſt quòd *Abraham* natus eſt in gente, quæ " ſerviebat igni, & in credulitate *Zabeorum*, qui credebant " quòd non erat Deus alius niſi ſtellæ. Cum vero fecero te " ſcire in hoc capitulo, libros eorum, qui non inveniuntur " apud nos tranſlati ad linguam Arabicam, in narratione " ipſorũ in antiquis contentionibus, & fecero te ſcire opiniones *More Nevoch. l.* 3. *c.* 30.

 ipſorum,

" ipsorum, & rationes eorum; ostendetur tibi credulitas in
" stellis, quòd sunt Dii, & quòd Sol est major inter Deos. Et
" dixerunt quòd reliqui Planetæ sunt Dii, sed Sol & Luna
" sunt maximi Deorum. Invenies id quod manifestè dicunt.
" Quod Sol regit mundum superiorem & inferiorem, & inve-
" nies istud in libris eorum, & narrant statum *Abrahæ*, &
" dixerunt hæc eadem verba quòd *Abraham* fuit natus &
" educatus in terrâ servientium igni, quando contradixit opi-
" nioni gentis illius, dicens quòd alius operator erat præter
" Solem, & induxerunt contra eum rationes suas, inter quas
" fecerunt mentionem de operationibus solis, quæ manifestæ
" sunt, & apparent visui in universo esse. Cui accedit
Oedip. Ægypt. tom. synt. 3. c. 2. *Isaac Maronita* in Philosophicis tractat. cap. 6. uti citatur *Ker-
chero*: En Maronitæ de Ægyptiis loquentis verba; surrex-
" erunt homines corrupti moribus, quorum mens corrupta
" erat ab ignorantiâ, & opere dæmonum, qui eos seduxerunt,
" ac arbitrati, sunt unum pro alio, & existimaverunt astra spi-
" ritu intelligentiæ prædita, libertatem habere ex se, & pote-
" statem, & paulatim errare eos fecit Diabolus, donec existi-
" marent astra esse creatores, & factores, imposueruntque
" singulis sideribus Dei nomen, variis quoque ceremoniis ea
" colebant, ante ea prostrati & adorabundi.

Sed quoque ex eo quod *Moyses* astrorum cultum vetuit *Deuter. cap. 4. Ne fortè eleves oculos tuos in Cælum, & videas Solem & Lunam atq; stellas cum universo exercitu Cælorum, & impellaris, & adores atque colas ea.* Quo fine, si non prius inoleverat mos adorandi stellas? cui refertur *Job. cap. 31. Com. 26, & 27.* ubi expressè se ipse à Solis ac Lunæ cultu purgat, Hujus autem ætatem *Mosaicæ* aut parem aut supparem fuisse fortè superiorem pene jam demum extra controversiam ponitur. Neq; aliò spectat textus iste *Levit. 26. 30. Ego eliminabo excelsa vestra & exterminabo* חמניכם *Chamanim vestros, Chamanim* autem Solis cultum attinere ex variis locis constat; vid. *Isaiam 17. Ezech. 6.* &

& per ea intelligunt eruditorum alii ſimulachra Soli conſecrata, alii *πυραθεῖα*, & dictum volunt à voce חמה quæ modo Solem, modo calorem ſonat. Denique ſiderum cultus paſſim in veteri inſtrumento Judæis exprobratur. Quod malum item toto orbi antiquitus incubuiſſe innumeris teſtimoniis propemodum vulgo notum eſt. Id de Phænicibus teſtatur *Philo Biblius* ex *Sanchuniathone* apud *Euſebium* προπαρασκευῆς *l.* 1. *c.* 10. de Phænicibus, & *Ægyptiis* imo de omnibus, ſi Hebræos duntaxat excipias, plura apud *Euſeb. l.* 1. *c.* 6. de *Ægyptiis* rurſus *Diod. Siculus l.* 1. Idem ille & *Plato* decantatiſſimo loco in Cratilo de Græcis, quibus Phœnicum religiones communicavit Cadmus, Ægyptiorum Orpheus. De Perſis & Chaldeis *Herodotus* lib. 1. *Strabo* l. 15. *Juſtin.* l. 1. *Greg. Nazianzen.* Orat. 1. adv. *Julianum*, De Arabibus *Strabo* lib. ult. de *Germanis* Cæſar bell. gall. *l.* 6. facile foret infinita teſtimonia congerere, ſed abſtineo non modo plura adjicere, ſed & hæc exſcribere, tum quod decoctiſſima ſunt ſexcenties ab aliis excripta, tum quòd res aperta eſt, & in confeſſo ponitur.

Ab hoc Ignium cœleſtium cultu ortus eſt mos ignem perennem eorum ſymbolum & teſſeram in templis aſſervandi; uti *Porphirius de abſt.* πῦρ γὰρ ἐφύλαττον ἀθάνατον ἐν τοῖς ἱεροῖς, ὡς ὂν μάλιστα αὐτοῖς ὁμοιότατον. *Ignem conſervabant ſuis in templis immortalem, quòd iiſdem* (diis ſc. ignibus cœleſtibus) *ſimillimus eſſe videretur.* Hinc Perſarum, qui aliis religioſius Solem adorabant, Πυραθεῖα. & facilè adſentior *Cl. Seldeno*, cui Cuthorum Nergal, de quo 2 Reg. cap. 17. comm. 30. ignis perennis religioſiſſime, ut Solis ſymbolum, ſervatus videbatur, Parilis mos Athenis in templo Minervæ, Teſte Euſtath. ad Odyſſ. τ Romæ item Numæ inſtitutione. Qui & in uſu apud Thuſcos, Ægyptios, Medos, Sauromatas, Phryges, alios. Hinc etiam moris ortus in locis ſublimibus ſacra præſtandi, quod toties Idololatris Sancto Codice objectatur; unde porro rationem vocis *altare* petunt Grammaticorum

Syntagm. 2. *de diis Syr. c.* 8.

corum

corum filii. Pompon. Festus *Altaria ab altitudine dicta sunt*, & Isidor, *altare quasi alta ara* quòd antiqui Dis superis in ædificiis à terrâ exaltatis sacra faciebant. Ut Ægyptii Pyramidibus tanquam aris usi sunt, juxta illud *Lucani*

Votaque Pyramidum celsas solvuntur ad aras.

Quâ de re vide Kercherum fusius differentem *Oedip. Ægypt. Tom.* 1. *Syntag.* 4. *cap.* 12.

Utcunque deinceps reliqua astra coluere, Solem omnes pro summo, plerique pro unico numine habuerunt, cæteras stellas illius ministros statuentes, ut *Onatus Pythagoricus* apud Stobæum, τοὶ δ' ἄλλοι θεοὶ ποτὶ τὸν πρῶτον θεὸν, καὶ νοητὸν οὕτως ἔχοντι ὥσπερ χορευταὶ ποτὶ κορυφαῖον, καὶ στρατιῶται ποτὶ στραταγὸν, *reliqui Dii erga primum supremum, sapientemque, sic se habent ut chorus ad Coryphæum, & milites ad ducem.* Soli igitur palam omnia Dei attributa & agnomina adfigebant. Sic perinde esse an supremum Numen Sol appelletur, an Ἰάω (quod indubiè fit à nomine tetragrammato, de cujus prolatione nimium altercationi indulgent peritiores Critici) apud *Macrobium* effatur consultum Apollinis Clarii oraculum

*Lib.*1.*c.*18. *Saturn.*

Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰάω
Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
Ἠέλιον δὲ θέρεος, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰάω.

Dic omnium supremum Deum Iao
Hieme quidem Plutonem, ac Jovem vere incipiente,
Et solem æstate, autumno mollem Iao.

*Lib.*14.*orig.c.*3 Sic ἥλιος ex אל uno è Dei nominibus deducitur: ut *Isidorus* de *Persis*: Omnes in illis partibus solem colunt qui ipsorum linguâ *El* dicitur: Licet factum vult Servius à Phœnicum *Bel*, qui utique cum neutiquam Hebraice sciens adver-

advertere nõ potuit nasci vocem ἥλιος ab Hebreorum אֵל *El*; à Phænicum *Bel* deducere conatus est, lepidè igitur videntur Doctiss. *Vossius* aliiq; Servium secuti per totidem flexuras & ambages illius deductionem moliri, cùm levi aut nullâ mutatione constet etymon, si ab אל fiat. Baal etiam Solem vocitavere, quæ vox olim inter divina nomina obtinuit. Decantatissimus est Servii locus. *Assyrios constat Solem coluisse, linguâ Punicâ Bal ille Deus dictus est, apud Assyrios autem Bel.* Sol pariter etiam Adonis dictus ab Hebreorum *Adonai*, ne hîc particulatim insistam vocabulis Molech, Beelsamen, Elagabalus, quæ duntaxat Deo *Opt. Max.* verè conveniunt, sed de iis infra. Dein pervulgatum est Ethnicos Deum, quem Supremum habebant, Jovis nomine (quod à Sacrato nomine tetragram. יהוה deduci volunt his rebus docti) designare, Atqui Solem eundem cum Jove habitum fuisse complurium testimoniis probatum est; nam cum aiit *Homerus* In l. 1 Æneid.

Ζεὺς γὰρ ἐς ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας αἰθιοπῆας
χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο.
Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις ἐλεύσεται οὔλυμπόνδε.

Æthiopum petit convivia præclarorum
Juppiter hesternus; cuncti simul intererant Dii.
Luceque bis sexta conscendit rursus Olympum.

Jovis appellatione (Macrobiana verba agnosce) *Solem intelligi Cornificius scribit cui unda Oceani velut dapes ministrat*, &c. *& quod ait* θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο *sidera intelliguntur, quæ cum eo ad occasus ortusque quotidiano impetu Cœli feruntur, eodemque aluntur humore.* Vide porro Stobæum Ecclog. Physs. lib. 1. cap. 1. ubi non absimilia, addit autem τὴν μέντοι δωδεκάτην ἀκμὴν τῆς ἐπανόδου τῶν θεῶν, ὁπόταν ὑπερβάντες τὰ δώδεκα ζώδια, ἐπὶ τὸ ἴσον γένωνται τοῦ οὐρανοῦ. *Reditus quidem Deorum* Saturnal. l. 1. c. 23.

rum luce duodecima tunc accipiendus est, cum superatis 12 signis Dorsum Cœli occuparint. Ista itidem Jovis descriptio in Platonis Timæo Soli duntaxat quadrat ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, ἐλαύνων πτηνὸν ἅρμα, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα, καὶ ἐπιμελούμενος· τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν καὶ δαιμόνων κατὰ ἕνδεκα μέρη (12 signiferi orbis portiones) κεκοσμένη, μένει δὲ Ἑστία (quâ terra designatur) ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. in quæ verba vide Macrobii scholia loco priori. Nec alium quàm Solem respicit Orpheus in hymno Jovis

Ζεῦ πάτερ ὑψιδρόμον, πυραυγέα κόσμον ἐλαύνων.

Jupiter impellens ignitum, sublimeque currentem Orbem.

Et *Cicero* in fragmento de suo consulatu

Principio Æthereo flammatus Jupiter igne
Vertitur.

Adv. gentes l. 3. Arnobius item. *Jovem Solem esse dictitavere sapientes agitantem pinnatos currus turbâ consequente divorum*, respiciens sine dubio ad Platonis verba jam ante allata. Apollinis etiam apud Julianum responsum

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀΐδης, εἷς ἥλιός ἐστι Σαράπις, neq; secus Orpheus
Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἀδης, εἷς ἥλιος, εἷς Διόνυσος.

Refert igitur *Julian.* in vegrandi oratione ad solem de *Cypriorum* sacerdotibus οἱ κοινοὺς ἀποφαίνουσι βωμοὺς Ἡλίῳ καὶ Διΐ *Communes soli cum Jove aras extruunt.* Iterumque in eâdem oratione οὐδὲν διαφέρειν Ἡλίου Δία νομίζοντες, ὁμολογοῦμεν τῇ παλαιᾷ φήμῃ *Cum nihil solem inter & Jovem inter esse putemus veterem opinionem sequimur.* & impius sanè hic transfuga in intimam Orphicorum, & Ægyptiorum mystagogiam penetraverat. Clarissimè

rissimè denique magnus Hippocrates decernit preces habendas esse Ηλίῳ Διὶ ὀυρανίῳ *Soli Jovi cœlesti*. Huc accedunt aliquam: multæ veterum inscriptiones, cujusmodi ista in domo Gentilis Delphinii ad forum piscarium reperta. ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ. ΣΑΡΑΠΙΔΙ Alias vide apud Gruterū inscrip. Antiq. Aleandrū antiq. Tabul. aliosque. Hinc denique pro vario solis situ aut aspectu diversa Jovi nomina: ut Solem altero Hemisphærio versantem *Jovem stygium* appellabant (ut Luna dicebatur Juno inferna.) A Sole etiam ratio petenda Jovis nominum *diespiter & Lucetius*. *Jovis* (inquit Gellius) *Diespiter appellatus i.e. diei Et Lucis pater, idcircoque simili nomine Dijovis dictus est & Lucetius: quod nos die & Luce quasi vitâ ipsâ afficeret & juvaret.* hæc videntur excripta è Varrone de L. L. l. 4. Servius itidem. *Sanè linguâ Oscâ Lucetius est Jupiter dictus, à luce quam præstaret hominibus. Ipse est enim nostrâ lingua Diespiter i. e. Diei pater,* similia Festus, Turnebus, aliique Grammatici. Hæc denique ratio est, ut refert Plutarch: cur annum Jovi consecrarunt veteres Romani & Junoni mensem, quia illum efficit Sol, hunc Luna.

L. 5. c. 12.

Quæst. Rom.

Et sicut Sol pro primo & supremo ita pro unico Numine habitus est, reliquis omnibus ad eum reductis, quod uberius præ aliis præstiterunt inter recentiores Vossius de Idol. l. 2. inter antiquiores cum omnium applausu Macrob. l. 1. Saturn. id demonstrans partim ab auctoritate veterum, *Platonis*, *Crysippi*, *Cleanthis*, *Euripedis*, *Homeri*, *Speusippi*, *Antipatris*, *Porphyrii*, *Orphei*, *&c.* partim ab ipsius rei verisimilitudine: Quoniam nimirum reliquorum Numinum Cognomina, tituli, simulacra, virtutes, munera, effectus, symbola, cultus, ceremoniæ, de iis fabulæ, omnesque demum sacrorum ritus tam appositè Soli quadrarent. immensam igitur gregem aliorum Numinum tanquam totidem Solis nomina crediderunt. Sic Martianus Capella ad Solem Pangit.

Te Seraplm Nilus, Memphis veneratur Osyrim,

Dissona sacra Mithram, Ditemque, ferumq; Typhonem.
Atys pulcher item; curvi & puer almus aratri.
Ammon & Arentis Lybies, & Biblus Adonis.
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.

Apud Euseb. προπαρασκ. l. 3. c. 15.

Affine Apollinis interrogati quisnam Deorum ipse esset responsum

Ηλιος, Ωρος, Οσιρις Αναξ, Διονυσος, Απολλων,
Ωρων καὶ χαιρων ταμιής, ανεμώντε καὶ ὄμβρων
Ηῦς καὶ νυκτὸς πολυαστέρου ἡνία νωμῶν,
Ζαφλεγέων ἄστρων βασιλεὺς ἠδ' ἀθανατόν πῦρ.

Sol, Idemque Horus, Rex, Bacchus, Osyris, Apollo
Idem horas, annique vices, ventos, pluviasque,
Auroræque rego, & stellatæ noctis habenas,
Rex simul astrorum, simul immortalis & ignis.

Similia Nonnus lib. 4. Dionysiacôn, sed satis hæc sunt. Hinc non ineptè conjectatur Solis πολυονωμίαν dedisse πολυθεότητι initium: etenim cum cuique ejus virtutum proprium nomen adhibebant, in totidem illa demum evaserunt numina, Ma-

Saturn. l. 1. c. 17

crob. *diversæ virtutes solis nomina dis dederunt : unde* ἓν τὸ πᾶν sapientum principes prodiderunt. Hinc unum esse Deum dixerunt, quod subinnuitur in eo, quod de Xenophane refert

Metaph. l. 1. c. 5.

Aristoteles, quòd utique εἰς τὸν ὅλον ὔρανον ἀποβλέψας τὸ ἓν τὸ

Saturn. l. 1. c. 23

φησὶ τὸν Θεὸν *In universum cælum respiciens, unum esse aiit Deum.* In hanc rem insigne est Macrobii de Assyriis testimonium. *Accipe*, inquit, *quid Assyrii de solis potentiâ opinentur, Deo enim, quem summum, maximumque venerantur Adad* (hac voce hallucinari Macrobium conveniunt Critices professores quoniam nequit ritè à quâvis voce Syriacâ aut Hebraicâ derivari) *nomen dederunt, ejus nominis interpretatio significat [unus] Hunc ergo potentissimum adorant deum.* & mox

Simulacrum

Simulacrum Adad insigne cernitur radiis inclinatis, quibus monstratur vim cœli in radiis esse solis, qui demittuntur in terram. Sed de unitate Dei plura infra, Ubi de Mundo, spirituve mundano. Ad Solis imperium & Providentiam deveniendum est.

Hunc Universi Opificem, dominum & gubernatorem, omnium parentem, humani tum corporis tum animi auctorem, rerumque humanarum inspectorem, & moderatorem celebrabant. Porphyrius in epistolâ ad Anebonem Ægyptium apud Eusebium narrat Ægyptios non alios olim agnovisse deos, quàm sidera intra Zodiacum errantia, Solem autem universi Δημιουργὸν *architectum* habuisse. Et proximè *Eusebius* *Præpar. l. 3. c. 4.*

ὅτι καὶ τῶν Αἰγυπτίων ἀπόρρητος θεολογία, οὐδὲ ἄλλους, πλὴν τῶν κατ' οὐρανὸν ἀστέρων, τῶν τε ἀπλανῶν καλουμένων, καὶ τῶν ὀνομαζομένων πλανητῶν ἐθεολόγει, δημιουργόν τε τῶν ὅλων εἰσῆγεν οὔτινα ἀσώματον, οὐδὲ λόγον δημιουργικὸν, οὐδὲ μὴν θεὸν, οὐδὲ θεοὺς, οὐδὲ τινας νοερὰς καὶ ἀφανεῖς δυνάμεις, μόνον δὲ τὸν ὁρώμενον Ἥλιον. *Ne arcanam quidem ipsam Ægyptiorum theologiam præter Cœli stellas, tum quæ constantes ac fixæ, tum quæ errantes vulgò nominantur, alios ullos Deorum in numero collocasse, imo nec corporis expertem aliquem hujus Universitatis architectum statuisse, nec rationi effectrici, nec Deo Diisve ullis, aut intelligentibus quibusdam ac sub oculos minimè cadentibus naturis, sed uni duntaxat aspectabili Soli ejus molitionem tribuisse.* Damascius etiam vitâ Isidori apud Photium Bibl. 242. cod. Αἰγύπτιοι ἔσεβον θεῶν μάλιστα Ὄσιρίν τε καὶ Ἶσιν· τὸν μὲν ἅπαντα δημιουργεῖν νομίζοντες, εἴδεσί τε καὶ ἀριθμοῖς τὴν ὕλην διακοσμοῦντα. *Colunt præ cæteris Diis Egyptii Osirim & Isin* (*i. e.* Solem & Lunam) *illum omnia condere, & figuris, numerisque materiam adornare arbitrati.* Similia *Diodorus Siculus.* Lib. 1. Sect. 1. quod etiam de Chaldæis (ut menimi) refert idem Euseb. *Præpar. l. 7. c. 2.*

τὰ χορηγὰ τῆς ἐνσάρκου ζωῆς Ἥλιόν τε καὶ σελήνην καὶ ἀστέρας ὑποτοπήσαντες, καὶ πῶς καὶ πρὸς τὴν ὄψιν τοῦ φωτὸς καταπλαγέντες, πρώτους θεοὺς ἀνηγόρευσαν,

μόνως αἰτίως τῶν ὅλων εἶ) ἀποφηνάμενοι, *Solem, Lunam, ac reliqua sidera vitæ corporeæ moderatores esse suspicati simulque ad lucis aspectum admiratione perculsi, principes hosce Deos ita prædicarunt, ut eosdem rerum auctores omnium esse statuerent.* Idem de Indis *Clementem Alexandr.* scripsisse in protreptico memini. Huc & insuper spectat quod ex Eubulo refert Porphyrius. Ζωροάστρον αὐτοφυὲς σπήλαιον ἐν τοῖς πλησίον ὄρεσι τῆς Περσίδ☉ ἀνθηρὸν, καὶ πηγὰς ἔχον ἀνιερώσαντας εἰς τιμὴν τοῦ πάντων ποιητοῦ καὶ πατρὸς Μίθρου, εἰκόνα φέροντ☉ αὐτῷ τοῦ σπηλαίου τοῦ κόσμου, ὃν ὁ Μίθρας ἐδημιούργησε: τῶν δὲ ἐντὸς κατὰ συμμέτρους ἀποστάσεις σύμβολα φερόντων τῶν κοσμικῶν στοιχείων καὶ κλιμάτων. *Zoroastrum in montibus Persidi vicinis antrum nativum, floridum, fontibusque irriguum, in honorem creatoris, patrisq; omnium Mithræ* (quo nomine Solem indigetabant Persæ) *consecravisse. Ita ut antrum conditi à Mithrâ mundi figuram præberet; ea vero quæ intra antrum erant certis invicem intervallis disposita, elementorum, climatumq; mundanorum symbola seu figuras gererent.* Quibuscum convenit Solem à Phœnicibus & Syris (ut memorant *Herodianus, Capitol:* &c.) sub Heliogabali, seu Alogabali, sive Elagabali nomine cultum fuisse, quod vocabulum ritè autumant viri docti confectum ex אלהא *Deus* & נבל *conditor*, adeo ut idem sit quod *Sol Opifex.* cui accedit quod Porphyrius quanquam Hebraicè ignarus prodat Heliogabalum idem valere ac ὁ ἥλι☉ δημιουργός. tum quòd Sol κτιστὴς τῆς οἰκουμένης in Obelisco prægrandi, qui Romam transferebatur jussu Constantini Magni, appellitetur. Extant & nummi quorum hæc inscriptio SACERD. SOLIS. DEI. ELAGAB. Hinc turpissimum istud Imperatoris portentum Heliogabali nomen sibi vindicavit, quòd *in Emissa Urbe istius Idoli Sacerdos fuerat,* ut memorat Lampridius in Heliogab. Vide Marcellinum, l. 17. Herodianum in Macrino. Suidam de Apolline, Salmasium & Casaubonum ad Lampridium, N. Fullerum in Miscell. l. 1. c. 14. aliosque. De Pane denique seu Sole

De antro Nymphar.

Sole Macrobius. *Hunc deum Arcades colunt appellantes* τὸν τῆς ὕλης κύριον: *non ſilvarum dominum ſed univerſæ ſubſtantiæ materialis dominatorem ſignificari volentes. Cujus materiæ vis univerſorum corporum, ſeu illa Divina ſeu terrena ſint, componit eſſentiam.* Saturn.l.1.c.22

Deinde ut Solem primum omnia creaviſſe crediderint, ita quoque omnia deinceps continuo progignere, vicibuſq; ortus & interitus præſidere. Sic Claudianus ad Solem.

Qui vitam lethumque regis: nam quicquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi certis ambagibus ævi.

Hinc *Diodorus* de Sole & Luna prodit, *quòd omnium animantium generationem conficiant. Cum alter,* inquit, *igneus ac ſpiritalis exiſtat, altera humida atq; frigida, aer utrique communis: ab iis itaq; generari, atque nutiri corpora omnia, rerumque naturam à Sole & Lunâ perfici.* Ut Triſmegiſtus ὑποβολιμαῖος, qui ſubinde Gentilis perſonam induit, ſic enim exigebat inſtituti ratio. Οὕτω γὰρ οὐρανὸν καὶ γῆν ἄγει ὁ δημιουργὸς λέγω δὲ ὁ ἥλιος, τὴν μὲν οὐσίαν κατάγων. τὴν δὲ ὕλην ἀνάγων, καὶ περὶ αὐτὸν, καὶ εἰς αὐτὸν τὰ πάντα ἕλκων, καὶ ἀπὸ ἑαυτοῦ πάντα διδοὺς πᾶσι, καὶ τὸ φῶς ἄφθονον χαρίζεται. αὐτὸς γὰρ ἐστὶν, οὗ ἀγαθαὶ ἐνέργειαι, οὐ μόνον ἐν οὐρανῷ, καὶ ἀέρι, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ γῆς, εἰς τὸν κατώτατον βυθὸν καὶ ἄβυσσον διήκουσιν. *Sic enim Cælum & terram operator ſemper ducit, dico vero, Sol, eſſentiam quidem demittens, materiam vero attollens: & circa ſeipſum & in ſeipſum omnia trahens, & à ſeipſo omnia omnibus tribuens, etiam lumen uberrimè largitur: ipſe enim eſt cujus bonæ operationes non Solùm in Cælo & in aere, ſed & in terrâ in imum profundum & Abyſſum penetrant. Rurſus* Σωτὴρ δὲ καὶ τροφεύς ἐστι παντὸς γένους ὁ ἥλιος. *Servator vero & educator omnis generis eſt Sol.* Ægyptii quoq; teſte Diodoro Siculo. τούτους δὲ τοὺς θεοὺς ὑφίσανται τὸν σύμπαντα κόσμον διοικεῖν, τρέφοντάς τε καὶ αὔξοντας πάντα.

Lib.1.c.1.

Aſclep.l.1.

Lib. 1.

πάντα. *Hos autem Deos* (Solem & Lunam) *mundum universum gubernare statuunt, nutrientes & augentes omnia.* Stellas insuper fertilitatis causas, & tempestatum dispensatrices arbitrati sunt; quam causam esse scribit *Maimonid.* cur Zabii, antiquive Idololatræ agriculturam cum cultu stellarum conjunxerint, quòd per cultum stellarum exculta & fœcunda reddatur terra. *Hinc* inquit, *Sapientiores, doctiores, & religiosiores inter ipsos prædicabant & indicabant hominibus, quòd agricultura, quâ homines subsistunt & conservantur, ab ipsorum voluntate dependeat, si nempe solem reliquaque astra debito cultu venerenter; Si vero peccatis suis illa offendant, urbes & agros vastari.* & paucis interjectis. *Concionabantur sacerdotes propter ejusmodi cultus pluviam de cælo descendere, arbores agri fructus ferre, terram fœcundam reddi;* Et subdit Deum propterea totidem promissa fertilium tempestatum, & sterilitatis interminationes passim legibus Mosaicis subtexuisse, ut adversus vanas istas Zabeorum promissiones populum muniret. *Cum igitur,* inquit, *tantoperè opiniones istæ divulgari & obtinere cepissent; placuit Deo Opt. Max. pro immensâ suâ erga nos misericordiâ, errores istos ex animis nostris evellere, & tantos labores à corporibus nostris, per laboriosarum & inutilium istarum actionum abolitionem, auferre: deditq; nobis legem suam per manum* Mosis, *qui nobis in Dei nomine indicavit, si astra, aliaque corpora Cælestia coluerimus, pluviam cessaturam, terram infæcundam & sterilem futuram, arbores fructus suos non daturas, varia mala temporibus, & vitia corporibus eventura, vitam denique nostram decurtatum iri. Ista namque omnia verba sunt fœderis, quod nobiscum Deus pepigit, & invenies illa passim in tota lege; quod viz. ex cultu stellarum sequatur cohibitio pluviæ, vastatio terræ, corruptio temporum, ægritudo corporum, decurtatio dierum: & è contra quòd ex intermissione illius, & conversione ad cultum Dei sequatur descensio pluviæ, fæcunditas terræ, bona tempora, sanitas corporis, & longa vita, contra* *quam*

More Nevoch. part. 3. c. 30.

quam hominibus concionati ſunt cultores Idolorum, ut ad colenda ea ipſos permoverent: fundamentum enim legis eſt opinionem illam ex animis hominum tollere, memoriamque ejus exſtirpare. Huc uſque Rabbinus; ſed à viâ abduxit, idcirco revertendum eſt. *Plinius* igitur: *Sol non temporum modo, terrarumque, ſed ſiderum ipſorum cælique rector:* Et Oraculum Delphicum de Sole

Ὡρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, ἀνέμων τε καὶ ὄμβρων,
Ἠοῦς καὶ νυκτὸς πολυάστερος ἡνία νωμῶν,
Ζαφλεγέων ἄστρων βασιλεὺς, ἠδ' ἀθάνατον πῦρ.

Horarum & temporum diſpenſator, ventorumque ſimul & (pluviarum.
Auroræ & noctis ſtellata gubernacula verſans,
Fulgentium ſiderum rex, & ignis immortalis.

Sic Martianus lib. 2.

Nam medium tu curris iter dans Solus amicam
Temperiem ſuperis, compellens, atque coercens
Sidera Sacra Deûm, quum legem curſibus addis.

Quapropter Apollinem muſicæ præfecerunt, quia Sol totius naturæ complexum ſuaviſſimo concentu, harmonicâve ſymmetriâ moderari videtur, Suidas Ἀπόλλωνος ἄγαλμα κιθάραν ἐπὶ χειρῶν ἔχον πλάττουσι. οἱονεὶ τὸν ἥλιον τὴν τοῦ παντὸς ἁρμονίαν. *Apollinis ſimulacrum fingunt citharam manibus tenens, quaſi Sol ſit harmonia Univerſi:* hinc mundum vocitarunt organum Dei, puta Solis, quod tetigit Varro cum caneret

Quam mobilem divum lyram Sol ἁρμογῇ
Quâdam gubernans motibus diis veget.

Ideoque Sol ab Orpheo χρυσολύρης dicitur *i.e.* auream lyram habens, Novem quoque muſas, quibus præeſſe confingitur, totidem

tidem orbes esse interpretantur, sic Porphyrius apud *Eusebium*

De Præpar. Evang. l. 3. c. 11.

ἐννέα δὲ ἐπάδουσι αὐτῷ μοῦσαι, ἥτε ὑποσελήνιος σφαῖρα, καὶ αἱ ἑπτὰ τῶν Πλανητῶν, καὶ ἡ μία τῆς ἀπλανοῦς. *Novem quidem musæ illi accinentes sphæram Lunæ Inferiorem, cum septem planetarum orbibus unâque præterea omnis erroris experte repræsentant.* Sed à Solis vi generatrice ad gubernatricem dilapsus sum quocirca vestigia paulisper oportet referre.

Saturn. l. 1. c. 17

Huc autem imprimis accinit Macrobii illud. *Camarienses, qui sacram Soli incolunt insulam,* ἀειγενέτῃ *Apollini immolant, Quod ipse generat universa in seminando, fovendo, producendo, alendo, augendoque.* Atque ibidem rursus *Apollinem* πατρῷον *cognominaverunt, non propria gentis unius aut civitatis religione, sed ut auctorem rerum progenerandarum omnium.* Quo pacto interpretatur *Fulgentius* fabulam de Phœbo cum Clymene nymphâ coeunte, unde prognatus Phaeton, *i. e.* inquit, *Sol aquâ coiens res quasque producit, quæ cum nascuntur, quasi è tenebris exilirent,* φαίνεσθαι *dicuntur.* Quinimo omnia sacra sua obscæna ad vim solis generatricem spectare fingebant, propemodum enim sacra nulla stupris vacabant, & vix quidquam sacrum, nisi quod pariter obscænum, & profecto templa omnia quasi totidem impudica & fœdissima lupanaria fuere, adeo ut optimè ille ad sacerdotis munus comparatus, qui pronioris libidinis, cujus omnis turpitudinis rationem ad facultatem Solis siderumq; generatricem referebant : ut *Ptolomæus* de Syris, Persis & Ægyptis. Καθιεροῦνται

In Tetrab. l. 1.

δὲ παρ' αὐτοῖς τὰ γεννητικὰ μόρια, διὰ τὸν τῶν ὡροσκόπων ἀστέρων σχηματισμὸν ὄντα σπερματικὸν φύσει. *Consecrantur apud eos genitalia ob astrorum vim generatricem,* & ubique fere gentium obtinuerat mos pudenda consecrandi. Ob quam causam prodit *Plutarchus* apud *Ægyptios* fingi simulachrum Osyridis erecto pene. Quin & effingitur, ut aiit *Suidas Ægyptiorum* Horus

Lib. de Isid. & Osyrid.

ἐν εὐωνύμῳ κρατῶν τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ ἐντεταμένον, & mox πάντων γὰρ τῷ ἡλίῳ δοξάζουσι, *Lævâ tenens veretrum suum intentum*; eundem enim

enim ac Solem esse opinantur, hoc testatur Herodotus de Horo, quem τὸν Ἀπόλλωνα Ἕλληνες ὀνομάζουσι, *Græci Apollinem appellant*, vulgo igitur deducitur ab אור Hebraicè lux, & συνεκδοχικῶς Sol. Pari viâ libidinosos amores Berecinthiæ & Attidis, Veneris & Adonidis, Osyridis & Isidis interpretantur de impenso Solaris appulsûs terram fœcundantis desiderio in tellure. Obscæno Deo deniq; Priapo indegetatur dicta vis generatrix Solis: unde Orpheus in Hymno ad Πρωτόγονον, quo Solem designat, disertim illum Priapum vocitat, canit enim

——— κατὰ κόσμον
Λαμπρὸν ἄγων φάος ἁγνὸν, ἀφ' οὗ σε Φάνητα κικλήσκω
Ἠδὲ Πρίηπον ἄνακτα ———

per mundum
Emicantem ducens lucem, à quo te Phaneta voco
Atque Priapum regem.

Et mox πολύσπορος dicitur, secundum quod Grammatici Πρίηπον contextum volunt quasi ϖροϊέμενον τὸ σπέρμα.

Priapo non absimilis Asiaticorum Baal Peor seu ut 70 Βεελφεγώρ, imo non improbabilis videtur quorundam conjectura *D. sc. Hieronymi* contra *Jovin. l.* 1. *c.*12. & in comment ad *Oseæ cap.* 4. *&* 9. *Isidor. orig. l.* 8. *c.* 11. *Andr. Masii* in *Josua cap.* 13. *com.* 20. *Joh. Gerhardi Vossii de Idol. l.* 2. *c.* 7. *Dionys. Vossii* in notis in *Maimom. de Idol. c.* 3. *S.* 2, *&c.* eundem esse Moabitarum *Baal Peor* qui Priapus. Tum quòd à פְּעוֹר voce parum mutatâ fieri potuit Priapus, præsertim si arrideat *Doctiss. Vossii* conjectura, nempe ut posterior pars in Priapo sit אב *pater*, prior autem sit *Peor*, adeo ut Priapus significet *Peor pater*, quemadmodum Jupiter, Marspiter, *&c.* Tum quòd descendat à voce פָּעַר aperire, denudare, cujus originis licèt ludicram rationem afferant Rabbini, sc. quòd in hujus numinis veneratio-

nem foramen podicis aperirent, & stercora ante conspectum ejus egererent, tamen congruè ab eâdem voce deduci potest, quod (ut alia mittam) ab ipsius simulachri figurâ indicatur, quæ, uti Ruffino traditum est, eadem atque Priapi esse perhibetur, nemini autem non innotuit Priapum viri nudi effigie depingi, quare פעור ritè à פער aperire seu denudare nomen accepit, quia totum corpus cultoribus denudatur. An addendum quod ex *Philone* & *Hieronymo* commissis sibique mutuam lucem allucentibus observavit *Cl. Seldenus* & post illum *Gerb. Vossius*, sc. quòd sicut Priapus pingebatur erecto pene, ejusque orificio aperto, ita conflari potuit *Baal Phegor* ex פי עור *Pi Agor*, ubi פי *os* est seu *orificium* ac עור *pellis* sive *pellis distenta*, adeo ut *Baal Peor* vel *Phegor* sonet Deum, qui habeat summitatem pudendi distentam, quo quid ad Priapum consonantius? Et quamvis sint qui *Peor* sic dictum autument à monte in quo colebatur, tamen verisimilius est montem sic appellari ab Idolo ibidem culto, sc. Idolum istud Peor ἁπλῶς vocitatur uti *Num.* 25. *com.* 18. 31. *com.* 10. *Josua cap.* 22. *comm.* 17. unde porro illius fanum *Beth Peor* nuncupatur: sic *Deuter.* 34. 5, 6. Deus *Mosen* sepulchro ἀγνωστῷ condidisse memoratur *è regione Beth Peor* vel uti 70 ἐγγὺς οἴκου Φογώρ *prope domum i. e.* templum *Phogoris*. Sicut 1 *Sam. cap.* 31. *comm.* 11. *Beth Astaroth* dicitur templum *Astartes*, & 1. *Reg.* 16. *Beth Baal* templum *Beli*. Tum denique quod utriusque cultus spurcissimâ obscœnitate celebrari memoretur. De Priapo nemo non agnoscit; de *Baal Phegor* Narrat *Origenes* Hebræos sibi retulisse Idolum fuisse infimæ fœditatis. Adhæc Israëlitarum, cum ad cultum τῶ *Peor* deflecterent, recensentur stupra & libido perinde ac idololatria, quod quamvis (uti excipit *Cl. Seldenus*) aliàs fiat, ut, cum Salomon Idololatra simul & scortator evasit: tamen, nusquam tantâ cum licentiâ fieri legimus, ac cum huic Numini litaretur: tunc enim effrenatior fuisse videtur Israelitarum Libido, sicut Græcorum in Veneris & Priapi

L. 3. in Hoseam.

Homil. 20. in Num.

sacris

ſacris quàm aliàs; hinc inſuper vindicta divina vehementius irritata eſt, quàm quovis alio ad idololatriam prolapſu; Illico enim ad unum omnes, qui deliquerant, ad capitis ſupplicium poſtulavit, & principum ſynedrium convocari juſſit, ut ſolemniùs & ſeveriùs punirentur; *Num. cap.* 25. *v.* 4. Neque placari voluit niſi Moabitarum omnium ſanguine, & Iſraelitarum quotquot peccaverant, uti proditum eſt *Deuter. cap.* 4. *comm.* 4. *& Num. cap.* 25. Imo *Joſua cap.* 22. *comm.* 17. conqueſti ſunt Iſraelitæ nondum peccatum iſtud expiatum fuiſſe. Hinc inſuper ſæpiùs & aſperiùs illis in S. Codice exprobratur, quàm alia quæcunq; apoſtaſia, ut *Deuter. c.* 4. *com.* 4. *Joſua cap.* 22. *com.* 17. *Pſalm.* 106. *com.* 28. præcipuè verò *Oſea cap.* 9. *com.* 10. cujus commatis verba ſubnotatu apprime digna videntur ad inſtitutum, quod ſub manibus, explicandum. *Ingreſſi ſunt ad* Baal Peor, *& ſeparaverunt ſe pudori*, &c. *Ingreſſi ſunt*, quod verbum in coitu Venereo crebrò uſurpari cuivis obvium eſt ut *Geneſ. cap.* 16. *verſ.* 2. *Ingredere ad Ancillam.* Propterea ita ingreſſi ſunt ad *Peor* ſeu in fanum *Peor* tanquam in *Lupanar*. *Separaverunt ſe* יִנָּזְרוּ à נָזַר quod ſpeciatim ſonat *ſeparare* ſeu *conſecrare ad religioſum uſum*, unde *Nazaræi* dicti, qui abſtinentiam quamvis Deo voverunt; hinc Syriaca verſio habet, *Nazaræos ſe fecerunt ignominiæ*, quaſi Iſraelitæ cum τῷ *Peor* cultum irent, initiati & conſecrati fuiſſent, ut ſacerdotum munere defungerentur. *Pudori* Hebraicè לַבֹּשֶׁת εἰς αἰσχύνην: בשת à radice בוש rubere, pudefieri, & præcipue de rebus Venereis uſurpatur, unde מְבוּשׁ pudendum virile denotat *Deuter. cap.* 25. *com.* 11. His omnibus ſimul perpenſis, facilè ſubnaſcetur ejuſmodi interpretatio; quaſi initiati fuiſſent Iſraelitæ huic Idolo, ut libidini indulgerent, & ut dum hujus ritus exequerentur, ſeſe omni turpitudini & propudio demitterent, tanquam mulierum concederetur copia iis duntaxat, qui hujus Idoli-ſacris operarentur, juxta quod prodidit *B. Hieronymus* in libello de

interpertatione nominum Hebraicorum. *Beel Phegor* (inquit) *Idoli nomen est, quod apud Madianitas præcipuè à mulieribus colebatur.* Grotius igitur in comment, ad locum. *Initiati sunt Sacris pudendis: Nam talia fermè erant* μυστήρια τῦ *Baal Phegor, qualia apud Ægyptios Osyridis, apud Græcos Liberi patris & Cereris.* Saltem hinc paret adeo præ aliis fœdiores fuisse τῦ Peor ritus, ut ipsius turpitudinis aut ignominiæ voce inuri mereantur. Horum elucidationi non alienus est locus Hoseæ cap. 4. comm. 14. *Non visitabo super filias vestras cum fuerint fornicatæ, & super sponsas vestras cum adulteraverint: quoniam ipsi cum meretricibus conversabantur, & cum scortis sacrificarunt.* ubi vocem קדשות, quæ *Meretrices* redditur, accipit *D. Hieronymus* pro meretricibus ἱερείαις fœminis sacerdotibus Priapo mancipatis. Qui ibidem aliquantò supra. *Istiusmodi Idololatria erat in Israel, colentibus maximè fœminis Beel Phegor ob obscæni magnitudinem, quem nos Priapum possumus appellare.* Ita Illustriss. Grotius קדשות *significat sacerdotem fœminam, quæ se vulgabat in honorem Beel Phegor.* Hinc septuaginta interpretibus μετὰ τῶν τετελεσμένων redditur, quasi consecrarentur ad Idoli sacra. & Theodotione μετὰ τῶν κεχωρισμένων ejusdem pene usûs & valoris. Neque quidquam aliud denotare potest קדשות quàm sacerdotissas, quæ ad Numinis cujusdam cultum consecrentur, cum natales debeat *voci* קדש *sanctificare, consecrare*; *iis* tamen ibidem tanquam meretricibus (quales quoque Priapeiæ Sacerdotes) objectatur, quibuscum si sacrificaretur, scortari simul & Idola venerari necesse esset, atque adeo flagitiosæ, turpesq; fuerunt, ut Teste Aben Ezra, קדשה prostibula publica demum significaret. De Solis potentiâ effectrice Satis, descendendum est ad supremum illius imperium, & providentiam tam generalem quàm specialem qua rebus humanis providet.

Pym. c. 5. Solis igitur Majestas & Dominium celebratur imprimis Trismegisto ad mentem Gentilium. Ἥλιος θεὸς μέγιστος τῶν κατ'

ὐρανὸν

οὐρανὸν θεῶν, ᾧ πάντες εἴκουσιν οἱ οὐράνιοι θεοὶ ὥσπερ βασιλεῖ καὶ δυνάστῃ. *Sol Deus maximus eorum, qui in cælo est cui cedunt omnes dii cælites tanquam principi & regi.* Similiter & nonnusquam Menander. Ἥλιε, σὲ γὰρ δεῖ προσκυνεῖν πρῶτον θεῶν *O Sol, nam te Deorum supremum adorare decet* & Hymnis Onomacriti Sol invocatur Κοσμοκράτωρ *mundi rector,* & δεσπότης κόσμου *Dominus Universi.*

Idem aliàs — Δία τὸν πάντων μεδέοντα
οὗτος γὰρ χάλκειον ἐς οὐρανὸν ἐστήρικται
χρυσέῳ ἐνὶ θρόνῳ γαίης δ' ἐπὶ ποσὶ βέβηκε.

——— *Jovem omnium curatorem.*
Is enim æneo in Cælo firmatus est
Aureo in throno, terram vero super pedibus incedit.

Pertinet huc insignis illa Solis invocatio. *Sol Optime, Maxime, qui mediam Cæli possides partem, mens mundi, atque temperies, Dux omnium, princepsque.* Quâ de causâ Ægyptii τὸν βασιλέα καὶ κύριον Ὄσιριν ὀφθαλμῷ καὶ σκήπτρῳ γράφουσιν, *Regem & Dominum Osirim* (non alium à Sole) *oculo & sceptro pictis exprimunt,* isto providentiæ, hoc Dominii symbolum gerente. Solem item *sub nomine Attinis ornat virga, quæ potestatem Solis asserit, qui cuncta moderatur,* teste Macrobio. Quinimo variis Solem ornaverunt titulis, quotquot in se Dominii seu imperii argumentum haberent, è multis perpauca duntaxat stringam. Imprimis igitur Sol apud Assyrios *Bal* seu *Bel i. e.* Dominus dictus: quæ vox Hebræis בַּעַל *Bahal* dicitur, Syris בְּעֵל *Behel,* Chaldæis elisâ gutturali בֵּל *Bel,* unde Græcis Βῆλος; Græculi autem ἔτυμον Hebraicum istius vocis non attingentes, pro solitâ futilitate, natales Græcos commenti sunt: Βῆλος ἀπὸ τοῦ βαίνειν inquiunt Eustath. & Auctor Etymol. magni. Cedrenus porrò Βῆλος διὰ τὸ ὀξυκίνητον τῆς κινήσεως ἐκλήθη, quæ originatio subinnuitur etiam auctore Chronici

Jul. Firm. Maternus astr. l. 1.

Plutarch. de Isid. & Osir.

Satur. l. 1. c. 21.

Serv. 1. Æneid.

Chronici *Alexandrini*, de Jovis ex Junone filio, ὃν ὠνόμασε Βῆλον διὰ ὀξυκίνητον εἶναι τὸν παῖδα; ſed apage audaculas Græculorum nugas! Vocem enim Βῆλος ex Orientalium *Baal* natum eſſe jam diu tonſoribus innotuit. Recoctus eſt Servii

In 1. Æneid. locus. *Aſſyrios conſtat Saturnum* (quem eundem & Solem dicunt) *Junonemq; coluiſſe: quæ numina etiam apud Afros poſtea culta ſunt. Unde & lingua Punica Bal Deus dicitur* (nota Solis cognomen in ipſius Dei nomen ceſſiſſe) *Apud Aſſyrios autem Bel dicitur quadam ſacrorum ratione Saturnus & Sol.* Porro ut בעל quod Dominus ſonat, fermè proprius fuit Soli titulus, ita Apud Orientales aliis inſignior:

Euterpe. Idem enim Baal apud Aſiaticos ac Jupiter apud Europeos, unde *Herod.* Ζῆνα Βῆλον dicit. *Beroſus* Βῆλος ὃν καὶ Δία μεθερμηνεύουσιν. *Heſychius* autem Ζεὺς θαλάσσιος, quippe qui Sidone urbe maritima colebatur: Et quot veterum de rebus Orientis Græcè

De diis Syr. Syntag. 2. c. 1. ſcriptitarunt, Belum plerunque per Ζῆνα aut Δία interpretabantur, quod Adnotavit *Illuſtriſſ. Seldenus.* Affine eſt vocabulum Beelſamen, de quo Philo Biblius Sanchunia-

1. προπαρασκ. c. 7. thonis interpres apud Euſebium. Αὐχμῶν δὲ γενομένων τὰς χεῖρας ὀρέγειν ἐς οὐρανοὺς πρὸς τὸν ἥλιον· τοῦτον γὰρ θεὸν ἐνόμιζον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς δὲ παρ' Ἕλλησι. *Si eveniat ſiccitas, manus in Cælum tendiſſe ad Solem, Hunc enim Deum exiſtimarunt Cæli Dominum, Beelſamen appellantes, qui Phœnicibus Cæli Dominus eſt, Jupiter vero Græcis.* Βεελσαμὴν verò levi mutatione idem quod בעל שמים *Dominus Cælorum*, aut enim facilè *ſamaim* in *ſamen* tranſmutari potuit, aut quod Hebreis *ſchamaim*, id Phœniciâ dialecto *ſamen:* utcunque id ipſum ſonat, quod Jupiter Olympius: non aliter quàm Luna *Jer. cap. 7. com. 44.* dicatur בעלת שמים Βασίλισσα τοῦ οὐρανοῦ *regina Cæli*, ſeu *Juno Olympia.*

Baalem excipiat Moloch, qui & Jerem. 19. 5. Baal dicitur, atque iidem reipſa ſunt, nomenclaturâ duntaxat diverſi, ex utroque autem conflatur tertium nomen Malachbelus. Ammonitis

monitis autem מולך Molech dictus, vel Melech vel Moloch vel Milcom (Idolum enim quod commate quinto *lib.* 1. *c.* 11. *Reg.* dicitur מלכם *Milchom*, septimo dicitur *Molech*) quasi Rex, Imperator, Gubernator, unde 70 Seniores ἄρχοντα *Principem* transferunt, Symmachus βασιλέα, nimirum à radice מלך quod regnare & gubernare sonat. Næ sane adeo affine est hujus idoli nomen, cum eo quod regem denotat, ut nonnunquam in ambiguo sit utrum accipi oportet, sic 1 Paralip. 20. 2. & *David tulit coronam* מלכם *à capite ejus, & pondus ejus talentum auri.* Ubi ambiguum est de coronâ Ammonitici principis an Idoli intelligendum sit, Nec alienum est quòd Porphirius qui & Malchus *i. e. rex* dicebatur. Suidas Πορφύριος κυρίως ὁ καλεῖται βασιλεύς; de quâ re Porphyrius ipse in vitâ Plotini. *Amelius*, inquit, *librum hunc dicavit mihi, meque in ipsâ inscriptione regem nominavit: id enim mihi nomen erat, patria enim lingua appellabar Malchus, quo nomine vocabatur & pater; Malchus autem in Græcam translatus linguam βασιλεύς appellatur.* Facilè enim migrat ex מלך *Melech*, adpositâ Solùm terminatione Latinâ. Deinde Ammonitarum hoc Numen Molech idem ac Phænicum Baal, Sol, aut Saturnus (unum enim idemq; fuisse illa supra indicavimus.) Unde eodem modo Saturni Carthaginiensis statuam depingit Diodorus Siculus, quo Judæi illam Molochi, Easdemque Molocho immolabant hostias, quas Saturno Phænices, nimirum humanas; & utrisque communis

Ille suos Divis mos sacrificare Puellos. Ennius.

Quæ à bene multis abundè ostenduntur ex testimoniis *Philonis Biblii, Platonis, Porphyrii, Ennii, Curtii, Justini, Plutarchi, Tertulliani, Lactantii, aliorum*, à quibus excribendis, utpote quod centies ab aliis factum sit, supersedeo. Judæorum, fateor, plerique loca scripturæ, quibus quidquam de Molochi sacrificiis memoratur, mollius interpretantur

quasi

quasi pueri Solùm inter duas ignis pyras transirent, ut eo ritu Februati purgarentur, quoniam nonnunquam denotatur voce עבר ut Deut. 18. 10. *ne inveniatur in te* מעביר *transire faciens filios & filias per ignem Molocho :* Atqui sane præter quod subnotavit *Grotius* ὁ πυρὶν vocem ambiguam esse, ita ut perinde interfectionem notare possit ac lustrationem, ut apparet *Ezech.* 16. *Com.* 20, 21. ubi pro eodem ponuntur אכול & העביר additurque זבח *immolare* quæ tria in eâdem significatione reperias apud Eundem, *Ezech. cap.* 23. *Comm.* 37, 38, 39. Præter hæc, inquam, apertissimis Scripturæ testimoniis adfirmatur pueros Molocho immolatos & combustos fuisse, ut *Psalm.* 106. 37. זבחו dicitur, & disertissimè, *Jer.* 19. 5. *est* שרף *comburere.* & Jerem. 7. 31. *ædificaverunt excelsa Tophet, quæ est in valle filii Hinnom, ut comburerent filios suos & filias suas igne ; quod non præcepi nec ascendit super cor meum.* Ne jam dicam *Infernum* cruciatuum locum vallis Hinnom nomine appellari, quod signum est homines non Solùm inter duas ignis pyras februationis causâ traduci, (quantillus enim cruciatus inter duos rogos transire ?) sed non sine horrendo cruciatu vivos comburi & immolari. Propterea demiror perspicass. *Vossium* existimavisse Ammonitas Molocho suo liberos sacrificasse Solidè ex Scripturis adstrui nequire, quia Solum legitur 2 *Reg.* 17. 31. *Ii autem, qui erant de Sepharvaim comburebant filios suos igni, Adramelech & Anamelech Diis Sepharvaim : ubi,* inquit, *nihil de Ammonitis sed Assyriis in Samariam traductis.* Cæterùm ex locis supra allatis affatim patefactum est Israelitas revera charissima sua pignora mactavisse, nam quemadmodum loco mox citato memorantur vivicomburia Sepharvæorum, sic & expresse Israelitarum *Jer.* 19. 5. Atqui undenam, quæso te mi Vossi, immanem istum ritum mutuari potuissent nisi ab Ammonitis ? An non cultum, qui Molocho Ammonitarum Deo in *valle Hinnom* præstabatur, ab Ammonitis acceperunt ? Id neminem ad-

De Idol. l. 2. c. 5

dubitare

dubitare regeres: & tamen locis suprà citatis dicuntur Molocho in *valle Hinnom* filios combussisse: Unde verò Molochi cultus nisi ab ejus cultoribus discendus? Tametsi igitur non expressè memoretur Ammonitas liberos sacrificasse, illud fecisse apertum est ex sacrificiis, quæ Israelitæ præstiterunt, quandoquidem hi ab illis ea acceperunt. Neque sanè usquam fuere, à quibus Israelitæ liberos suos immolare ediscerent, nisi Ammonitæ, nulli enim præter Ammonitas in sacro codice memorantur liberos suos quovis pacto Idolis devovisse, Ideoque hic mos à solis Ammonitis profluere potuisset: nam quod ad Incolas de Sepharvaim attinet, *Commate 24 clarè legas* (Vossii verba sunt) *ut Assyria rex ex Babel, Cutha, Emath, & Sepharvaim, colonos traduxerit in Samariam; Israelitis in Assyriam & Mediam traductis.* Quapropter ab iis morem infantes sacrificandi discere non possent Israelitæ: quia ante captivitatem nihil commercii cum iis, utpote longè dissitis, habuere: At apud Israelitas vivicomburia ante eorum captivitatem obtinuisse nimisquam certum est, non modo ex Sacræ historiæ serie, sed ex eo, quòd immanis ista superstitio locis jam ante citatis adferatur, tanquam impietas, quæ exilii & πανωλώσεως mulctam commeruisset. Sed de his nimium, modo subnotari velim Deum Adramelech, cui qui erant de Sepharvaim cōburebant filios suos igni multis videri eundem, qui Melech, seu Moloch, addito titulo potentis אדיר 2 Reg. 17. 31.

Sequitur Mithras. Μίθρας (inquit Hesychius) ὁ ἥλιος ἐν Πέρσαις & crebræ sunt veterum inscriptiones, Deo. Soli. Mithræ. Vide Gruterum inscript. antiq. pag. 34, 35. *Strabo lib.* 15. τιμῶσι τὸν ἥλιον ὃν καλοῦσι μίθρην & docet Scaliger descendere à *Mither* (vocabulo Persico) comparativo gradu, hoc est μείζων & sumitur pro *Dunastâ aut Domino.* De Mithræ cultu & ceremoniis multa passim apud authores jactantur, sed adnoto duntaxat quandam ad Christianorum solennitates & ritus similitudinem referre, unde 6 *De emend. cap. de hebdom. Danielis.*

 Christianis

Christianis objectat *Celsus* quod suos plerosque ritus à Persis mutuati sint; ad eandem rem narrat *Justinus Martyr* Mithræ sacra speciatim Eucharistiæ nostræ ritus æmulari, quod idem de Baptismi mysteriorum imitatione adfert *Tertullianus* de præscriptionibus Hæreticorum.

Orig. adv. Cels. lib. 6.
Apolog. 2.

Adonis denique speciale erat Dei Solisve nomen apud Arabas, sic Ausonius diversa Solis nomina apud diversas nationes recensens

Epigram. 29.

——— *Me vocat*
Arabica gens Adoneum.

Martianus Capella versibus supra allatis

Ammon & arentis Libyes, & Biblus Adonis.

Adonin quoque Ethnicos pro Sole habuisse patet, quòd fabulas de Adone ad Solem accommodarunt, sic Macrob. *Adonin quoque Solem fuisse non dubitabitur, inspectâ religione Assyriorum, Apud quos Veneris Dercitidis, seu Atergatis, seu potius Aphacitidis* (quam emendationem profitetur *Clariss. Seldenus* genuinam esse juramento sese confirmare ausum; sed non tanti res est, ut jusjurandum ferat, & facilè injurato adsentimur) *& Adonis maxima olim veneratio viguit, quam nunc Phœnices tenent, Nam physici terræ superius hemisphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt. inferius vero Hemisphærium terræ, Proserpinam vocaverunt. Ergo apud Assyrios sive Phœnices lugens inducitur Dea: quòd Sol annuo gressu per 12 signorum ordinem pergens, partem quoque Hemisphærii inferioris ingreditur: quia de 12 signis Zodiaci sex superiora, sex inferiora censentur: & cum est in inferioribus, & ideo dies breviores facit, lugere creditur Dea, tanquam Sole, raptu mortis temporalis, amisso, à Proserpinâ retento: quam numen inferioris circuli & Antipodum diximus. Rursumq; Adonin redditum Veneri, credi volunt, cum Sol, evictis sex signis inferioris ordinis, incipit nostri circuli lustrare hemisphærium, cum incremento luminis & dierum. Ab*

Satur. l. 1. c. 25.
De dis Syr. Syntag. 2. c. 3.
Tota hæc Adonis mystagogia innuitur in Orphei hymno ad Adonim.

apro

apro autem tradunt interemtum Adonin, hiemis imaginem in hoc animali fingentes; quod aper hispidus & asper gaudet locis humidis & lutosis pruinaq; contectis Ergo hiems veluti vulnus est Solis; qua & lucem ejus minuit & calorem: quod utrumque animantibus accidit morte: huc usque Macrobius. Quam fabellam alii non multò aliàs interpretantur de Sole & Lunâ, quæ modo Sole, sicut Venus Adone, orbata est, modo Solis radiis tanquam brachiis & amplexibus gaudet, de hâc re plura Lucianus. Quamvis Græculi Adonin ἀπὸ τῆς ἡδονῆς dici volunt, nemo est, quin agnoscat dictum esse à voce אדין (unâ ex divinis nominibus) *δεσπότης dominus*, unde Hesychius Ἄδωνις δεσπότης ἀπὸ Φοινίκων. Nec deniq; nihili est nationes Hebræis conterminas Solem vocibus, quæ dominium indigetant, appellitavisse, Hebræos autem שמש *Shemesh* eum *i. e. ministrum* vocitavisse, etenim à *Shamash* ministrare seu servire nascitur. Hinc fortasse itidem exortus apud Judeos mos Occidentem versus Deum adorandi, ut Ezech. 8. Idololatriæ incusantur, quia terga erant ad templum Domini, & *facies eorum ad Orientem, adorabantque Solem ad Orientem:* Quippe Asiatici qui Solem pro Numine habebant, tũ ad Orientem versi venerabantur; propterea Judei ne Solem colere viderentur, quandiu Deum ritè adorabant, id præstiterunt in oppositam plagam suspicientes. Ut omnes plerunque ritus, qui in se ἀδιάφοροι ab aliorum odio nascuntur; sic Postea Christiani Deum adorabant in Orientem versi, quò longiùs à Judaismo abirent.

De deâ Syriâ.

Alterum inter divina attributa, quod Soli & astris adserebant, providentia erat; etenim fermè omnes in eâ sententiâ hærebant Sidera omnia constituere, aspicere, gubernare, omnibusque interesse non aliter quàm nos Deum interesse credimus. Unde est quod vix aliquos (sic enim subnotavit *Cl. Gassendus*) inter veteres legere est, qui, si Epicurum excipias, non contenderint sidera speciatim esse animata. Ille autem μηδὲ τὸν Ἥλιον ἔμψυχον, μηδὲ τὴν Σελήνην. Neq; Solem neq; Lunam præditos esse animâ

Tom. 1. part. 2. sect. 2. l. 1. c. 5.

 defen-

defenderat: ex quo (uti ibidem vir doctiss.) illa Plutarchi reprehensio est, *quod Solem & Lunam esse Deos negaverit, quibus omnes homines sacra faciant, preces fundant, honores habeant.* Neque multùm absimile est quod Anaxagoram & Epicurum Seneca increpet, quòd *Solem saxum aliquod aut fortuitorum ignium globum, & quidvis potius quàm Deum appellent*: Nec Ethnici duntaxat fuere, qui sidera animâ & mente prædita censerent, sed & Christiani, ut Origenes περὶ ἀρχῶν *l.* 1. *c.* 7. & contra Cellsum *l.* 5. ubi *Εἴπερ καὶ οἱ ἐν οὐρανῷ ἀστέρες ζῶά εἰσι λογικὰ καὶ σπουδαῖα, καὶ ἐφωτίσθησαν τῷ φωτὶ τῆς γνώσεως, ὑπὸ τῆς σοφίας, ἥτις ἐστὶν ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου. *Siquidem etiam Cœlestes stellæ animalia sunt rationalia, virtute prædita, illustrata cognitionis lumine à sapientiâ illâ, quæ est splendor sempiterni luminis*; & mox subjungit stellas preces Deo offerre, gratias agere, hymnos concinere, & aliquid fructûs ex Christi morte expectare. Omnes qui in eadem sententia fuerunt, sive patres, sive scholasticos, sive recentiores alios recensere, cùm non admodum instituto nostro conducat, minimè operæ pretium reputo; præsertim quod omnium sententias dudum corraserint inter cæteros viri eruditi; *Spencerus* in notis in 5 Origenis contra Celsum. *Vossius* de Idol. ortu & progressu. *l.* 2. *c.* 30. *Lipsius* physiol. *Stoic. l.* 2. *c.* 14. Aristotelem autem & antiquiores illius interpretes cœlo stellisque animas intellectuales informantes, (ut aiunt) (quas intelligentias separatas & formas assistentes esse dictitarunt scholastici) tribuisse cuivis indubium est, qui ipsos authores consulat, quod abundè comprobarunt *Insigniss. Vossius de Idol. l.* 2. *c.* 40. *& Clariss. Gassendus Phys. Sect.* 3. *lib*, 9. *c.* 1. atqui nimia industria in re tantuli sudarunt. Neq; Plato secedit Διεῖλε ψυχὰς ἰσαρίθμους τοῖς ἄστροις, ἔνειμέ θ᾽ ἑκάστην, πρὸς ἕκαστον, καὶ ἐμβιβάσας ὡς εἰς ὄχημα, &c. *Astris parem numerum distribuit animarum, singulis singulas adhibens, eisque tanquam vehicula impositis monstravit universi naturam, ac leges fatales edixit.* Unde Ovidianum illud. 1. Metam.

7 De benefic. c. 31.

In Timæo.

Neu

Neu regio foret ulla suis animalibus orba,
Astra tenent Cœleste Solum, Formæq; Deorum.

Neque alienum est, quod de Phœnicum Theologis refert *Julianus*, nempe censuisse ἄχραντον εἶναι ἐνέργειαν αὐτοῦ τοῦ καθαροῦ νοῦ τὴν ἁπανταχοῦ περιϊοῦσαν αὐγήν *Diffusum illum lucis ubiq; splendorem sinceram ipsius esse puræ mentis actionem*; quibus suffragatur Transfuga, si nempe, inquiens, *lumen sit corporis expers, hujus quidem fons corpus esse nequit, sed sincera mentis actio, quæ in propriam sedem, cui media Cœli regio concessa est, illuminando propagatur*. Huc facit Varronis illud apud D. Augustinum. *A summo circuitu Cœli usq; ad circulum Lunæ, æthereas animas esse astra ac stellas, easq; Cœlestes non modo intelligi esse sed etiam videri*. Commune quoq; Stoicorum dogma: sic Zeno τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην, καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων ἕκαστον εἶναι ἔφησεν νοερὸν καὶ φρόνιμον *Solem, Lunam & reliqua astra aiebat intelligentia & prudentia pollere*, atq; apud Clement. Alexandr. Stoici Solem definiunt esse ἄναμμα νοερὸν ἐκ θαλαττίων ὑδάτων *aliquid accensum ex aquis marinis intellectu præditum. Solem igitur*, inquit Macrobius, *Physici* Διόνυσον *dictum esse quasi* Διὸς νοῦν *autumarunt, quia Solem mundi mentem esse dixerunt*. Porro videsis *Eusebium* de præpar. l. 4. *Bodinum* in theatro naturæ, *Ricium* de animâ Cœli. Neque simpliciter dictum est stellas mente præditas esse, sed eo consilio, quòd numina haberentur, ut jam ante è Gassendo innuitur, unde Augustinus. *Dicunt* (Stoici) *omnia sidera partes Jovis esse, & omnia vivere, atque rationales animas habere; & ideo sine controversia Deos esse*. Propterea Orpheus seu Onomacritus Solem salutavit Πυρὸς νοεροῦ βασιλῆα. & Proculus Lycius.

Orat. ad regem Solem.

De civit. Dei l. 7. c. 6.

Stobæus ecclog. Phys. serm. 8.

De civit. Dei l. 7. c. 11.

Κλῦθι πυρὸς νοεροῦ βασιλεῦ χρυσήνιε Τιτάν.

Audi ignis intellectu præditi rex auree Titan.

Quinetiam

Quinetiam Stellis omnibus, imprimis autem Soli rationem multò acriorem innasci volunt, quàm terrigenis æthere crassiore utentibus, multum enim interesse putaverunt ad mentis aciem, quo æthere utamur, propterea cuique, quo erat à terrâ remotius, gradatim puriorem & subtiliorem mentē inesse censuerunt, in æthere igitur supremo omnium puta subtilissimo rationem diviniorem & summam solertiam, ut Stoicus apud Ciceronem. *Sidera æthereum locum obtinent, qui quoniam* 2 De nat. Deor. *tenuissimus est, & semper agitatur & viget: necesse est quod animal in eo gignatur, idem quoque sensu acerrimo & mobilitate celerrimâ esse. Quare cum in æthere astra gignantur, Consentaneum est in iis sensum inesse & intelligentiam.* Rursusque statim colligit. *Probabile est igitur præstantem intelligentiam in sideribus esse, quæ & æthereàm mundi partem incolant, & marinis terrenisque humoribus longo intervallo extenuatis alantur:* multa ibidem vide his similia. Atque ea propter Mercurium ingenii & eloquentiæ præfectum auctoremque ad solem retulerunt quod vide fusè diductum apud Macrobium Saturn. l. 1. c. 19. Hinc Mercurius superus & inferus (uti ibidem Macrobius) quatenus Sol utrumque hemisphærium illustrat, de quo *Claudian:* de R. P.

Atlantis Tegeæ nepos, commune profundis,
Et superis Numen, qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

Unde (quod superius diximus) qui Deum animam mundanam esse arbitrarentur, illius tamen ἡγεμονικὸν seu principatum in cælo, potissimum in Sole collocabant. Cleanthem mundi ἡγεμονικὸν Soli tribuisse testis est Laertius, idem placitum Stoicorum refert Plutarchus. Quocirca Plinius. *Mundi totius Solem esse animum, ac planius mentem, hunc principale naturæ regimen ac numen credere decet opera ejus æstimantem.* Solem igitur Pythagorici nuncupavere Διὸς πύργον *Jovis seu animæ*

In Zenone
de placit. l. 1. c. 7
Lib. 2. nat. hist. c. 6.

animæ universæ turrim, quomodo dici potuit cerebrum respectu hominis; Cælum enim tanquam *Universi caput* habitum est, ut erat Stoicorum dogma. Αὐτὸ δὲ τὸ ἡγεμονικὸν, ὥσπερ ἐν κόσμῳ, κατοικεῖ ἐν τῇ ἡμετέρᾳ σφαιροειδεῖ κεφαλῇ. *Ipsum principale* (sic enim Senecâ vertitur) *sicut & in mundo, habitat in nostro rotundo capite*; & rursus alibi Κατὰ τὸν Πλάτωνα, ἐν τῇ κεφαλῇ τὸ ἱερώτατον συνέστηκε νοῦς *Secundum Platonem mens res divinissima in capite* (mundi, de hoc enim ibi loquitur) *sedem habet*. Apertissimè apud Stobæum τὸν κόσμον φησὶ ζῶον ἔμψυχον, ἔννουν τε, ὅτι ἀφ' ἑαυτοῦ τρέφεται, τὸ δὲ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου ἐν οὐρανῷ τίθεται. *Plato mundum dixit Animal ratione præditum, quod à sese nutriatur, ejus autem principatum in Cælo posuit.* Phurnutus igitur. *Jupiter in Cælo habitare dicitur, quandò hic præcipua est pars animæ mundi.* Idem igitur de Minervâ. *Prognata autem è capite Jovis dicitur, fortassis existimantibus veteribus hic esse præcipuam animæ partem: aut fortè quia homini corporis pars sit caput, mundi autem æther, ubi præstantissima ejus pars fiet, atque sapientiæ causa, deorum vertex.* De Minervâ similia *Diod. Siculus* l. 1. *Macrob.* Saturn. l. 3. c. 4. *Arnob.* l. 3. *August.* 4. de civit. c. 10. Illius vim & solertiam suo more *i. e.* mystico depingit Martianus Capella hisce versiculis.

Plut. de plac. l. 4. c. 21.

Placit. l. 1. c. 6.

Ecclog. phys. l. 1. c. 25.

Lib. 6. nupt. Philolog.

— Rerum sapientia Pallas
Æthereus fomes, mens & solertia fati,
Ingenium mundi, prudentia sacra Tonantis,
Ardor doctificus, nostraque industria sortis,
Quæ facis arbitrium sapientis prævia curæ,
Ac rationis apex divumq; hominumq; sacer νοῦς,
Ultra terga means rapidi ac Splendentis Olympi,
Celsior una Jove flammantis circulus Æthræ.

Quibus utcunq; mysticis apertè satis indicatur sub Minervæ fabula representari Solùm superiorem Ætheris partem. Huc-

Phurnutus.

Hucque facit, quòd Inferior Panis pars hispida sit & hirta, idque ob terræ asperitatem: at superior humana est figura eo quod mundi imperium, quod ratione prorsus constat, æther obtineat. Quibus vel leviter perpensis, nihil mirum videbitur, si ætheri, vel supremæ Dei animæve mundanæ parti providentiæ munera potissimum referant. Propterea animas humanas inde nasci placitum erat Pythagoreorum, Porticûs, Academiæ. Ad quorum mentem Imperator facundus pariter ac sacrilegus Sidera tradit animas hominum σπείρειν εἰς τὴν γῆν. Cicero. *Hisque* (hominibus) *animus datus est ex illis sempiternis ignibus quæ sidera & stellas vocatis, quæ globosæ & rotundæ divinis animatæ mentibus*, in quæ verbi Macrob. *Per sempiternos ignes corpus stellarum, per divinas vero mentes earum Animas manifestâ descriptione significat.* Huc accedit Hecaclitus, qui animam dixit *scintillam stellaris essentiæ*, ut ibidem prodit Macrob. Seneca quoque Hominem divini spiritus esse partē statuit, ac veluti scintillas quasdā *astrorum* in terras desiluisse. Atq; alibi *Animus, si primam ejus originem inspexeris, non est ex terreno gravique concretus corpore, ex illo cælesti spiritu descendit.* Ennius, ut refert Varro *lib.* 4. de *L. L.* de anima humana, *Istic est de Sole sumptus ignis; isque mentis est* (sic antiquitus *mens* dicebatur) Lucretius porro

Julian. orat. ad regem Solem.
In somnio Scip.
In somnium Scip. l. 1. c. 14.
De vitâ beat. c. 32.
Ad Hel. c. 6.
Lib. 1.

——— *Et Solis terra vapore*
Fota novet fatus, summissaque gens animantum
Floreat, & vivant labentes ætheris ignes.

Cæterum quoniam mentes humanas sæpenumero decepi volunt pariter ab omni animæ mundanæ parte ac à Cœlesti, iis hîc non diutius inhærere par est, sed transeundum ad ea, quæ specialiùs *æthereum verticem* attinent. Sol igitur & astra omnium undique imprimis inspectores. Καὶ τὸν πανόπτην κύκλον Ἡλίου καλῶ inquit Poeta, *Et omnia cernentem circulum*

cultum Solis invoco. Cicero de consulatu. Æschil. in Prometh. 1 Divinat.

Principio Æthereo flammatus Jupiter igni
Vertitur, & totum collustrat lumine mundum,
Menteque divinâ cœlum, terrasque petiscit.

τίνδε σὺ γὰρ λεύσσεις τὸν ἀπείριτον αἰθέρα πάντα
Γαῖάν τ' ὀλβιόμοιρον. Hymno Apoll. Orpheus.

Tu vides immensum athera omnem
Terramque opulentam.

Pervulgatum est Homericum illud
Ἠέλιός θ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις.

Quemadmodum Osiris Ægyptiacè (si Siculo Diodoro, Horapollini, Macrobio aliisque fides) πολυόφθαλμος sonat, quippe cujus oculus omnia quaquaversum lustrat. Hinc simulachris Æsculapii (qui vis salubris de substantiâ Solis subveniens animis, corporibusque mortalium) adjungunt Drachonem, quod sit nuncupatus ἀπὸ τοῦ δέρκειν *i. e.* videre, nam ferunt hunc serpentem acie acutissimâ & pervigili naturam sideris hujus imitari, atque ideo ædium, adytorum, oraculorum, thesaurorum custodiam drachonibus assignari. Unde insuper apud Ægyptios accipiter propter visus aciem Dei Osiris aut Solis (unum enim iis & idem numen sunt) symbolum habebatur γράφουσι καὶ ἱέρακι τὸν θεὸν τοῦτον πολλάκις, εὐτονίᾳ γὰρ ὄψεως ὑπερβάλλει, καὶ πτήσεως ὀξύτητι *Accipitre etiam picto hunc deum* (Osiria puta, qui illis omnium supremus) *sæpe repræsentant, avis enim ea pollet acumine visus & volatus celeritate*, An addam quod subjicit ἀμπεχόνην φλογοειδῆ *amiculum flammeum* quo imagines ejus velantur, Solem exprimere. Huc facit Damasceni illud. *Stoici Deum statuunt animum hujus universi, corpus ejus ipsum universum, oculos vero Solem, Lunam, astra.* Manilius quoque

Macrob. Saturn. l. 1. c. 20.

Plut. de Isid. & Osirid.

De hæresibus.

 --- Flam-

—— Flammasque micantes,
Quæ mundi fecere oculos.

Non desunt, qui vocem θεὸς deflexam volunt ἀπὸ τοῦ θεωρεῖσθαι quoniam credebant veteres omnia perspectare λαμπρὸν φάος ἠελίοιο. Quamobrem coram Solari majestate modestè se gerere monebant sapientiores; Inde Pythagoræ interdictum. *Ad Solem versus ne mingas*

Hesiod. opera & dies.

Μηδ' ἀντ' ἠελίοιο τετραμμένος ὀρθὸς ὀμιχεῖν
Neque contra Solem adversus stans meito.

Propterea Magis religioni fuit, corpora contra Solem nudari, ut proditum est *Plinio Nat. hist. l. 28. c. 6.*

Porro quemadmodum sancivit antiquitas Sole cerni omnia, ita quoque ab eodem prævideri omnia & præstitui, & Propterea Apollo divinationi præesse fingebatur. *Apollini tribuitur*, inquit *Vossius* πολυμαθέστατος, *inventum divinationis, quia Sol gentibus supremus Deus, cui Soli convenit futurorum prædictio: unde & ea divinatio vocatur.* Hinc eidem corvos consecrarunt, quia tempestatum præscios & divinatores censuere; hinc itidem ei Laurum sacratam esse voluerunt, quia prædicendi vim significat, sic Prophyrius apud Euseb. Προσέθεσαν αὐτῷ τὴν Δάφνην, ὅτι λάλον καιόμενον, εἰς παράστασιν τοῦ προφητεύειν τὸν θεὸν *Laurum eidem consecrarunt partim quòd dum uritur, vocale sit, eoque futura prædicendi vim huic Deo inesse significet.* Adhæc Janum Bicipitem effingebant, quia Sol præterita & futura prospicit. *Terentianus Maurus.*

De Idololat. l. 2. c. 12.

De præpar. l. 3. c. 11.

Jane pater, Jane tuens, dive biceps, biformis,
O cate rerum sator, ô principium Deorum, &c.

Hæc quomodo Septimius de Sole interpretetur, si scire

operæ

operæ videatur, adeas *Clariss. Vossium de Idololat. l. 2. c. 16.* Hinc insuper ritus futura per fulmina divinandi, quia nimirum Hetrusci crediderunt fulmen, teste Plinio, esse sideris partem, & proinde fatorum conscium, *ergo*, inquit, *ut è flagrante ligno carbo cum crepitu; sic à sidere Cœlestis ignis exspuitur præscita secum adferens, ne abdicatâ sui parte in divinis cessante operibus.* Plura hujusmodi *Vossius* de Idol. l. 3. c. 8. Quinimo inde extitit astrologia divinatrix seu ἀποτελεσματικὴ nempe ab opinione divinitatis astris attributæ, quæ enim Deos esse arbitrati sunt, par erat ut futura præscirent, quæ utique mundi gubernationi providerent. Huc referunt Leæ verba Genes. cap. 30. com. 11. *Peperit itaque Zilpah ancilla Leæ ipsi Jacob filium, & aiit Lea* בגד *bagad*, & Jesaiæ cap. 65. com. 11. *Præparantes* גד *Gad mensam, & implentes* למני *Meni* (Planetis reddunt plerique) *libamen.* Sunt ex Hebræis aliqui (inquit Munsterus) qui גד exponunt pro כוכב צדק *stellâ justitiæ seu Jovis Planetâ*, quem alio nomine vocant מזל תוב *bonam fortunam*, cui, ut benignior esset, singuli in ædibus suis, (referente Cl. Buxtorfio) ערסא דגדא *i. e. lectum bonæ fortunæ* dedicatum habebant. Et refert Kercherus se non semel vidisse in Germaniâ Judæorum ædibus hæc verba superscripta, queis bono Genio domûs custodiam devoverent, & * quoniam in liberorum procreatione salubrem immittat influentiam, inde puellæ desponsatæ traditur annulus, in quo scriptum est מזל תוב. Quo nomine Gad Arabes quoque Jovis Planetam seu כוכב צדק *stellam justitiæ* vocitabant, teste R. David Kimchi. Pleriq; autem Gad non tam sidus faustum esse interpretantur, quàm fortunam, sic בגד quasi בא גד *venit fortuna bona* accipiunt. Sed verò fortunam acceperunt veteres Astrologi pro vi ex siderum virtute & dispensatione natâ; atqui vero sive sidus quodvis, sive vim à siderum positurâ & virtute suspensam intellexerit Lea, pariter agnoscit vim siderum προγνωστικὴν. Liam autem sic locutam esse, nihil mirum videatur,

Nat. hist. l. 2. c. 20.

Oedip. Ægypt. Tom. 1. Synt. 3. cap. 2.

* *Munsterus.*

V. Seldeni marm. arund. pp. 128, 9, 30, 31, &c.

atur, quòd, ut aiit B. Augustinus, *gentilitatis consuetudinem retinebat.* Cui accedens Illustriss. Seldenus *Leam Mulierculam sc. ad astrologorum placita nascenti puero bene ominatam esse, haut ita esse mirum; cum etiam de horis, quas vocant planetarias, sidere genethliaco, & quæ sunt hujusmodi, apud nos etiamnum vetulis verba facere ridicula sit Solenne.* Hinc præterea varia ex astris divinandi instrumenta, cujusmod fuisse Palladium Διοπετὲς statuunt criticorum filii, huc etiam refer vocalem Memnonis statuam, & Chaldæorum Jyngas seu στροφάλους ἑκατικοὺς & Rhombum Magicum, Græcorum στοιχεῖα, Arabum Talisman, seu τελέσματα, ἐμψύχους λίθους lapides vivos (quorum non rara apud veteres Græculos mentio, quosque singulis Diis, ut Soli, Saturno consecratos fuisse scribit Damascius in vitâ Isidori apud Photium) Rabbinorum Davidis scuta, μορφώματα sc. statuas, aut effigies, quæ S. Codice Teraphim appellantur, cujusmodi erant, quas Rachel *Gen. c.* 31. *com.* 9. à Patre Labane suffurata est, ne, inquiunt Rabbini, Laban eas inspiciendo, intelligeret, qua tenderet Jacob, Cæterum divinationis instrumenta fuisse abundè liquet cùm ex multis aliis, tum potissimùm ex Zachariæ cap. 10 comm. 2. *Teraphim locuta sunt vanitatem, & divini viderunt mendacium,* & Ezech. 12 comm. 21. Ubi rex Babilonis divinationem quærens dicitur *Teraphim interrogavisse*; quomodo autem vim suam ex siderum positurâ & influentiis accepisse crediderint Idololatræ, si scire cupias, adi *Seldenum* de Dis Syris Syntagm. 1. *c.* 2. *Scaligeri* Epistol: ad Casaubonum, *Abulensem* in Genes. cap. 31. *Kercheri Oedip. Ægypt.* Tom. 1. Syntag. 4. cap. 3. In usu fuisse apud primævam antiquitatem liquido testatur *Moyses Ægyptius*, memorat enim Zabios, quos primos habet Idololatriæ auctores, eas usurpasse. *Aureas faciebant vetustissimi orientalium Zabii sive Chaldæi, & argenteas effigies; has Lunæ, illas Soli dicabant: & ædificaverunt palatia, & posuerunt in eis imagines, & dixerunt quod splendor potentiarum stellarum*

De dis Syr. 1 Syntagm. c. 1.

More Nevoch. l. 3. *c.* 29.

ſtellarum diffundebatur ſuper illas imagines, & loquebantur cum hominibus, prophetiæ item donum largiebantur, & annunciabant eis utilia. & Mox inter Zabiorum ſcripta recenſet unum & alterum de imaginibus loquentibus. Huc faciunt illa Marſilii Ficini. *Arabes & Ægyptii tantum ſtatuis & imaginibus attribuunt arte aſtronomicâ & magica fabricatis, ut Spiritus ſtellarum in eis includi putent, Spiritus autem Stellarum intelligunt alii quidem mirabiles cæleſtium vires, alii vero dæmonas etiam ſtellæ hujus, illiuſve pediſſequas: Spirtus igitur ſtellarum, qualeſcunque ſint, inſeri ſtatuis & imaginibus arbitrantur, non aliter ac dæmones ſoleant humana nonnunquam corpora occupare, perque illa loqui, moveri, movere, mirabilia perpetrare, ſimilia quædam per imagines facere ſtellarum ſpiritus arbitrantur,*&c. De hujuſmodi quoque ſtatuis futurorum præſciis mentionem faciunt Triſmegiſtus in Aſclepio,& Mor Iſaac Maranita apud Kercherum, vide etiam Auguſtinum de civit. Dei l. 8. c. 23. & Damaſcium in vitâ Iſidori apud Photium. A vi autem ἐνεργητικὴ ab Aquilâ redduntur φωτισμοὶ *illuminationes,* Chaldæo Paraphraſte Jonathane מחוי *indicantes,* à 70 interpretibus δῆλοι *manifeſtationes.* Imo denique ipſa Deorum oracula ex aſtrorum inſpectione petita, uti agnoſcit & probat Porphyrius apud Euſebium. ἃ δοκοῦσι καὶ λέγουσιν οἱ θεοὶ, εἴπερ τὰ εἱμαρμένα γινώσκοντες λέγουσιν, ἀπὸ τῆς τῶν ἄστρων φορᾶς δηλοῦσιν, καὶ τοῦτο σχεδὸν πάντες ἐξέφηναν οἱ ἀψευδεῖς τῶν θεῶν. *Quæcunque ſtatuunt, prænunciantque Dii, ſi quando fortè quæ vi fatorum eventura noverint, pronuncient, eadem ab illis ex aſtrorum motu & converſione prædici, nemo ferè Deorum, quibus veritas placet, non fatetur,* Subditque Apollinis aliorumque confeſſiones in reſponſis. His accedant Κλῆροι ſeu ſortes quatuor, de quibus apud veteres legimus, quarum geminas priores Ἔρωτα καὶ Ἀνάγκην Veneri & Mercurio refert *Vettius Valens Antiochenus,* binas poſteriores τύχην καὶ δαίμονα Lunæ & Soli, cujus verba, quoniam nondum lucem vidit, vide apud *Seldenum* de dîs Syris Syntagm. 1. c. 1.

Lib. de vitâ cæl. produc. c. 20.

Oedip. Ægypt. Tom. 1. Sy t 3. c. 2.

De præpar. l. 6. c. 1.

& in notis *ad marmora Arundelliana* p. 129. & Tantundem apud Macrobium *Ægyptii protendunt deos præstites nascenti quatuor adesse memorantes*, δαίμονα, τύχην, ἔρωτα, ἀνάγκην: *& duos priores solem ac Lunam intelligi volunt, quòd Sol auctor Spiritus caloris, ac Luminis, humanæ vitæ genitor, & custos est; & ideo nascentis dæmon*, i.e. *Deus creditur: Luna* τύχη; *quia corporum præsul est, quæ fortuitorum varietate jactantur*, &c. Sola igitur sidera pro suâ quæque dignitate fortunæ fatique dispensatores habebant, Orpheus ad astra

Saturn. l. 1. c. 19. V. Mirand. Adv. Astrol. 6. c. 18. Et Kereber. Tom. 1 Oedip. Ægypt. Synt. 4. c. 8.

Θνητῶν ἀνθρώπων θείαν διέποντες ἀτερπὶν

Mortalium hominum divinam administrantia viam

Hinc gratias Soli pro imperatoriâ dignitate rependit Imperator Apostata ἐκ ἀτιμάζω δὲ ταύτην, ἧς ἠξιώθην, αὐτὸς παρὰ τῦ θεῦ τύδε, μεῖζον ὂν τῷ κρατῦντι, καὶ βασιλεύοντι τῆς γῆς γένει τοῖς κατ' ἐμαυτὸν χρόνοις γενόμενος *Sed nec illam, quam ejusdem Numinis* (solis) *beneficio adeptus sum, sortem conditionemque parvi facio; quod ex eo genere, penes quod terrarum dominatus atque imperium est, temporibus nostris ortum acceperim. Homines*, inquit Augustinus, *quando fatum audiunt, usitatâ loquendi consuetudine, non intelligunt nisi vim positionis siderum.* Ad quem locum Lud. Vives *In sideribus esse fata Plato, Stoici, & cæteri prope Philosophi existimarunt, Chaldæos ac Ægyptios secuti, quibus omnis Mathematicorum manus suffragata est. Parcæ quoque* (uti Nobiliss. Herbertus) *mysticè eam Cæli virtutem significant, unde fatum sive permanens rerum ordo provenit.* Opinio denique erat de siderum divinitate & providentiâ, quæ astrologiæ occasionem dederit, De quâ re insignis est apud Philonem locus. χαλδαῖοι τῶν ἄλλων ἀνθρώπων ἐκπεπονηκέναι διαφερόντως δοκῦσιν ἀστρονομίαν, καὶ γενεθλιακὴν, τὰ ἐπίγεια τοῖς μετεώροις, καὶ τὰ ὐράνια τοῖς ἐπὶ γῆς ἁρμοζόμενοι, &c.
" Chaldæi præ ceteris nationibus elaborasse videntur artem
" astronomicam & genethliacam, terrena sublimibus, &
" cœlestia

Orat. ad regem Solem

De Civit. l. 5. c. 1.

De relig. gentil. c. 59.

Lib. de migrat. Abrahami.

"cœleſtia coaptando terreſtribus, tanquam ratione muſicæ
"oſtendentes rerum concentum pulcherrimum per iſtos Uni-
"verſi partium affectus mutuos, disjunctarum quidem locis,
"ſed cognitione non item. Hi ſuſpicati ſunt mundum, quem
"videmus, aut ipſum eſſe Deum Solùm, aut eam, quæ
"inſit univerſalem animam; quam ubi ſub nomine fati &
"neceſſitatis, conſecrarunt, ſummâ impietate repleverunt
"vitam humanam perſuaſam quòd præter hæc, quæ viden-
"tur, nulla ſit rerum cauſa alia: ſed Solis, Lunæ ſtellarumq;
"curſus tam bona, quàm mala diſpenſent ſingulis. Refert deinde Maimon: de Zabeis (quos Meſopotamiam habitaſſe conjectatur *Salmaſius*, *Scaliger* Orientaliorem Chaldeæ plagam, quidni utriuſque potius regionis incolæ, quos utique tradit Maimon: *totum impleviſſe orbem*) quòd ſtatuerint nullum eſſe Deum præter ſtellas, & ex iis Solem eſſe Deum magnum, ſtellas Deos minorum gentium. Et De iiſdem mox ſubdit fuiſſe מכשפים *Aſtrologos*. Unde Vettius Valens Antiochenus fratrem & cæteros omnes libro ſuo apotelesmatico initiandos adjuraturus, juramenti formulam ſic exorſus eſt; Ὁρκίζω σε, ἀδελφὲ μου τιμιώτατε καὶ τοὺς μυσταγωγοὺς μου ταύτῃ τῇ συντάξει, οὐρανὸν μὲν ἀστέρικτον κύτος καὶ ☉ διοργανικάζοντα τὸ καὶ ☽ καὶ τοὺς ε πλανήτας ἀστέρας δι' ὧν ὁ πᾶς βίος ἡνιοχεῖται, αὐτήν τε τὴν Πρόνοιαν καὶ Ἱερὰν Ἀνάγκην, &c. Aſtipulatur Diod. Sic. *Chaldai*, inquit, *primum Soli locum tribuunt, ei proximum Planetis, his accedunt dii principes duodecim, & omnibus deinceps ſubſtituunt triginta* βουλαίους θεοὺς *Deos conſiliarios:* & Congruenter Plutarchus Χαλδαῖοι δὲ τῶν Πλανητῶν τοὺς θεοὺς γενέσθαι, οὓς καλοῦσι, δύο μὲν ἀγαθουργοὺς, δύο δὲ κακοποιοὺς, μέσους δὲ τοὺς τρεῖς ἀποφαίνουσι καὶ κοινοὺς *Chaldei Planetas Deos faciunt; quorum duos beneficos, totidem maleficos, reliquos tres medios definiunt & promiſcuos.* In Ægypto deinceps Aſtrologos primùm delubra Diis *i. e.* aſtris conſecraſſe author eſt Herodotus. Et pariter de Ægyptiis refert Porphyrius in epiſtolâ ad Anebonem Ægyptium apud Euſebium. *Quod in noſtrâ poteſtate eſt ac voluntate*

More Nevoch. Part. 3. c. 29.

Proſtat apud Selden. marm. Arund. Pag. 15. 1.

Biblioth. l. 2.

Lib. de Iſid. & Oſir.

Lib. 2.

Præpar. evang. l. 3. c. 4.

tate situm, ex siderum motu suspensum esse voluerunt, cuncta necessitate, quod ipsi fatum appellant, sic tanquam inexplicabilibus quibusdam vinculis nescio quo pacto constringentes, eademque rursus ad Deorum istorum vim ac numen alligantes. Itaque non alios sive in templis sive in simulachris, sive in aliis ejusmodi, quàm qui fati leges solvunt, venerantur i.e. Sola astra colunt. Quibus paulo post subdit Eusebius quòd Solis Astris rerum universarum causam assignarunt, ex fati necessitate, siderumq; motu & agitatione cuncta suspendentes, quæ quidem opinio apud illos hodieq; vim retinet suam. Hi etiam astris suum cuiq; ordinem & dignitatem assignarunt, ut compluribus adnotatum est ex veteri scholiaste in *Argonaut: Apollonii* Ægyptiis suprema Numina fuisse Solem & Lunam, quibus accesserunt δορυφορούμενα pro θεοῖς βουλαίοις Diis consiliariis, quibus addebant reliquos Planetas tanquam ῥαβδοφόρους *lictores*. Ut sanè Chaldeis & Ægyptiis nulla gens Mortalium religiosiùs siderum cultui dedita, ita addictior nulla astrologiæ studio, & profecto ubique quo quisque religiosior, eò vehementiùs astrologiæ devotus, unde esse potuit, quòd Apollonius Tyaneus & Porphyrius acerrimi Ethnicæ superstitionis propugnatores libros astrologicos condiderint, ille quatuor quibus titulum fecit περὶ μαντείας ἀστέρων, ut author est Philostratus in ejus vita *l*. 3. *c*. 13. Alter εἰσαγωγὴν εἰς τὴν ἀποτελεσματικὴν τοῦ Πτολεμαίου libellum scripsit, qui hactenus superest. Epicurus è contra qui astris divinitatem abrogabat, ματαίαν ἀστρολογίαν *astrologiam inanem* subinde habuit. Ptolemæus vicissim Tetrabibl. *l*. 2. (si tamen genuinus sit operis ejusdem auctor) atheismi insimulat, quotquot Astrologiam repudiant, quia eo pacto potissimum ethnicæ fidei articulum abdicabant, cultum nimirum & divinitatem siderum, cui sc. innixa est astrologiæ ratio. Quà fortè de causâ adeo vehementer Deus in S. Codice astrologiæ studium vetuit. Et nescio sanè an hinc erat, quòd astrologi plerunque religionum ortus & interitus à siderum positione provenire statuerent; quorum nempe potissimùm

interesse

interesse credebant, ea par esse arbitrabantur religionis negotiis procurare. Nota est *Albumasaris* impudentia, qui definiit ex Jovis & Mercurii conjunctione originem duxisse Christianismum (ut religiones alias ex aliis siderum constitutionibus) & superfuturum non amplius mille quadringentis & sexaginta annis, quod tempus, vigente adhuc Christianismo, duobus fere abhinc seculis expiravit.

CAP. II.

Prisci Philosophi Animam Mundi esse supremum Numen Censuerunt.

HActenus de antiquore; ut videtur, Gentilium Theologiâ: Solis enim cultum potissimùm, antequam vigere inceperit Philosophia, ubique obtinuisse nullus dubito; erat enim simplicior, & barbaris omnisque politioris disciplinæ expertibus accommodatior; & hinc fortè est, quòd Americanorum (quos cumprimis Barbaros fuisse pernotum est) religio primæ & rudiori veterum, sive Græcorum, sive Asiaticorum Idololatriæ undiquaque similis esse videatur: Ut facilè si quis ad invicem composuerit, percipiet. Jam autem sequitur, ut de recentiore Theologiâ, quam *Philosophi* potissimum invexisse videntur, dicamus; scilicet de Divinitate quam *Mundo, Animave Mundana* tribuerunt. Hanc quoque si descripserint, aut quicquam de eâ prædicaverint prisci, perperam tanquam de vero Numine dictum arripiunt recentiores; cum nihil tale somniarunt veteres, sed solummodò ad spiritum quendam, quem creatum esse planè novimus, respexerunt. Quippe autumarunt spiritum Æthereum, sive tenuiorem quandam materiam per Universi hujus ambitum,

Vide Acostam lib. 5. & Kircher. Oedip. Ægypt. Tom. 1. Synt. 5. c. 5.

singulasque illius partes diffundi, atque mundum non aliter animare, fovere, & regere, quam anima animalis cujusque corpus. Hanc substantiam tanquam unicum & supremum omnium Numen, mundi Architectricem, ubique & omnibus intimè præsentem, totius orbis moderatricem, omniumque in eo causam & Parentem celebrarunt. Sic è Varrone refert

De civit. Dei l. 7. c. 6.

Augustinus *Deum se arbitrari animam mundi, & hunc ipsum mundum esse Deum: sed sicut hominem sapientem cum sit ex animo & corpore, tamen ab animo dicimus sapientem, ita mundum Deum dici ab animo, cum sit ex animo & corpore.* Et

Eclog. physs. l. 1. c. 1.

disertim testatur Stobæus Diogenem, Cleanthem, Oenopidem, Polemonem *Mundi animam* Deum esse statuisse: Posidonium & Zenonem Stoicum *igneam mundi mentem*: & Mnesarchum *Deum mundum esse, cujus prima consistat in spiritu natura.* Et similiter narrant *Aristot.* Metaph. l. 1. c. 5. *Plato* in sophistâ *Cicero* 4. Academ. Melissum, eumq; secutum Xenophanem *Universum pro Deo habuisse.* Sic Thales,

Ecl. physs. l. 1. c. 1, in Legat.

testibus *Stobæo* & *Athenagorâ* Deum definiit τὸν νοῦν τοῦ κόσμου *mentem mundi.* Accedit *Plinius* qui librum secundum hist. Nat. sic exorsus est, *Mundum & hoc quod nomine alio Cœlum appellare libuit, cujus circumflexu teguntur omnia, Numen esse credi par est æternum, immensum, neque genitum, neque interiturum unquam. Sacer est, æternus, immensus, totus in toto, imò vero ipse totum, finitus, & infinito similis, omnium rerum certus, & similis incerto, extra, intra, cuncta complexus in se idemque rerum naturæ opus, & rerum ipsa natura.* Unde & *Seneca* de Deo argutè, *solus est omnia*: ut & *Pindarus*

1 Nat. quæst. præfat.

τί Θεός; ὅ, τι τὸ Πᾶν. *Quid Deus? Universum.* Et rursum Θεὸς τὸ Πᾶν, καὶ πάντας τεύχων βροτούς. *Deus omnia est, & omnes mortales creat.* Neque aliter *Trismegistus* Πάντα γὰρ ἅ ἐστι, καὶ

Pymand. c. 5.

οὗτος ἐστι Θεός *Omnia quæ sunt, & iste est Deus.* Quibus accedunt Pythagoræ verba, quæ tanti æstimant *Clemens Alexandr. in protrep. Cyrillus adversus Julianum, Steuchus Eugubinus de perenn. Philos. l. 3. c. 3.* tanquam de ipso Deo

Opt.

Opt. Max. dicta. ὁ μὲν Θεὸς εἷς, αὐτὸς δὲ οὐχ ὥς τινες ὑπονοοῦσιν, ἐκτὸς τᾶς διακοσμήσιος, ἀλλ' ἐν αὐτῇ ὅλος ἐν ὅλῳ, πάντα κύκλον ἐπίσκοπος πάσας γενέσιος· κρᾶσις τῶν ὅλων αἰώνων, καὶ φωστὴρ τᾶν αὐτῶ δυνάμεων καὶ ἔργων, ἀρχὰ πάντων, ἐν οὐρανῷ φωστὴρ, καὶ πάντων πατὴρ, νοῦς καὶ ψύχωσις τῶν ὅλων, πάντων κίνησις. *Deus quidem unus est, & is quidem non, ut nonnulli suspicantur, extra mundum, sed in ipso est totus in toto, omnium circumquaq; generationum inspector & arbiter, est temperies omnium seculorum, opifex seu lumen suarum facultatum & operum. In Cœlo Lumen, omnium pater, Mens & Animatio Universi, omnium motus.* Pythagorica sanè spiritûs mundani descriptio, ad cujus explicationem mirum quòd *Eugubinus*, qui eam Deo affingit, afferat Ciceronianum illud, *Pythagoras, qui censuit animum esse per naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo animi nostri carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi ac dilacerari Deum.* Quid apertius quàm Mundi animum hîc à Pythagorâ Deum haberi? Si itaque verba ista de Deo Opt. Max. interpretentur, quid ad Pythagoræ mentem? Si vicissim ad Pythagoræ mentem, quid ad ipsum Deum? Quâ in re Pythagoras cum Ægyptiis, (à quibus Philosophiam suam eum accepisse communis est omnium doctorum opinio) consentit, isti enim Deum arbitrabantur τὸ διὰ πάντων χωροῦν πνεῦμα *esse spiritum cuncta pervadentem.* Quâ de causâ Ægyptii cultu Divino bruta animalia exceperunt, quoniam nimirum Numen διὰ πάντων διήλθεν τῶν ζώων omnia animalia subire statuerant, uti prodidit & latè disseruit *Porphyrius*, quem adeas. Quin & *Chrysippus* accerrimus Zenonis sectator mundum Deum dicit esse, & ejus animi fusionem Universam; & Manilius

Eusib. præpar. l. 3. c. 28.

De abstin. l. 4.
Cic. de Nat. Deor. l. 1.
Astron. l. 1.

Qua pateat mundum Divino Numine verti,
Atque ipsum esse Deum ———

Accedit illud Aristotelis ἐν τῷ ὅλῳ τινες αὐτὴν μεμίχθαι φασίν· ὅθεν

 ἴσως

De animâ l. 1. c. 5. ἴσως καὶ Θαλῆ ᾠήθη πάντα πλήρη Θεῶν εἶ). *In toto quidam mistam ipsam* [animam mundanam] *esse dicunt, unde fortè Thales opinatus est omnia esse plena Diis.*

Quin & Orpheus hymno ad Panem (quo mundum indigetat)

Πᾶνα καλῶ κρατερὸν, κόσμοιο τὸ σύμπαν
Οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἠδὲ χθόνα παμβασίλειαν,
Καὶ πῦρ ἀθάνατον· τὰ δὲ γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ Πανός.

Pana voco fortem, mundi integrum
Cœlum & mare & terram omnium reginam,
Et Ignem immortalem, illa enim membra sunt Panis.

Et pariter alii fere omnes, ut luculentius sequentibus patefiet. Et hinc quidem esse potuit, id quod Lilius Giraldus observat, [De diis gent. Syntag. 1.] Patres plerunque per modum negandi Deum definiisse, ut nulla dicant mundi opera Deum esse, hoc est neque cœlum, neque æthera, neque Solem, neque Lunam, neque stellarum fulgores, neque elementa, neque Universum denique, & quæ in eo sunt, *Deum esse*. Ut D. Augustinus. [In Psalm. 85.] *Terram cogitas? Non est hoc Deus. Mare cogitas? Non est hoc Deus. Omnia, quæ sunt in mari, quæ volant per aerem? Non est hoc Deus. Quicquid lucet in cœlo stella, Sol, & Luna? Non est hoc Deus,* & quæ deinceps. Sic inquam negativè Deum definire vellent, ut Philosophis contravenirent, qui divinitatem istis omnibus inesse statuerant.

Obiter notandum est illis *Deum* nonnunquã *Naturæ* nomine designari. [4 De benef. c. 7.] Ut Seneca *Quid aliud est natura quàm Deus, & divina ratio toti mundo & partibus ejus inserta.* Et mox *Nihil Natura sine Deo est, nec Deus sine Naturâ, sed idem est uterque* [Quæst. nat. c. 45] & alibi statuit *nihil referre mundum Deum appelles an naturam.* [Lib. 2. c. 9.] Quamvis autem Senecam laudat Lactantius, quod Naturam Deum esse definierit, *Melius igitur* (*inquiens*) *Stoicorum omnium acutissimus Seneca, qui vidit nihil aliud Naturam esse*

quàm

quàm Deum: tamen potius reprehendendus videtur, non enim Naturam ad Deum *sustulit*, sed Deum ad Naturam *deduxit*, & Naturam, quæ Dei opus est, Dei nomine & titulis insignivit, ut ipse alibi innuit, cum docet *Mundum à Stoicis Naturam vocari:* & quidem veteres Naturæ nomine nihil ultra res creatas, sed mundi seriem & dispositionem intellexisse magis notum est, quàm ut probationem desideret, Unde eam Græci *sympathiam*, teste Cicerone, nuncuparunt. De Nat. deor. lib. 3.
Natura est igitur (rursus Tullianam vocem agnosce) *qua* De Nat. deor.
continet mundum omnem, eumque tuetur, atque ea quidem non Lib. 2.
sine sensu ac ratione. Et rursum de Stratone Theophrasti Lib. 1.
auditore, eo, qui physicus appellatur refert, quòd *omnem vim Divinam in Naturá sitam esse censuerit,* Et eandem herclè Dei ac Naturæ definitionem afferunt Stoici. Ut Laertius in Zenone δοκεῖ δὲ αὐτοῖς τὴν μὲν φύσιν εἶναι πῦρ τεχνικὸν, ὁδῷ βαδίζον εἰς γένεσιν. ὅπερ ἐστὶ πνεῦμα πυροειδὲς καὶ τεχνοειδές *Censent ipsi Naturam esse ignem artificialem* (quem pro unico numine habuerunt) *viâ progredientem ad generationem; qui est spiritus ignis & artis similitudinem præ se ferens.* At apud Plutarchum eâdem fere definitione Deum describunt nempe τὸ πῦρ τεχνικὸν ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου, ἐμπεριειληφὸς πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους καθ' οὓς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίνεται *Esse ignem artificiosum viâ progredientem in generatione mundi, continentem intra se omnes seminales rationes, juxta quas singula fato deinde fiunt.* Verum de Stoicorum mente in
hac materiâ, perspicuus & insignis est Lactantii locus. *Stoici* Lib. 7 c. 1.
Naturam in duas dividunt partes; unam, quæ efficiat; alteram, quæ se ad faciendum tractabilem præstet. In illâ primâ esse vim faciendi; in hâc materiam, nec alterum sine altero esse posse. Ita isti uno Naturæ nomine res diversissimas comprehenderunt, Deum & mundum, Artificem & opus, dicuntque alterum sine altero nihil posse tanquam Natura sit Deus mundo permistus. Nam interdum sic confundunt ut sit

Deus

Deus ipsa mens mundi, & mundus sit corpus Dei: quasi vero simul esse ceperint mundus & Deus.

Sed ut ista mittamus, illud insuper notandum est, cum Poetæ fabulis & commentis suis omnem theologiam temeraverant, philosophos subsequentium seculorum, quoniam à religione quæ inter plebem obtinuerat, (quam quidem prorsus ineptam & futilem esse non possent non reputare) abire præ legum & plebis timore non sustinerent, ut sua placita stabilirent, & plebis portenta simul impunè abdicarent, omnem quam induxerant Poetæ theologiam ad res physicas accommodavisse, & spiritui per omnes totius mundi artus pervadenti varia Numinum suorum nomina tribuisse, prout symbolicam quamvis cum iis virtutem comminisci possent. Sic quatenus mare subibat, Neptunum appellabant, quatenus aerem, Junonem; quatenus in Terræ visceribus delitescit, Dæmogorgonem dixere; quatenus deinceps terræ superficie habitat, Gorgonem, unde fortè fabula de Gorgonis capite omnia, quæ id aspexerant, in saxa vertente, quoniam saxa juxta Terræ superficiem concrescunt: & quemadmodum varias naturæ partes, ita & varia munia Deorum nominibus insignivere; Vim & appetitum procreandi Venerem appellitantes; eamq; quatenus in mari Salaciam, quatenus in terrâ Cererem & Proserpinam, &c. quod dico non quasi in hisce sibi semper constantes forent, immensùm enim ab invicem abibant, etenim (uti Augustinus) *aliquando unum Deum res plures; aliquando unam rem Deos plures faciunt*; Junonem modo terram modo aerem esse statuentes; Vestam item modo terram, modo ignem, &c. & vicissim Magnam matrem, Vestam, Rheam, Opem, Pandoram, Berecinthiam, Cybelen, Junonem, Cererem ad Terram reduxerunt, ut & de Osyre refert Philo Biblius. τὸν δ' Ὄσιριν, τοὺς μὲν Σαράπιν τοὺς δὲ Διόνυσον, τοὺς δὲ Πλούτωνα, τοὺς δὲ Ἄμμωνα, τοὺς δὲ Δία, ἑτέρους δὲ Πᾶνα νομίζειν. *Osyrin nonnullis Sarapin, aliis Dionysum, his Plutonem, illis Ammonem, quibusdam Jovem, aliquibus Panem esse.*

De Nat. deor.

De Nat. deor.

esse. Aliaque hujusmodi infinita Ethnicis passim exprobrant primævi ecclesiæ patres; verum ut ut in specialibus reductionibus ab invicem abierunt, tamen in Numinum reductione ad res naturales omnes consensisse pernotum est, quod & de priscis Ægyptiorum Theologis refert Porphyrius, Πάντας τοὺς ἱερατικοὺς μύθους εἰς τὰ φυσικὰ, καὶ οὐδὲν εἰς ἀσωμάτους καὶ ζώσας οὐσίας ἑρμηνεύοντες *quicquid sacrarum fabularum erat in res naturales, nihil in incorporeas viventesque naturas, ipsarum interpretatione conferentes*. Cum autem cæteros Deos mundi partibus affinxerint, totum mundum Jovis nomine adornarunt, & ad eum tanquam unicum & supremum Numen reliquos omnes Deunculos tanquam illius partes reduxerunt, ut apud B. Augustinum] *volunt omnes Deos Deasq; esse unum Jovem: sive sint ut quidam volunt partes ejus, sive virtutes ejus, ut iis videtur, quibus eum placet esse mundi animum, quæ sententia velut magnorum, multorumq; doctorum est*. Nec multò secùs, *Omnes selectos Deos hunc esse mundum volunt, in quibusdam Universum, in quibusdam partes ejus: Universum, sicut Jovem: partes ejus, ut genium, ut matrem magnam, ut Solem & Lunam, vel potius Apollinem & Dianam*, &c. Uti & Stobæus Ζεὺς μὲν ὁ πᾶς κόσμος, ζῶον ἐκ ζώων, καὶ θεὸς ἐκ θεῶν *Jupiter quidem totus mundus est, animal ex animalibus, Numen ex Numinibus compositum*. Unde Martianus (ut & observat Chartarius) lib. 1. de nupt. Philol. ita in senatu Deorum Jovem effinxit; *In capite flammantem coronam habebat, & super eâ velamen rutilum Minervæ manibus confectum; vesti admodum candidæ obduxerat hyalinos amictus crebris quibusdam stellis interstinctos; manu dextera duos orbes porrigebat, aureum alterum, ex electro alterum; læva* ἀντίφθογγον *chelin innitenti similis premebat; calceos autem smaragdinea flucta viriditati herbosos vestigiis ejus Tellus attexuerat*. Quibus suo more præcipuas Universi partes expressisse videtur. Expresse autem Phurnutus *Quemadmodum nos animâ gubernamur, sic & Mundus animam habet, quæ undicet*

Euseb præpar. l. 3. c. 4.

De civit. Dei l. 4. c. 11.

Lib. 7 16.

Eccl. phys. l. 1. c. 1.

De Deor. imag.

dicet

dicet illum ab interitu; & hac vocatur Jupiter; sed dictus est Jupiter imperare omnibus aut quia servet, ac vitæ causa sit animantibus: aut quia in nos tanquam anima & natura imperium obtineat. Uti & Æschylus

Ζεὺς ἐστὶν αἰθὴρ, Ζεὺς δὲ γῆ, Ζεὺς δ' οὐρανός
Ζεὺς τοι τὰ πάντα, χ' ὅ τι τῶν δ' ὑπέρτερον.

Jupiter æther, terra, atque Cœlum est,
Et omnia Jupiter, & si quid his superius.

Euripides

Ὁρᾷς τὸν ὑψοῦ τόνδ' ἄπειρον αἰθέρα,
Καὶ γῆν πέριξ ἔχονθ' ὑγραῖς ἐν ἀγκάλαις;
Τοῦτον νόμιζε Ζῆνα, τόνδ' ἡγοῦ Θεόν.

Vides profundum hunc finis expertem Æthera,
Qui terram omnem liquidis tenet complexibus?
Puta Jovem hunc, eumque credito Deum.

Mirum equidem est poetas istos toties citari, tanquam verum & ipsum æternum Numen agnoscerent, cum adeo manifestum sit eos de Solo Universi circumplexu cecinisse. En autem ut præclare mentem expresserit Seneca. *Non Jovem,* inquit, *qualem in Capitolio colimus, fulmina mittere, sed custodem, rectoremq; Universi, animum ac spiritum mundani hujus operis dominum & Artificem, cui nomen omne convenit. Vis illum fatum vocare, non errabis; hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere? rectè dices, est enim cujus consilio huic mundo providetur, ut inconcussus eat, & actus suos explicet. Vis illum Naturam vocare? Non peccabis, est enim ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum quid, totus suis partibus inditus & se sustinens vi suâ:* Etiamsi de animo Universi disertim hic locutus fuerit

Nat. quæst. l. 2. c. 45.

Seneca,

Seneca, tamen quoties quasi verum & ipsissimum Deum celebraverat, laudatur! Et sanè quicquid Veteres Sophi de Jove prædicaverint, quam fidenter hodiè tanquam Deo *Opt. Max.* adscriptum accipitur; quanquam tam perspicuum sit, quam quòd maximè, eos semper ad animum mundi, seu pertenuem substantiam per Universi ambitum fusam respexisse.

Hinc scilicet Dei unitatem celebrarunt. Ut Seneca *Totum hoc quo continemur & unum est, & Deus.* Idcirco Deus unus est, quia unus mundus, unde Ἓν τὸ πᾶν *sapientum Principes prodiderunt,* inquit Macrobius. Quemadmodum Thales, Pythagoras, Empedocles, Ecphantus, Parmenides, Melissus, Heraclitus Anaxagoras, Zeno unicum mundum & subinde unicum Deum simul posuere. Hinc reliquos omnes Deos ad Unicum Jovem tanquam totidem illius nomina referre priscis solenne est. Sic Stoici apud Laertium censuerunt Ἕν τε εἶναι θεὸν, καὶ νοῦν, καὶ εἱμαρμένην, καὶ Δία, πολλαῖς τε ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι *Unum quid esse Deum; sed tamen mentem & fatum & Jovem aliisq; pluribus nomenclaturis solere efferri.* Hinc Orpheus

Epist. 92.

Satur. l. 1. c. 17. Stob. ecl. phys. c. 2. & 5.

In Zenone.

Ἑρμῆς δ' ἑρμηνεὺς τῶν πάντων Ἄγγελός ἐστι,
Νύμφαι ὕδωρ, πῦρ Ἥφαιστος, σῖτος Δημήτηρ
Ἠδὲ θάλασσα Ποσειδάων μέγας, ἠδ' Ἐνοσίχθων.

In Nimph. Cratere.

Mercurius vero interpres omnibus nuncius est,
Nymphæ aqua, ignis Vulcanus, panis Ceres,
Mare ingens Neptunus terram concutiens,

& compluribus aliis Deorum enumeratis demum concludit

Ἓν τάδε πάντα *Unum vero hæc omnia.*

Quin & Hermesionax

Πλούτων, Περσεφόνη, Δημήτηρ, Κύπρις, Ἔρωτες,
Τρίτωνες, Νηρεὺς, Τηθὺς, καὶ Κυανοχαίτης,

Ἑρμῆς θ', Ἥφαιστός τε κλυτὸς, Πὰν, Ζεύς τε καὶ Ἥρη,
Ἄρτεμις, ἠδ' ἑκάεργος Ἀπόλλων, εἷς Θεός ἐστι.

Pluto, Proserpina, Ceres, Venus, Amor
Tritones, Nereus, Thetys & Neptunus,
Mercuriusque, Vulcanusque inclytus, Pan, Jupiter, Juno,
Minerva & procul jaculans Apollo, Unus Deus est.

Et ex Sorano decantatum illud,

Jupiter omnipotens, regum rex ipse, Deusq;
Progenitor, Genitrixque Deûm, Deus unus, & omnes.

Hinc quidem Opinantur viri docti Ethnicos, saltē ex iis sapientiores τὴν μοναρχίαν σέβεσθαι, atque unicum verum & supremum Numen agnovisse, quod inter alios fusiùs comprobare satagunt *Cl. Seldenus* de Dîs Syris proleg. c. 3. *Doctiss. Vossius* de ortu & progressu Idololatriæ l. 1. c. 2. Nec non *F. Raymundus Breganius*, de Theol. Gent. enarrat. 3. capp. 16, 17, 18. Et deniq; Nobiliss. *Herbertus*, qui integrum librum super hac re adornavit, cui scilicet titulum fecit *de religione Gentilium*. Verum herclè quæcunq; afferunt argumenta, nihil majus adstruunt quàm credidisse Ethnicos Unicum esse supremum omnium Numen, in quod reliqua omnia contrahere oporteret; minimè vero evincunt Numen istud, qualecunq; fuerit, quicquam esse rebus naturalibus & creatis superius; Ipsi autem non modò liberè confitemur, sed & contendimus unicum eos supremum Numen agnovisse; dicimus tamen in rebus creatis substitisse, neque ad ipsum Deum *Opt. Max.* assurrexisse, sed *animam mundanam* numinis unici & supremi prærogativâ ornavisse, & in eam omnes Deunculos minores refudisse. Ut Maximi Gentilis verba sunt in epistolâ ad B. Augustinum. *Equidem unicum esse Deum summum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus,*

ut

ut neget esse certissimum? Hujus nos virtutes per mundanum opus diffusas multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium ignoremus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen est. Ita fit ut dum ejus quasi quadam membra carptim variis supplicationibus prosequimur, totum colere profectò videamus.

Quis porro non miraretur, cùm in Eugubino ex Cicerone laudatum legeret. *Xenophanes paulò etiam quàm Anaxagoras antiquior, unum esse omnia; neque id esse mutabile, & id Deum esse, neq; natum unquam, & sempiternum & conglobatâ figurâ.* At sanè quis non videt Xenophanem de Universo, mundive globo locutum esse? Quin vero ad hanc rem, quid apertius, quàm sunt ipsius Eugubini verba, dici potuit. *Dico divinitatem,* i. e. *illum ipsum, qui apud priscos diceretur ipsum unum, ipsumque ens, appellatum quoque magno quodam, altissimoq; mysterio* τὸ πᾶν *ipsum Universum. Quod non obscuris, fictitiisque testimoniis comprobabo, Aristoteles in primo de principiis Philosophiæ libro, prodit Veteres illos dixisse* Ἓν εἶ τὸ πᾶν *Unum esse Universum. si probamus igitur eadem eos de Universo prædicasse, atque ente & uno, claret utique Universum eis fuisse ipsum Deum.* hactenus ille. Quid autem appositius, quid luculentius è re nostrâ dici potuit, ut nempe liqueat eos *Universum hoc* pro Deo supremo habuisse? Et sanè vel pueris notum est eos voce τοῦ Παντὸς ipsum hoc Universum intellexisse. At vero (pergit Eugubinus) Empedocles, Melissus, Parmenides mundum hunc Universi particulam esse dixerunt, unde eos Universi Nomine non mundum hunc intellexisse infert, sed Deum ad quem mundus talem proportionem gerit, qualem quævis particula ad ipsum mundum. Verum clarius est, quàm ut probatione indigeat, eos per Universum intellexisse aut universum immensumque locum, aut aliquid quod istum occupat, sive sit materia supervacua, sive alii plures mundi, quod disertim de Empedocle *Plutarchus* in placitis, & *Stobæus* in Ecclog.

Peren. Philos. l. 3. c. 6.

Eodem libro. c. 8.

 rete-

referunt, eum censuisse *mundum* τȣ̃ Πάντ☉ *partem perexilem esse, reliquam otiosam materiam.* De Melisso *Laertius* lib. 6. dixisse eum tradit τὸ πᾶν ἄπειρον εἶναι καὶ πλῆρες *Universum infinitum esse & plenum.* Quod autem de Parmenide refert eum mundum hunc Universi particulam esse censuisse insigniter falsum est, cum apprimè innotescat idem ei fuisse mundum & Universum, quòd nihil extra hujusce mundi pomæria esse crediderit: quod & ipse Eugubinus cap. 10. aperte edocuit. An non etiam eundem latè reprehendit Aristoteles Eugubino indubitatæ fidei per omnia testis, quod Deum corporeum sphæricumque esse fecerit, An num denique venerando præsuli arrideant protriti isti Parmenidis de Deo versiculi.

Libello de Xenophane, &c.

Πάντοθεν εὐκύκλȣ σφαίρας ἐναλίγκιον ὄγκῳ
Μεσσόθεν ἰσοπαλὲς πάντῃ, τὸ γὰρ ὔτε τι μείζων.

Undique globosæ sphæræ persimilis est moli,
Ac centro undiquaque æqualis, quo nihil majus.

Quam scilicet habuit Mundi figuram, Deo aptavit, quem utique nihil aliud à mundo censuit. Sed esto, dixerit cum reliquis mundum hunc τȣ̃ Πάντ☉ (quod Deus est) perexiguam portionem esse, quorsum inde Eugubini encomiis exornatur? Quid enim apertius quàm τὸ Πᾶν apud priscos omnes Universam rerum Naturam significare? quam alii finitam esse, alii infinitam reputarunt, & qui infinitam, iidem etiam Deum infinitum esse prædicarunt. Eugubinus autem ut Dei immensitatem è veteri Philosophiâ depromat, affert Anaximandrum, Anaxagoram, Empedoclem, Melissum aliosque, at iidem sunt, qui mundum quoque infinitum esse dixere, & proinde Deum infinitum esse, quòd æquè cum eo diffundatur. Sic Melissus, Diogenes, Archelaus apud Laertium Universum infinitum statuerunt. Anaximander apud Ciceronem Infinitatem Naturæ adseruit. Anaximenes infinitum

Lib. 2.
1. De N.D.

nitum Aera; ut *Cic.* 4. *acad.* & *Stob.* 2. *eccl. phys.* Seleucus Erythræus & Heraclides Ponticus infinitum dixere mundum, & denique Anaxagoram statuisse materiam esse infinitam testes sunt *Cicero* 4. Acad. & *Aristoteles.* 1. Metaph. 3. Et hoc quidem vidit olim Aquinas in hujusmodi rebus non admodum perspicax, sic enim de antiquis Philosophis. *Quia erraverunt circa Naturam Primi Principii: consequens fuit, ut errarent circa infinitatem ipsius, quia enim ponebant primum principium materiam, consequenter attribuerunt primo principio infinitatem materialem, dicentes aliquod corpus infinitum esse primum principium rerum.* Quin & hinc intimam Jovis seu Numinis supremi cum rebus omnibus præsentiam prædicarunt, nempe quoniam arbitrati sunt εἰς ἅπαν κόσμου μέρος διήκειν τὸν νοῦν, καθάπερ ἐφ' ἡμῶν τὴν ψυχήν. *Per omnia Mundi membra mentem pertinere ut in nobis animam. Hinc ipse Tripos apud Porphyrium*

Stob. eccl. phys. l. 1. c. 25.

Sum. part. 1. quæst. 7. art. 1.

Laert. in Zenone.

Πάντα θεοῦ πλήρη, πάντη Θεὸς ἐστεφάνωται,
Πάντα ζωογόνων, ὁπόσα πνείει τε καὶ ἕρπει.

Omnia plena Deo, Deus ubique vagatur,
Omnia vivificat, quæcunque spirant, reptantque.

Aratus item

—— Μεσαὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαὶ
Πᾶσαι δ' ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα
Καὶ λιμένες· πάντη δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες.

Jovis plenæ sunt omnes viæ
Pleni sunt omnes hominum cœtus, plenum mare,
Et lacus, fit ubique Jovis copia omnibus.

Quibus accedunt trita Maronis carmina

—— *Deum namque ire per omnes*
Terrasque, tractusque maris, cœlumque profundum

Ut & *Principio Cœlum, & terras, camposque liquentes.*
Lucentemque globum Lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum, pecudumque genus, vitaque volantum.
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore Pontus,
Igneus est ollis vigor, & Cœlestis origo
Seminibus.

Et Lucanus

Estque Dei sedes ubi terra, & Pontus, & aer,
Et Cœlum & virtus; superos quid quærimus ultra
Jupiter est quodcunque vides, quocunque moveris.

Neque abludit Osyridis interrogati quis Deorum haberetur responsum

Macrob. sat. lib. 1. c. 20.

Εἰμὶ Θεὸς, τοῖος δὲ μαθεῖν, οἷον καὶ Ἐγὼ εἴπω,
Οὐράνιος κόσμος κεφαλὴ, γαστὴρ δὲ θάλασσα
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσὶ, τὰ δὲ οὔατ' ἐν αἴθερι κεῖται,
Ὄμμά τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.

Sum Deus talis, qualem describam Ego me ipse,
Cœlestis mundus caput est, venter verò mare,
Terra vero mihi pedes est, aures vero in Cœlo sunt,
Oculum vero cuncta videntem fulgidum dic Lampada
(Solis.

Quin & Orpheus

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε Θεῶν, εἰλυμένε κόπρῳ.

Jupiter gloriosissime, Maxime Deorum, luto involute.

Nempe

Nempe quia ſpiritus mundanus ita omnia permeat, ut ſtercori & luto permiſceatur: & ejuſmodi reliqua, quæ vulgo afferuntur tanquam omnipræſentiæ divinæ teſtimonia; etiamſi ſemper ad animum ſeu ſpiritum mundanum reſpiciant.

Cæterùm commodè hîc notandum eſt, quod per totam diſſertationem obſervari oportet, veteres Subſtantiam hanc pertenuem (quam mundi animum plerunque appellarunt) indiſcriminatim vocibus animi, ſpiritûs, aeris, ætheris, cœli, &c. expreſſiſſe, quibus paſſim tanquam ἰσοδυναμέσαις utuntur. Neq; ſanè vocum iſtarum quælibet ante Scholaſticorum tempora certam & limitatam ſignificationem habuiſſe videtur, ut ſcilicet rem deſignaret corporeæ molis omnino expertem, ſed potius quicquid pertenue erat neque aſpectui obnoxium pariter denotarunt; ſic Cœlum & Ætherem pro aëre, & aerem viciſſim pro cœlo poſuerunt; ut *Toto ſonuerunt Æthere nimbi*; & *Varium Cœli* (*i. e.* aeris) *prædicere morem* & expreſſe Lucretius l. 4. *Conſtituuntur in hoc Cœlo, qui dicitur aer.* Et ſi quæ inter aerem & ætherem interceſſit diſcrepantia, non alia erat, quàm quod Aer æther ſpiſſior & gravior eſſet, at æther aer tenuior, ſeu purior & magis defæcata aeris pars, etenim qui æther terris vicinus erat, atque exinde à terrenis exhalationibus denſior factus, aer dicebatur, qui ſublimior, & exhalationibus non tantoperè conſpiſſatus, æther κατ' ἐξοχὴν dicebatur, *i. e.* purus & impermixtus æther; (Unde vulgare pronunciatum *ætherem eſſe mentis veſtimentum, aerem ætheris*) quemadmodum Varrone Mundus dividitur in duas partes, cœlum & terram; & cœlum bifariam in æthera & aera. Inde apud Ariſtophanem Socrates aerem & ætherem ſimul invocat.

Æneid. 2. *Georg.* 1. *Auguſt. de civit. l.* 7. *c.* 6

Ω Δέσποτ' ἄναξ, ἀμέτρητ' Ἀὴρ, ὃς ἔχεις τὴν γῆν μετέωρον, Λαμπρός τ' Αἰθὴρ,

O rex

O rex ô imperator Aer vaste, qui terram contines suspensam
Nec non Splendide Æther

Ut perinde sit utrùm Deum aerem an ætherem appellaverint, ut cum apud Tullium Anaximenes Deum Aera esse statuit, eumque immensum & infinitum: ut & Diogenes Apolloniates *Quid aer? quo Diogenes Apolloniates utitur Deo.* Aeris nomine idipsum intelligunt quod alii spiritu, & animo, & æthere exprimunt: Siquidem reliqui per animum & animam aeream substantiam intellexerunt, Ut Anaxagoras, Anaximenes, Archelaus, Diogenes Apolloniates animam aeream esse dicunt, quod referunt *Stobæus eccleg. phys. l. 1. c. 25. & Plutarchus in placit. l. 1. c. 3. &. l. 4. c. 3.* Sic de Stoicis scribit Galenus, iis animam constare ἐκ τῆς ἀερώδους καὶ πυρώδους οὐσίας *ex aereâ & igneâ substantia,* unde auctoribus familiare est animam pro aere aut flatu, aut vento usurpare; ut *quantum ignes animæque* (*e. i.* venti) *valent* in quem locum Servius *animum* ἀπὸ τῶν ἀνέμων aptè *deducit.* Sic Lucretius

1 De N. D.

Ibid.

Æneid. 8.

Lib. 5.

—— Ac prece quæ sit
Ventorum pavidas paces, animasque (*i. e.* flatus) *secundas*
& alibi, *aurarum animæ.*

Horat. carm. l. 4. od. 12. *impellunt animæ lintea Thraciæ.* Item & Arnobius l. 4. *suas animas expiraverunt venti,* unde Nonius, c. 4. Animam ventum interpretatur & Isidor. l. 2. orig. *anima à ventis nomen accepit.* Hinc & Antoninus l. 2. commonstratâ corporis fragilitate addit θεάσαι δὲ καὶ τὸ πνεῦμα ὁποῖόν τι ἐστίν· ἄνεμος· οὐδὲ ἀεὶ τὸ αὐτὸ, ἀλλὰ πάσης ὥρας ἐξεμούμενον, καὶ πάλιν ῥοφούμενον. *Quin & animam considera qualis sit, ventus est, nec is semper idem, sed qui jugiter eflatus denuò resorbetur.* Cicero 1. Tusc. *Anima sit animus, ignisne, nescio.* Et lib. de Universo *Ut inter ignem & terram aquam Deus animamque*

i. e.

(i.e. aërem) *poneret, eaque inter se compararet, & proportione conjungeret: ut quemadmodum ignis animæ, sic anima aquæ, quodque anima aquæ, id aqua terræ proportione redderet,* & passim ibidem, sic & apud Virgil. cecinit Silenus

Magnum per inane coacta Eclog. 6.
Semina terrarumque, animæq; (*i.e.* aeris) *marisque fuissent.*

Quin & Tertull. *Stoicos allego, qui spiritum dicunt animam,* De animâ c.5. *pene nobiscum: quia proxima sunt flatus & Spiritus.* In eodem usu Græcorum ψυχὴ ut Orpheus — τὸ δὲ ἐκ γαίης πάλιν ὕδωρ, Ἐκ τοῦ δὲ ψυχή, &c. *Ex terrâ creatur aqua, ex illâ autem anima est i.e.* aer; & Heraclitus apud Clem. Alexand. Strom. l. 6. ψυχῇσι θάνατος, ὕδωρ γίνεσθαι· ὕδατι δὲ θάνατος, γῆν γίνεσθαι· ἐκ γῆς δὲ ὕδωρ γίνεται· ἐξ ὕδατος δὲ ψυχή. *Animabus mors est aquam fieri, aquæ autem mors est fieri terram, ex terrâ autem fit aqua, ex aquâ verò anima,* i. e. substantia aerea. Hinc ψυχὴ vulgo ἀπὸ τοῦ ψύχειν flare, spirare ducitur, ut נֶפֶשׁ anima à נפש in Niphal respirare; Hesychius ψεύχειν exponit πνεῖν, & ψύξας reddit φυσήσας, πνεύσας, ἄνεμον ποιήσας. & Homerus Iliad. υ

Ἀθήνη Πνοιῇ Ἀχιλλῆος πάλιν ἔτραπε κυδαλίμοιο
Ἦκα μάλα ψύξασα.

Minerva hastam flatu ab Achille detorsit,
Leniter admodum spirans.

Nec alienum est, quod Chrysippus apud Plutarchũ existimat. De Stoic. repug. τὸ βρέφος ἐν τῇ γαστεὶ φύσει τρέφεσθαι, καθάπερ φυτόν· ὅταν δὲ τεχθῇ, ψυχόμενον ὑπὸ τοῦ ἀέρος καὶ στομούμενον, τὸ πνεῦμα μεταβάλλειν, καὶ γίνεσθαι ζῶον, ὅθεν οὐκ ἀπὸ τρόπου τὴν ψυχὴν ὀνομάσθαι παρὰ τὴν ψύξιν. Fermè eadem Socrates apud Platonem; ut & Herophilus ac Diogenes apud Plutarchum, ubi docent animalia inanimata nasci & animam in pulmones attrahere. Hinc Varro apud Lactantium. In Cratylo de placit. l. 5. c. 15.

tium. *Anima est aer conceptus ore, tepefactus in pulmone, fervefactus in corde, diffusus in corpus.* Et ipse Lactantius eodem libro *c.* 11. Animam in pulmonibus habitare arbitratus est, & aere intus per respirationem hausto nutriri. Quin & Tertull: spiritum vitæ, quem Deum Adamo inspiravisse proditum est, pro aereo quodam flatu cepit. *Recogita enim cum Deus sufflasset in faciem hominis flatum vitæ; totum utique per faciem statim flatum illum in interiora transmissum, simulque divinâ aspiratione densatum, omni intus lineâ expressum esse, quam densatum impleverat, & veluti in formâ gelasse. Inde igitur corpulentia animæ ex densatione solidata est, & effigies expressione formata.*

De opif. Dei cap. 17.

De animâ c. 9.

Ab hac denique opinione exortæ sunt phrases istæ *animam exhalare, efflare*, &c. *Animam exhalare dicitur*, inquit Servius, *secundum eos qui animam ventum volunt esse.* Quam phrasin itaque aliis verbis sic exprimit Attius in Trachinum *Frendens efflavit graviter extremum halitum.* Sic ad illud Virgilii *In ventos vita recessit* Adnotat Servius *hoc est in materiam suam redit.* Quo accedit Manilianum illud

In Æneid. 2.

Æneid. 4.

Proximus in tenues descendit spiritus auras.

Cæterum voculæ Mens & νȣ̃ς apud veteres non tam animæ substantiam quàm facultatem denotant, *i. e.* λόγισμον sive ratiocinantem facultatem. Unde Lucretius. *Consilium, quod nos animum, mentemq; vocamus.* & Maro *Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates*, ubi Servius *Perissologia est, nam secundum Lucretium, unum est mens & animus quamvis prò sapientiâ mens accipiatur & intellectu.* Et consonanter Plutarchus ψυχὴν & νȣ̃ν distinguit, quòd ψυχὴ sit αἰτία κινήσεως ϗ ἀρχὴ, νȣ̃ς δὲ τύξεως ϗ συμφωνίας περὶ κίνησιν. *Anima sit causa & principium motus; mens ordinis & consonantiæ in motu.* Eandem itaque animæ & mentis materiam esse existimarunt, unde Maronis illud --- *Cælum hausit, mentemque*

Lib. 3.

Æneid. 6.

Libello de anim. procr.

Æneid. 10.

temque recepit. Sed animam ſolummodo quatenus facultate intellectrice polleat νῦν & mentem appellarunt. Atque huc uſque quid antiquior Sophia per voces iſtas intellexerit, ſat fuſè expedii, non ſcilicet eſſentiam materiâ vacantem ſed pertenuem & inviſibilem quandam materiam. Jam itaque pergendum eſt.

Cùm autem cenſuerint animam mundanam ſapientiâ & ratione præditam eſſe, ut palam Stoicus Ciceronianus. *Mundum & ejus partes natura ſentiente teneri, in qua ratio perfecta inſit, quæ ſit eadem ſempiterna. Quam vim animum eſſe dicunt mundi; eandemq; eſſe mentem, ſapientiamq; divinam*; poſtquam inquam iſtud crediderint in animam mundanam ſtatim rerum omnium imperium, gubernationem, creationem, & providentiam devolverunt. Hinc Orpheus hymno ad Panem (quo ſpiritum omnia pervadentem indigetat) *De N. D. l. 2.*

Παντοφυὴς, γενέτωρ πάντων, πολυώνυμε δαῖμον)
Κοσμοκράτωρ.

Quin & egregie de Jove ſic modulatur

Ὃν οὐδὲ εἷς λέληθεν, οὐδὲ ἂν ποιῶν,
οὐδ' ἂν ποιήσων, οὐδὲ πεποιηκὼς πάλαι·
οὔτε Θεὸς, οὔτ' ἄνθρωπος οὗτος, εἰ μὴ ἐγὼ
Ἀὴρ, ὃν ἄν τις ὀνομάσειε καὶ Δία.
Ἐγὼ δ' ὃ ἔργον εἶμι πανταχοῦ
Ἐν ταῖς πόλεσι πάσαισιν, ἐν ταῖς οἰκίαις
Πάσαις, ἐν ὑμῖν πᾶσαις οὐκ ἔστι τόπος,
οὗ μὴ ἔστιν ἀὴρ· ὁ δὲ παρὼν ἁπανταχοῦ
Πάντ' ἐξ ἀνάγκης, οἶδε πανταχοῦ παρών.

 Quem

Quem nullus aliquid perpetraturus latet;
Aut perpetrans, aut si quid olim fecerit,
Sive hic Deus sit, sive mortalis, Ego sum
Aer, vocare quem liceat etiam Jovem:
Et Ego, Deorum quòd opus est, ubique adsum,
In urbibus cunctis, simulque in ædibus.
Vobis in omnibus, nec est quisquam locus,
Ubi non sit Aer, cæterum qui ubique adest,
Norit necesse est cuncta, cuncta tenens loca.

Phurnutus. Nec his absonum est, quod dicitur, *Jovis oculum videre omnia, atque omnia audire: Quo enim pacto fieri pote est, ut quicquam horum, quæ in mundo gerantur, lateat omnia gubernantem potentiam?*

Et alibi Orpheus eundem Jovem invocat

——— παγγενέτην, βασιλῆα μέγιστον
Omnium genitorem, Regem maximum

Eclog. Phys. l. 1. c. 2. Cicero 4. Acad. *Mundum esse sapientem & habere mentem, quæ & se & ipsum fabricata sit, & omnia moderetur, moveat, regat.* Sic & Onatus apud Stobæum de Deo (quem ibidem esse animam universi definit) plura edisserit, nempe comprehendi non posse totius mundi principem esse, nec visu, nec sensu percipi, unum esse, omnia gubernare, omnibus magnitudine ac virtute præstare, &c. In hanc rem insignis est alter Orphei hymnus ad Naturam

Ὦ Φύσι παμμήτειρα θεά, πολυμήχανε μῆτερ,
Ἐργανία, πρέσβειρα, πολύκτιστε δαῖμον ἄνασσα.
Πανδαμάτωρ, ἀδάμαστε, κυβερνήτειρα, παναυγής,
Παντοκράτειρα, τετιμένα, πανυπέρτατε πᾶσιν.

Ἄφθιτε

*Ἄφθιτε, πρωτογένεια, παλαίφατε, κυδιάνειρα·
Αὐτοπάτωρ, ἀπάτωρ, ἀρετῇ πολύγηθε μέγιστε
Αἰθερία, χθονία, καὶ εἰναλία μεδέουσα
Πικρὰ μὲν φαύλοισι, γλυκεῖα δὲ πειθομένοισι.

O Natura omnium Mater Dea, artificiosa admodum Dea,
Suscitatrix, honorabilis, multa creans, Divina regina;
Omnidomans, indomita, gubernatrix, ubique splendens:
Omnium rectrix, honorata, præstantissima omnibus,
Incorrupta, primogenita, antiqua, claros viros cohonestans,
Ipsa pater sine patre; virtute maximâ præditus.
Ætherea, terrestris, & marina regina,
Amara quidem impiis, dulcis vero obtemperantibus.

Orpheum eò sæpius afferre par est, quod eum ὀρθόδοξον & cumprimis suum esse gestiunt Justinus, Eusebius, Cyrillus, Clemens Alexandrinus, Augustinus, Philoponus, Eugubinus, alii, qui eum nullis non encomiis ornant: Cum hercle longè aliena fuit *Orphei* sive *Onomacriti* mens, qui utique semper ad *Spiritum Pythagoricum* omnia pervadentem respexerit. Cæterum Stoicos quod attinet, non acriùs contendunt, cum ullam omnino πρόνοιαν esse probant, quàm cum eam *ipsi mundo* asserunt: Cujus rei luculenta specimina videre est apud Ciceronem in dissertatione Balbi Stoici 2. de Nat. Deor. Et hinc fortè primò nata per mundi elementa divinatio, sc. Geomantia, Hydromantia, Pyromantia, Botavomantia, &c. quòd nempe arbitrarentur Deum omnium præscium omnibus interesse & immisceri. Neque quicquam aliud fati nomine designarunt: quemadmodum Heraclitus fatum definiit οὐσίαν εἱμαρμένης λόγον τὸν διὰ τῆς οὐσίας τοῦ παντὸς διήκοντα· αὕτη δὲ ἐστὶ τὸ αἰθέριον σῶμα, σπέρμα τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως *fati substantiam esse rationem, quæ universi naturam pervadat: ipsa autem sit*

ætheream

æthereum corpus, semen procreationis universi Authores sunt Plutarch. de placit. l. 1. c. 28. Stobæus eccl. phys. l. 1. c. 9.
De Stoic. repug. Quin & idem Chrysippus apud Plutarchum Οὐθὲν ἐστιν ἄλλως τῶν κατὰ μέρος γίνεσθαι, οὐδὲ τοὐλάχιστον, ἢ κατὰ τὴν κοινὴν φύσιν, καὶ κατὰ τὸν ἐκείνης λόγον· ὅτι δ' ἡ κοινὴ φύσις, καὶ ὁ κοινὸς τῆς φύσεως λόγος εἱμαρμένη καὶ πρόνοια καὶ Ζεύς ἐστιν οὐδὲ τοὺς Αντίποδας λέληθε. *Nihil singularum rerum ne minimum quidem fieri potest aliter, quàm secundum communem naturam, & ejus rationem, communem autem naturam, ejusque rationem esse fatum, Providentiam, Jovem, ne Antipodes quidem nesciunt.* Sic Se-
Nat. quæst. l. 2. cap. 45. neca de animo seu spiritu mundanæ hujus fabricæ *Vis illum fatum vocare? Non errabis, hic est ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum.*
Stob. eccl. phys. l. 1. c. 9. Chrysippo definitur esse
Ibid. δύναμιν πνευματικὴν τάξει τοῦ παντὸς διοικητικήν. *Vim spiritalem ordine universum gubernantem*; quod & τὴν φύσιν appellat: Neque aliud est Platoni fatum, est enim ei λόγος ἀΐδιος, καὶ νόμος ἀΐδιος τῆς τοῦ παντὸς φύσεως *Ratio sempiterna, æternaque lex naturæ Universæ.* Neque Aphrodisiensis insigni libello de fato aliud fatum, quàm totius Naturæ vim legē & ordinem
Epist. 107. agnovisse videtur. *Ad hanc legem* (inquit Seneca) *animus noster aptandus est, hanc sequatur, huic pareat: & quæcunque fiunt, debuisse fieri putet, nec velit objurgare Naturam.* Pressius itaque & disertius Chrysippo apud Agellium definitur.
Lib. 6. c. 2. *Fatum esse naturalem connexionem universorum ab æterno mutuò sese consequentium, immutabili & inviolabili hâc complicatione:*
De mundo. Unde Apuleius Εἱμαρμένη quasi εἱρμὸς *connexio*, à tractu quodam invicem causarum se continentium. Quò accedit Phurnutus. *Jupiter certè etiam fatum est, eo quod distributio sit invisibilis eorum, quæ unicuique adjiciuntur, hinc jam & aliæ, partes* μοῖραι, *i. e. Parcæ appellatæ sunt:* ἄισα *est eorum, quæ fiunt, latens & incognita causa: at* εἱμαρμένη *est secundum quod fatatum, comprehensumque est quicquid in elementi ordine terminum hautquaquam habentis fit.* Quæ non multùm abeunt ab insigni isto loco libri de

de mundo, qui vulgò Ariſtoteli affingitur Οἶμαι δὲ καὶ τὴν ἀνάγκην οὐκ ἄλλο τι λέγεσθαι πλὴν τοῦτο, οἷον ἀκίνητον οὐσίαν ὄντα. Εἱμαρμένην δὲ, διὰ τὸ εἴρεσθαί τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως· Πεπρωμένην δὲ, διὰ τὸ πεπερατῶσθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἄπειρον εἶναι· καὶ Μοῖραν μὲν ἀπὸ τοῦ μεμερίσθαι· Νέμεσιν δὲ ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως. Ἀδράστειαν δὲ, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν. Αἶσαν δὲ ἀεὶ οὖσαν. *Exiſtimo autem neceſsitatem non aliud dici, quàm hoc ipſum, puta immobilem Naturam, fatum autem dictum à ſerie rerum conſerta, inoffenſoque tenore procedente, quod alio nomine* Πεπρωμένην *ideo appellarunt, quod ab eo omnia terminata ſunt, ac nihil in rerum Natura infinitum eſt. Quin & Μοῖραν,* i. e. *ſortem appellatum à partitione rerum dixerim ; &* Νέμεσιν *quaſi poteſtatem divinam, ejus quod viſum eſt cuique diſtributricem :* Ἀδράστειαν *etiam quaſi cauſam quandam natura comparatam, quam fallere nemo queat, aut vitare.* Αἶσαν *denique dictum, quaſi ſemper exiſtentem.* Et hinc erat quòd Deos ipſos fato ſubeſſe vellent. *Eadem neceſsitas* (Senecæ vox) *& Deos alligat, irrevocabilis pariter divina atque humana curſus voluit.* Herodotus τὴν πεπρωμένην μοῖραν ἀδύνατόν ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ *fatum nec Deo fas effugere* ; & Philemon *De provid. l. 5. Lib. 1.*

> Δοῦλοι βασιλέων εἰσὶν, οἱ βασιλεῖς θεῶν,
> Ὁ θεὸς Ἀνάγκης.

> *Sunt regibus ſervi, rex ſervus eſt Deo,*
> *Deus neceſsitati.*

Sed ſi plures autores afferrem fruſtra forem, ſiquidem res nimiſquàm nota eſt. Ratio autem quòd Deum & Jovem fato ſubjecerunt, videtur, quoniam iiſdem legibus id ſancitum eſt ac mundi ordo, cauſarumve naturalium connexio, (id quod Jovem eſſe cenſuerant) cum ſcil. rerum cauſæ in eam, quam obtinent, ſeriem, conceſſerant, etiamtum conſtituta fati neceſſitas, quæ nihil aliud ſit quàm neceſſaria & inviolabilis cauſarum ſeries, quæ à primâ

naturæ institutionē intemeratè fluit, quōd fortean Senecā quodammodo innuitur, ubi pangit

Non illa Deo vertisse licet,
Quæ nexa suis currunt causis,
It cuique ratus prece non ullâ
Mobilis ordo.

Præclarius autem Lucano

Lib.2. —— *Parens rerum primum informia regna,*
Materiamque rudem, flammâ cedente recepit,
Finxit in æternum causas, quà cuncta coercet,
Se quoque lege tenens, & secula jussa ferentem,
Fatorum immoto divisit limite mundum.

Hinc denique Poetæ Parcas suas, — αἵτε βροτοῖσι
Hesiod Theog. Γινομένοισι διδοῦσιν ἔχειν ἀγαθόντε κακόντε

Quæ mortalibus mala & bona distribuunt

Has inquam commenti sunt ex Cœli Terræque coitu prognatas esse. Athenag. legat. οὐρανὸς δὲ γῇ μιχθεὶς γεννᾷ θηλείας μὲν, Κλώθω, Λάχεσιν, Ἄτροπον. *Terræ Cælus coiens, ex ea genuit fæminas Clotho, Lachesin, Atropon.* Quòd nempe hoc pacto Naturæ series, & rei cujusque sors evenerit.

Verum ad reliqua pergendum est. Dein igitur mundanum spiritum tanquam mundi conditorem celebrarunt. Ut Author libri de mundo Aristoteli adscripti *c.* 5. *Terram etiam omnem, omne mare, Ætherem, Solem, Lunam & postremo totum Cælum vis una per omnia pertinens certo ordine descripsit, concinneq; digessit: è diversis ipsa Naturis atque impermixtis, aere, terra, igne & aqua mundum architectata.* Sic insuper de Stoicis Laertius In Zenone. Δοκεῖ δὲ αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ

ποιοῦν,

ποιοῦν, καὶ τὸ πάσχον. τὸ μὲν οὖν πάσχον εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν, τὴν ὕλην· τὸ δὲ ποιοῦν, τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν Θεόν. *Videtur iis duo esse omnium principia, efficiens & patiens, & patiens quidem qualitatis expertem essentiam, materiam; efficiens autem rationem, quæ in ipsa est, sive Deum.* Et huc respexit Epidectus, cum dixerit ὑπὸ φύσεως γεννῆσθαι τὸν κόσμον *Mundum esse à Natura procreatum.* *V. Stob. eclo. phys. l. 1. c. 2.* Sed peregregiè quidem Orpheus in Argonaut. Sic cecinit

Οὕνεκα σὺν τῷ παντὶ Διὸς πάλιν ἐντὸς ἐτύχθη,
Αἰθέρος εὐρείης, ἠδ' οὐρανοῦ ἀγλαὸν ὕψος,
Πόντου τ' ἀτρυγέτου γαίης τ' ἐρικυδέος εὐρή,
Ὠκεανός τε μέγας καὶ νείατα τάρταρα γαίης,
Καὶ ποταμοὶ καὶ πόντος ἀπείρατος, ἄλλα τε πάντα,
Πάντες τ' ἀθάνατοι, μάκαρες θεοί, ἠδὲ θέαιναι
Ὅσσα τ' ἔην γεγαῶτα καὶ ὕστερον ὅσσα ἔμελλεν
Γίγνεσθαι, ζηνὸς δ' ἐν γαστέρι σεῖρα πεφύκει.

Itaque una cum toto intra Jovem olim compacta erant,
Æther immensus, & cæli splendida sublimitas,
Pontique obscuri, terræque contentiosæ inventio,
Oceanusque magnus, & recondita tartara terræ,
Et fluvii, & mare immensum, cæteraque omnia,
Omnesque mortales, beati Dii, Deæque,
Quæque fuerunt, & quæ postea futura sunt,
Jovis autem in ventre compages enata erat.

Nec aliena est fabula, quâ Apollo *i. e.* Sol ex Jove, spiritu nempe omnium opifice, & Latonâ, Universi scilicet materiâ natus fingitur; quatenus spiritum, ignemve artificiosum ex Materiæ massâ Solem condidisse censuerunt. Quin & eum rerum omnium parentem esse perhibent, veluti de Jove Phurnutus. *Jupiter pater esse dicitur & Deorum & hominum, eò quod Mundi natura* (quam mox supra Jovem esse expedierat)

podierat) *horum ſubſtantia ſit cauſa, non ſecus atque patres gignunt ſuos filios.* Quo facit D. Auguſtinus. *Et hoc utique totum refertur ad mundum i. e. ad Jovem, qui propterea dictus eſt progenitor, genetrixque, quod omnia ſemina ex ſe emitteret, & in ſe reciperet,* Atque exinde ſpiritum ſeu vim per Univerſum diffuſam ἀῤῥενόθηλυν eſſe voluerunt. Quod & De Perſis ac Magis Jul. Firmicus memorat. *Hi* (inquit) *Jovem in duas dividunt poteſtates, naturam ejus ad utriuſq; ſexus transferentes,* &c. Quin inſuper Prometheum, qui è terra humanum genus finxiſſe celebratur, communiter mundi animum eſſe interpretantur, *Conſiderandum* (inquit Phurnutus) *Prometheum eſſe dominium animæ rerum univerſarum inſitum, cui recentiores nomen indidere Providentiæ, Nam per hanc cum alia omnia tum è terra idoneè ad id diſpoſita confecti ſunt ab orbe condito homines.* Quo ritu alias fabulas interpretari pergit. Sic *Panem*, inquit, *qui nihil aliud eſt, quàm univerſa rerum natura, laſcivum ac in Venerem provectum inducunt, quòd illi naturalis ſeminis adſit copia, atque eorum, quæ per congreſſum ex iis naſcuntur.* Et paulò poſt *Eſt fortaſſis hic etiam Priapus, quòd omnia in lucem producat.* Ac mox *Pudendorum magnitudo uberem in eis vim ſeminalem ſignificat. Sed quam ſinu geſtat omnium fructuum miſcellaneam, ſignificat copiam fructuum in ſinu terræ ſub tempore naſcentium ac prodeuntium.* Et ejuſmodi reliqua. Vulgare denique eſt *Mundi animam fontem animarum omnium eſſe* uti loquitur Apuleius, ut & de Stoicis Laertius Ζῶον ἄρα ὁ κόσμος· Ἔμψυχον δὲ, ὡς δῆλον ἐκ τῆς ἡμετέρας ψυχῆς, ἐκεῖθεν οὔσης ἀποσπάσματος. *Animatum porro eſſe mundum, liquet ex noſtrâ animâ, quæ particula avulſa eſt ab illo.* Animas autem noſtras animæ mundanæ particulas eſſe cenſuerunt, non quaſi ita decerpi crederent, ut ab illâ deinceps omnino ſeparatæ maneant, ſed utique potius cum totâ cohærere, & ideo duntaxat animam ſpecialem haberi, quia ſpeciali nexu uni potiuſquam alteri materiæ portioni adhæreat, quâ demum diſſolutâ anima ad propriam

De civit. Dei l. 7. c.16.

De errore profan. relig.

De dogmat. Plat.

In Zenone.

propriam conditionem remittitur, unde interire nō dicitur, ſed in totum refundi, quod fortaſſe dogmatis de animarum immortalitate radix & origo. Unde Plutarch. de animâ rationali, οὐκ ἔργον ἐστὶ τοῦ Θεοῦ μόνον, ἀλλὰ καὶ μέρος. οὐδ' ὑπ' αὐτοῦ, ἀλλ' ἀπ' αὐτοῦ, καὶ *Quæſt. Platon.*
ἐξ αὐτοῦ γέγονεν *Non opus Solum Dei ſed & pars eſt; neque ab ipſo, ſed ex ipſo nata eſt.* Seneca. *Quid eſt autem, cur non* *Epiſt. 92.*
exiſtimes in eo divini aliquid exiſtere, qui Dei pars eſt? Et Epictetus Αἱ ψυχαὶ μὲν οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι καὶ συναφεῖς τῷ Θεῷ, ἅτε *I Diſſert. c. 14.*
αὐτοῦ μόρια οὖσαι. *Animæ ita illigatæ & conjunctæ Deo ſunt, ut particulæ ejus ſint. atque ſimiliter in eum Arrianus* Ἀλλὰ τὰ *Lib. 1. c. 14.*
φύλλα μὲν, καὶ τὰ ἡμέτερα σώματα οὕτως ἐνδέδεται τοῖς ὅλοις, καὶ συμπέπονθεν; αἱ ψυχαὶ δ' αἱ ἡμέτεραι οὐ πολὺ πλέον; ἀλλ' αἱ ψυχαὶ μὲν οὕτως εἰσὶν ἐνδεδεμέναι καὶ συναφεῖς τῷ Θεῷ, ἅτε αὐτοῦ μόρια οὖσαι, καὶ ἀποσπάσματα, &c. *Cum ergo folia, & corpora noſtra ſint Univerſitati devincta, tantâque ſocietate copulata ſint: quantò magis animi noſtri? An cum animi noſtri ita ſint devincti Deo, ut particulæ ſint ejus & ab eo quaſi avulſæ; non omnem eorum motum ut proprium & cohærentem animadvertit?* Adeo ut ſpiritum omnem ubicunque diffuſum eo modo unum eſſe, & ſibi connexum ſtatuerunt, quomodo unum ſunt mundana corpora; quæ omnia adinvicem cohærere, unamque compagem conflare arbitrabantur.

Cæterum hic admonere par eſt veterum pleroſque Spiritum mundanum ignem quoque appellaſſe, quippe vetus omnis Philoſophia θερμὸν quoddam divinum univerſam Naturæ molem vegetare ſtatuebat; & imprimis Heraclitus, quem potiſſimùm in hac re, ut in aliis fere omnibus κατὰ πόδας ſecuti ſunt Stoici: Iſte igitur mundum (teſte Euſebio) eſſe docet *Præpar. l. 15.*
πῦρ ἀείζωον *ignem ſemper viventem*; qui idem Deum definit *c. 13.*
τὸ κυκλοδικὸν πῦρ ἀΐδιον *circulantem ignem æternum.* Stoici itaque Dei οὐσίαν definiunt, quòd ſit πνεῦμα νοερὸν καὶ πυρῶδες *ſpi-* *Plut. de placit. l. 1. c. 6.*
tus igneus intelligenſque. Quin & Auguſtinus. *Stoici ignem* i.e. *De civit. l 8. c. 5.*
corpus unum ex his quatuor elementis, quibus viſibilis mundus his conſtat, & viventem & ſapientem & ipſius mundi fa-

 bricatorem,

bricatorem, atque omnium quæ ſunt in eo, eumq; omnino ignem
Athenag. legat. *Deum eſſe putaverunt.* Ζεὺς ὁ ζέουσα· οὐσία κατὰ τοὺς Στωικοὺς *Jupiter juxta Stoicos nihil aliud, quam fervida natura.* Quibus accedit Democritus νοῦν τὸν Θεὸν ἐμπυροειδῆ τὴν τοῦ κόσμου ψυχὴν *Mundi animam eſſe mentem ac Deum igneum dicens*, Unde & Servius
Æneid. 6. Ad Maronis illud *Æthereum ſenſum atque aurai ſimplicis ignem: Deum ſive ignem ſenſualem* πῦρ νοερόν, *per quod quid ſit rerum omnium anima oſtenditur*, & ſimiliter Pletho in Zoroaſtris Oracula τὸ ἴδιον πῦρ τὴν ἰδίαν θεότητα *proprium ignem eſſe propriam divinitatem* & rurſum πυρὶ δὲ τὴν θείαν φύσιν τὰ λόγια πάντα ὡς τὰ πολλὰ σημαίνει *per ignem plerumque hæc oracula* (Zoroaſtris) *Divinam naturam ſignificant.* Et hinc fortè natum protritum iſtud Hermeticorum effatum. *In Lumine Numen, & in Numine Lumen.* quia mentem univerſalem ſpiritum igneum & ſubinde luminoſum per cuncta
Biblioth. l. 1. meabilem eſſe æſtimarunt. Huc facit Diod. Sic. ubi veteres Ægyptios Ignem maximè ſecundum Solem & Lunam coluiſſe memorat. ut & quod de priſcis Germanis Cæſare traditum eſt, eos *Deorum numero ſolos duxiſſe Solem Vulcanum*
De bello gallico lib. 6. *& Lunam: reliquos ne famâ quidem accepiſſe:* in quo licèt lapſus fuerit, alii enim alia recenſuere Germanorum Numina, tamen hic effici poteſt Vulcanum *i. e.* Ignem præcipuum locum tenuiſſe.

Conſequenter autem animæ noſtræ ſubſtantiam igneam eſſe autumarunt, utpote quam non modo Dei ſimilem ſed Dei partem eſſe crediderunt. Uide Ariſtot. 1. de animâ c. 2. Δημόκριτος πῦρ τι καὶ θερμόν φησιν τὴν ψυχὴν εἶναι. ὁμοίως δὲ Λεύκιππος, ὑπολαμβάνοντες τὴν ψυχὴν εἶναι τὸ παρέχον τοῖς ζώοις τὴν κίνησιν *Democritus animam eſſe ignem quendam & calorem dicit, ſimiliter & Leucippus, quoniam illi autumant animam eſſe quod præbet animalibus motum.* Atque hinc Stoicorum quidam crediderunt animam non morti ſupereſſe, ſi quis ſubmergatur, aquâ nimirum ignem extingui, uti refert Servius in 1 Æneid. Unde & animæ atque igni communes loquendi formulæ, etenim dicuntur

dicuntur ignes perinde ac animas vivere, & viciſſim animantes extingui perinde ac ignem, flāmas vivas eſſe, & animas extinctas, quòd nempe eodē modo vivat & pereat anima, quo ignis.

Notandum autem eos ignem hunc etiam ſpiritum, & eundum cum reliquis Philoſophis duxiſſe, unde Stoicis paſſim definitur πνεῦμα πυρῶδες *ſpiritus igneus*, ſpiritum enim præ tenuitate appellarunt, ignem præ vigore. *Ut Deum ignem cenſerent, movit eos* (inquit nuperus porticûs antiſthes) *quod à calore aut igne omnem vigorem & vitam viderent; in ipſo etiam animo noſtro acrimoniam & ſenſum.* Sed verò Deum indiſcriminatim appellitant modo ignem, modo ſpiritum, modo ſpiritum igneum, & modò æthera, quem eundum eſſe cum veterum Calido teſtis ſit divinus Hippocrates, qui περὶ θερμοῦ ἀθανάτου & νοεροῦ locutus addit ὀνομῆναι μὲν αὐτὸ δοκέουσιν οἱ παλαιοὶ αἰθέρα & illud τὸ θερμὸν *mihi videntur priſci Philoſophi æthera vocitaſſe*; unde Stoici vulgo ætherem περὶ τοῦ αἴθειν *ardere* deducunt. Jam verò huic igni quicquid divinum eſt tribuerunt; ut Hippoc. τὸ πῦρ πάντα διὰ παντὸς κυβερνᾷ, καὶ τάδε καὶ ἐκεῖνα, *ignis omnia per univerſum regit & gubernat hæc & illa.* Et alibi apertiſſimè Δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοεῖν πάντα, καὶ ὁρῆν, καὶ ἀκούειν, εἰδέναι πάντα, τὰ ὄντα καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι *Videtur mihi id, quod calidum ſive ignem dicimus, immortale eſſe, & intelligere omnia, & videre, & audire, & ſcire omnia præſentia & futura.* Verum abundè perſpicuum eſt Hippocratem paſſim in ſcriptis τῷ θερμῷ quicquid Deo *Opt. Max.* tribuendum eſt, tribuiſſe, immortalitatem, juſtitiam, intelligentiam, providentiam, omnium gubernationem, mundi omniumque in illo animantium efformationem, &c. Quin & Pacuvius verſiculis, qui ſæpiuſculè Deo accommodantur, ſolum Stoicorum ignem deſcripſit

Lipſ. phyſ. Stoic. l. 1. diſſ. 6.

De princip.

L. 1. de Diæta.

De princip.

Quicquid eſt hoc, omnia animat, fovet, alit,
Auget, creat, ſepelit, recipitque in ſeſe omnia.

Omniumque

Omniumque idem est pater, in idemque eadem,
Quæ erunt de integro atque eodem occident.

*Et in oraculis Zoroastro afflictis

Εἰσὶ πάντα πυρὸς ἑνὸς ἐκγεγαῶτα

Omnia ab uno igne facta sunt.

In Lycophron. Quò cedit Tzetzis fabula Ἀθηνᾷ τινὶ βασιλίδι, τῇ ϗ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ ϗ Βροντέως ὑπαρχούσῃ Ἥφαιστος γάμῳ μιγεὶς, γεννᾷ Ἐριχθόνιον. *Minervæ Reginæ cuidam dictæ etiam Belonicæ, Brontei filiæ, Vulcanus, cum eam uxorem duxit, permixtus genuit Ericthonium*; quibus symbolicè ostenditur terram ignis sapientis seu artificiosi prolem esse. Cæterum Stoici ignem istum mundi & omnium quæ in eo sunt conditorem esse ubique vociferantur, ut Stoicus apud Ciceronem *Zeno igitur ita* 2 De Nat. Deor. *Naturam definit, ut eam dicat esse ignem artificiosum ad gignendum progredientem via. Censet enim artis maxime proprium esse creare & gignere: quodque in operibus nostrarum artium manus efficiat, id multò artificiosius Naturam efficere, id est, ut dixi, ignem artificiosum, magistrum artium reliquarum. Atque hac quidem ratione omnis Natura artificiosa est, quòd habet quasi viam quandam & sectam, quam sequatur. Ipsius vero mundi, qui omnia complexu suo coercet & continet, natura non artificiosa Solùm sed planè artifex, ab eodem Zenone dicitur consultrix, & provida utilitatum opportunitatumque omnium.* Atque inde Jovem Solum aut ignem, spiritumve Æthereum generali mundi conflagrationi superesse volunt, Epist. 9. ut Seneca *Jovem, resoluto mundo, & Diis in unum confusis, acquiescere sibi.* Heraclitus & Hippasus Metapontinus *om-* Plut. de plac. l. 1. c. 3. *nium* perhibuerunt ἀρχὴν τὸ πῦρ, ὅτι ἐκ τούτου τὰ πάντα τέλος ϗ, ὅτι καὶ εἰς τοῦτο ἀναλύεσθαι τὰ πάντα *Ignem principium esse, quia ex eo na-*

scantur

ſn tur omnia, & omnium finem, quia in eum omnia reci-dent. Et Cleanthes *omnia peritura : Jovem autem* ἐξομοιοῦσθαι πάντα ἑαυτῷ καὶ μεταβαλεῖν εἰς ἑαυτὸν *Adſimilare omnia ſibi & in ipſum vertere.* Stoicis placet (inquit Numenius) ἐξαιρεῖσθαι πάντα κατὰ περιόδους τινὰς τὰς μεγίστας, εἰς πῦρ αἰθερῶδες ἀναλυομένων πάντων *Omnia evaneſcere & perire poſt longiſsima ſpatia, omnibus in æthereum ignem reſolutis.* Dein Laertius ὃς δὴ ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως, ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν. *Qui eſt incorruptibilis & ingenitus, conditor hujus mundi, abſumens in ſe omnem eſſentiam, rurſumque ex ſe generans.*

Plut. de commun. not.

In Zenone.

Quod ad Platonem & Ariſtotelem ſpectat, quænam illorum de Diis opinio fuerit, hactenus ambiguum eſt, quippe ſibi ſemper inconſtantes modò unâ ratione definiunt, modò alterâ. Et imprimis Plato Socratis fato perterritus, quicquam de Deo definire timuit, Socratem enim, quòd palam & liberè receptos vulgi ritus, & fabuloſa de Diis commenta increpaſſet, *Areopagus* capitis damnaverat; Cujus fato ſectatores moniti aut ab omni de Diis ſermone abſtinuerunt, uti de Xenophonte tradit Clem. Alexand. apertè de Deo eum locutum fuiſſe εἰ μὴ τὸ Σωκράτους ἐδεδίει φάρμακον *niſi Socratis timuiſſet pharmacum :* aut non niſi caute admodum & involutè quicquam de Deo ſtatuerunt; ut ſanè ambiguum ſit num à Socratis diſciplinâ an ab ejus fato profluxerit cauta Platonis totiuſque Academiæ Philoſophia ; & propterea Plato ne fabuloſa commenta aſpernari ſuſpectus eſſet, ea ſcriptis ſuis ubique inſeruit. Uti ſcribit Juſtinus *eum Socratis exemplo perterritum veneni metu variam atque fucatam de Diis inſtituiſſe orationem, & veritatem fabularum involucris obduxiſſe* ; & (quemadmodum loquitur Clem. Alexand.) *per vulgi linguam locutum fuiſſe.* Sed & Proclus ipſe monuit Platonem fabulas in Protagorâ inſeruiſſe τῆς πολιτικῆς ἕνεκα *civilis diſciplinæ cauſâ.* Et Demceps τῆς Πλά-

In protrept.

Paran. 1.

Stromat 16.

In Plat. Theol. l. 1. c. 6.

Cap. 7.

τωνα ..

τωνα πανταχοῦ μὲν τοὺς περὶ Θεῶν λόγους ἐπιμελῶς τῇ παλαιαῖς φήμαις μετιέναι *Platonem ubique de Diis sermones sequentem antiquos rumores effecisse.* Atque hinc illius cum inconstantia, tum obscuritas. Ut quanquam fabulosam omnem Græcorum Theologiam, tanquam fœdissimam & indignam, quæ hominum auribus occinatur, penitus à suâ republ. arceri voluit; tamen in Timæo iisdem fabulis fidem haberi oportere statuit, tùm quòd Deorum nepotes, qui majorum suorum res optime noverint, eas tradiderant, tum quòd sic leges decreverant, ἑπομένους τῷ νόμῳ πιστευτέον. Unde eum vellicat Velleius Epicurei personam sustinens apud Ciceronem. *Plato in legum libris quid sit omnino Deus inquiri oportere non censet, tamen in Timæo sine corpore ullo Deum vult esse. Idem tamen in Timæo & in legibus & Mundum Deum esse & cœlum, & astra, & terram, & animos, & eos quos majorum institutis accepimus: quæ & per se sunt falsa perspicue, & inter sese vehementer repugnantia.* Quod & de Platone monuit Eusebius Πλάτων ὅτε μὲν τὴν οἰκείαν ἀπογυμνοῖ προαίρεσιν, τολμηρότερον ἀπαγορεύει καθόλου περὶ θεῶν τοιαῦτα φρονεῖν τε καὶ λέγειν, διὰ τοῖς παλαιοῖς εἴρηται· ὅτε δὲ τοὺς νόμους ὑποκορίζεται, καὶ δεῖν φησὶ τοῖς περὶ θεῶν μύθοις πιστεύειν *Plato si quando suam ipse mentem ac sensum aperiat, tum verò majori cum libertate prorsus interdicit, quò minus ea, quæ à veteribus decantata olim fuerant, de Diis imposterum sentiantur; ubi autem ad leges sese homo meticulosus accommodat simul jactatis de Naturâ Deorum fabulis habendam esse fidem pronunciat.* Cæterum de illius obscuritate, cum de Deo disserit nihil attinet dicere, cum sua omnia effata, tam cum de rebus quibuscunque aliis quàm cum de Deo agitur, allegoriis & fabulis obvelare affectavit. Nisi quod hoc unicum advertere libeat, librum, qui inscribitur Parmenides, quique ipsius Procli censurâ ὅλον καὶ τέλεον τῆς θεολογικῆς ἐπιστήμης φῶς ἀνάπτει τοῖς τοῦ Πλάτωνος ἐρασταῖς. *Universum & perfectum theologicæ scientiæ lumen accendit Platonis amatoribus*, involuto, ænigmatico, obscuro ne dicam ridiculo dicendi genere scriptum esse,

De Nat. Deor. lib. 1.

Præpar. l. 2. c. 6

In Platon. Theol. l. 1. c. 7.

ut

ut herclè mihi ſæpius & attentius perlegenti potius Chaos verborum quàm Philoſophi diſſertatio videatur.

Cæterum ut dicam, quid revera Plato cenſuerit, Imprimis geminum *Numen*, ut & *mundum* finxiſſe videtur, Viſibile alterum, nempe hunc mundum, alterum intellectuale prioris authorem, unde in Timæo ὁ θεὸς ἐπιστάμων ἅμα καὶ δυνατὸς τὸν αὐτάρκη καὶ τελεώτατον θεὸν ἐγέννα. *Deus intellectualis & potens Deum ſibi ſufficientem & perfectiſſimum genuit* i. e. mundum, latè enim docet mundum hunc undiquaque abſolutum eſſe, quatenus ad Ideam *mundi intellectualis* ipſiuſve Dei perfectiſſimi fieret. Quin & hoc primarium, illud ſecundarium Numen ſtatuerit, ut ſcitè Origenes, cum quid Stoici & Platonici ſuper hâc re ſentirent, & quo pacto diſcreparent narrare velit, Σαφῶς γὰρ inquit τὸν ὅλον κόσμον λέγουσιν εἶναι Θεόν, Στωϊκοὶ μὲν τὸ πρῶτον, οἱ δ' ἀπὸ Πλάτωνος τὸ δεύτερον. *Certè totum mundum Deum eſſe dicunt, Stoici quidem primarium, Platonici vero ſecundarium.* Plato autem principalem ſupremumque Deum extra mundi hujus pomæria abegit, & ἐν ἀκροτάτῃ κορυφῇ *ſupra vertiginem Cæli habitare, extraque Cæli Soliſq; vias* regnare prædicavit, ut de eo Juſtinus, dicit ἐν τῇ πρώτῃ τῆς ἀνωτάτω τοῦ οὐρανοῦ ἀπλανεῖ σφαίρᾳ τόν τε πρῶτον Θεὸν καὶ τὰς ἰδέας εἶναι. *Principem Deum & Ideas eſſe in primo ſupremi Cæli eoque immobili orbe.* Unde Martianus Capella ad Platonis mentem canit

Contra Celſ. lib. 5.

Cohort. ad Græcos.

Ultramundanum fas eſt cui cernere Patrem
Et magnum ſpectare Deum.

Quemadmodum (uti author eſt Porphyrius) Oraculum Apollinis interrogatum quomodo Deus ſit invocandus, formulæ, quam præſcripſit, hoc exordium fecit

Ἀθάνατε, ἄρρητε, πάτερ αἰώνιε, μύστα

Κόσμων ἀμφιδρόμων ἐποχούμενε, δέσποτα γαίτοις
Αἰθερίοις.

Immortalis, ineffabilis, pater æterne, Sacrosancte,
Super mundis circumvertentibus invecte, Imperator su-
Cœlorum circumvecte. (*pra dorso*

Et Alibi

Ἔσθ' ὑπὲρ οὐρανίου πυρὸς ἄφθιτος αἰθομένη φλὸξ,
Ζωογόνος, πάντων πηγὴ, πάντων δὲ καὶ ἀρχή.

Est supra Cælesti igne incorruptibili ardens flamma
Vitalis, omnium fons, omnium quoque principium.

Quid autem de Deo senserit Aristoteles haud mediocriter ambiguum est, nisi quod perspicuum sit eum Numen summum intra Cœlos alligasse, (1 De Cœlo c. 9.) εἰώθαμεν inquit τὸ ἔσχατον καὶ ἄνω μάλιστα καλεῖν οὐρανὸν, ἐν ᾧ τὸ Θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαι φαμέν. *Consuevimus ultimum ac superum corpus appellare Cœlum; in quo totam divinitatem dicimus habitare.* Et alibi (Cap. 3.) præcipuum argumentum, quo Cœli immutabilitatem adstruit, inde arcessit, quod Dei locus seu domicilium sit. πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θεῷ τόπον ἀποδιδόασι, καὶ Βάρβαροι καὶ Ἕλληνες, ὅσοιπερ εἶναι νομίζουσι Θεοὺς, δηλονότι ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον: ἀδύνατον γὰρ ἄλλως. *Omnes eum, qui supremus est, locum Deo tribuunt, & Barbari & Græci, quicunque putant esse Deos, tanquam videlicet immortali immortale coaptatum sit, impossibile enim aliter.* Hanc porrò Aristotelis mentem docet Plutarchus. (De placit. l. 1. c. 7.) Ἀριστοτέλης τὸν ἀνωτάτω Θεὸν, εἶδος χωριστὸν ἐπιβεβηκότα τῇ σφαίρᾳ τοῦ παντὸς *Aristoteles vero Deum supremum aiit esse speciem separatam, quæ insistat globo Universi.* Unde Atticus apud Eusebium Ἀριστοτέλης μέχρι σελήνης στήσας τὸ Θεῖον, τὰ λοιπὰ τοῦ κόσμου μέρη περιέγραψε τοῦ

Θεοῦ

θείας προνοίας. *Aristoteles Numen ad lunam usque collocans, reliqua Mundi excludit à providentia. Quod etiam libro de placitis memoratur* l. 2. c. 3. Quid autem porrò statuerit, hactenus fere omnes ipsius interpretes hæsisse videntur, quod nempe plerumq; secum ipse dissideat, & sibi contradictoria statuat, modò apertissimè Cœlum κατ' οὐσίαν *animatum* esse statuit, modo ibi *substantias seperatas* posuisse videtur, adeo ut ejus interpretibus nulla supersit eum sibi conciliandi via, nisi utrunque agnoscendo nempe in Cœlis esse tum animas *informantes* tum intelligentias *adsistentes:* sed utcunque fuerit, indubium est eum passim Cœlum non modo animatum, sed & Deum esse statuisse: Quippe in libris de Coelo sexcentis locis Cœlum ἔμψυχον esse, & eodem modo quo animalia μετέχειν ζωῆς, &c. expressè asserit. Atque Cœlum Deum esse quid disertius dici potuit, quàm quæ legimus lib. 2. de Cœlo cap. 3. Ἕκαστόν ἐστιν ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου. θεοῦ δὲ ἐνέργεια ἀθανασία· τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος. ὥστε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. ἐπεὶ δὲ οὐρανὸς τοιοῦτος. σῶμα γὰρ θεῖον· διὰ τοῦτο ἔχει τὸ ἐγκύκλιον σῶμα, ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί. *Unumquodque eorum quorum est opus, id est operis causâ. Dei vero operatio immortalitas est: hoc autem est perpetua vita. Quare Deo perpetuum inesse motum necesse est. Cum vero Cœlum sit tale (est enim corpus Dei) eò corpus habet rotundum, quòd naturâ semper in orbem movetur.* Quasi planè dixerat necesse est Cœlum circumferri, quia ejusmodi motus Deo necessariò conveniat. Cui quidem (ut hoc obiter moneam) in hoc dogmate præivisse Zabaistas primos istos, quoad novimus, Idololatriæ Authores & patronos author est Maimonides, *summus autem gradus,* inquit, *ad quem philosophi* (Zabaistæ) *illius temporis in speculatione suâ pervenerunt, fuit, quod existimarunt Deum esse spiritum sphæræ vel orbis cœlestis, orbes cœlestes & planetas esse corpora, & Deum Opt. Max. esse spiritum illorum; Ideo omnes Zabaistæ crediderunt antiquitatem mundi, quia cæli juxta illos sunt Deus.* Et fortè eâdem ratione *More Nevoch. l. 3. c. 29.*

 Cœli

Cœli æternitatem asseruit Aristoteles: quoties enim libris de cœlo ingeritur, unum & Solum cœlum esse, quod sit ἀγένητον ϗ ἀΐδιον ingenitum & sempiternum? His denique postmodum (si fides primævis Ecclesiæ patribus habenda sit) Gnostici, aliiq; Hæretici accesserunt, qui innumeros cœlos fingentes, Omnium Supremum *Deum Opt. Max.* esse autumarunt.

Hactenus quid de Deo statuerit Gentilium philosophorum theologia rudi. fortè & perturbatâ methodo exposuimus; non modò quòd brevis admodum spatii opus fuerit, Sed & quòd præsentis sit instituti potiùs rem strictim monere, quàm plenè & accuratè pertractare: ætati enim nostræ sat duximus istam monuisse; ita tamen ut in animo sit eandem posthac fusiùs, clarius, & accuratiùs, disserere,

Si me fata meis patientur ducere vitam
Arbitriis.

CAP. III.

Plerumque Gentilium Theologiam Historicam *perperam & temerè* Sacræ Historiæ *accommodari.*

QUemadmodum hactenus modestè eos increpare conatus sum, qui omnem Gentilium Theologiam Physicam ad Deum *Opt. Max.* perperam referre seu potius detorquere satagunt; ita porro obiter liceat & alios verecunde reprehendere, quotquot scilicet illorum Theologiâ historicâ ad Sacram Historiam traducendo abutuntur, & quicquid fabularum Græcia commenta est è veritatis fonte exhauriri volunt. Quippe decurrentis jam seculi initio circiter aut superioris excidio inter eruditos vigere cepit aut potius revocari mos vetustiorem Græcanicam Theologiam ad Historiam S. Codice cõprehensam referendi, quasi inde rapaces Græculi pleraque

sua

ſua ſurripuiſſent, aut ſaltem quaſi ibi extarent omnia primæ πολυθεότητος veſtigia. Huic viæ, quantumcunque alii de illius inventione ſeu revocatione ſibi plaudant, primus inſtitiſſe videtur *Sandfordius* aut *Parkerus* Noſtrates in eruditiſſ. libro de Deſcenſu Chriſti ad Inferos, Quem à Sandfordio inchoatum abſolvit Parkerus. Sed quicunque primus auctor extitit, eam poſtea inſigniter nobilitarunt Veneranda *Scaligeri*, *Seldeni*, *Bocharti*, *Grotii*, *Voſſii*, aliorumque doctiſſimorum nomina, qui impenſiſſimo ſtudio hujuſmodi *Philologiæ* rationem adornarunt; inde fit ut ſi quis inter *Philologiæ Antiſtites* nomen ſuum recenſeri affectaret, ſeſe protenus accingeret res *Græcanicas Hebraicis* quoquo modo accommodare. Cujus affectationis ſcabies eo uſque indies invaleſcit, ut niſi liberè & maturè cohibeatur, verendum ſit ne demum ridicula & nugax facta in immenſum ſerpat; etenim ſicubi advertatur vel fortuita vel longè admodum petita ſimilitudo inter Hebraicam veritatem, & Græcorum commenta, εὕρηκα εὕρηκα protenus conclamatur, quaſi nihil in Græciâ reperiri potuit niſi ab Hebræis deductum. Quin & non longè impari ſucceſſu alii aliarum Gentium ſacra & facinora pariter Hebræorum geſtis aptare moliti ſunt; Veterem Phæniciam & Judæam in ſuam quiſque patriam tranſcribere conatur; Hic in Galliam, in Germaniam ille, alter in Britanniam, in Hiſpaniam alter, adeo ut demum Palæſtina ſit totus orbis evaſura. Sed verò *Celticam Theologiam*, quam vocant, *i. e.* veterum Hiſpanorum, Illyricorum, Germanorum, Gallorum, Britannorum, &c. miſſam facio, utpote quam à longe & nimis anxiè è Paleſtinâ petitam eruditiores ubique repudiant; & pauca Solùm de Græcanica adnotare pergam, ut brevi oſtendam incertam, precariam, & prorſus commentitiam eſſe poſſe analogiam, quam pleriſque ad Hebraicam gerere videtur.

1. Imprimis itaque analogia, quam videre ſibi videntur, fortuita eſſe potuit. An non facilè evenire potuit ea Poetas comminiſci, quæ aliquo pacto rerum, quas prorſus neſciverant, ſimilia

ſimilia ſint? An non Græcorum hiſtoria fortuitò cum Hebraicâ quodammodo concinere potuiſſet? Immo potius vix fieri potuit, quin talis intercederet ſimilitudo, qualem ad Analogiam deducendam arripere ſolent, uti mox liquebit. Hinc facile eſt analogiam eruere, ubi nulla antea deſignata fuit. Ita primos fabularum inventores mythologicam Philoſophiam ſub illis non deſignaviſſe tum alibi ſubinnuimus tum acriter contendunt *Viri Docti*, adverſus quos jam diſputatur & tamẽ quàm mirabili concinnitate eas rebus phyſicis accommodant *Mythologi*, neq; minùs accuratè cum iis quàm cum ſacrâ hiſtoriâ quadrare videntur: exemplo ſit Saturni fabula. Hunc Cœlum genitorem execuiſſe & filio Jove exectum fuiſſe fabulantur Poetæ, *inquiunt Mythologi*, quoniam Saturni ſphæra Cœli influentiam, quæ vis illius ſeminalis videtur, excipit, & deorſum demittit; & ſic pariter Jupiter Saturni influentias:

Porphyr. de antro Nymph.

τὰς μὲν δυνάμεις ἐξ οὐρανοῦ δέχεται Κρόνος· τὰς δ' ἀπὸ τοῦ Κρόνου Ζεὺς *quoniam virtutes Cœli generatrices Saturnus. Saturni deinde Jupiter excipit.*

Cic. de N. D. l. 2

Natos commeſſe fingitur, quia conſumit ætas temporum ſpatia inquit Stoicus. Bella adverſus Cœlum

Porphyr. de antro Nymph.

geſſit, quoniam πρῶτος τῶν ἀντιφερομένων τῷ οὐρανῷ ὁ Κρόνος ἐστὶ, καὶ ἡ τούτου σφαῖρα *Saturnus ejuſque orbis primus eſt eorum, qui contra Cœlum moventur.* Vinctus eſt à Jove, quoniam Jovis ſphæra illius curſus intra propriam ſphæram coercet. Fœdus iniit cum Titano (quo Sol deſignatur) ut natos omnes devoraret, quo innuitur tempus cum Sole conſpiraviſſe, ut omnia, quæ naſcuntur, ad interitum redirent, & demum in principia ſua interirent. Quòd ſaxum evomuerit, quid aliud innuit, quàm Naturam è demortuis res alias demum conficere: & tandem fingitur à Jove (qui illius immanitatem evaſerat) in Tartarum præcipitari, quoniam ſublimia & Cœleſtia, utputa ab omni mutatione immunia, vim temporis effugiunt, eamq; ad inferiora mutationi ſcilicet obnoxia demittunt; Alia hujuſmodi videſis apud *Porphyrium de Antro*

tro Nympharum. Ex his ſatis videre eſt quam facile ſit ex re qualibet argutas & jucundas analogias exculpere. Inſuper prætereo cæteras accommodationes quas mire traxere *Aſtrologi*, *Ethici*, *Chymici* ad ſuam quiſque diſciplinam, quæ cum accuratæ ſatis videantur, ex quibus quid ſequatur, ſi taceam res ipſa loquitur, ingenii acumen analogiam eruere poſſe, ubi non inveniat? Mirum tamen voluptati ſemper fuiſſe eruditis ingenioſe nugari! Ita porrò veterum nonnulli in Noachi ebrietate mortem Chriſti ſymbolicωs præſignatam fuiſſe nugantur; & *Vinum*, *Chamum*, *Japhetum*, *Veſtimentum*, quàm optimè ad *Crucem*, *Judæos*, *Gentes*, *Sacramenta* accommodari arbitrantur: Et quantâ oſtentatione Kercherus iſte ænigmatum, utut ſeſe *Oedipum* jactat, revera *Davus*, ex Ægyptiorum Hyeroglyphicis totius Chriſtianiſmi myſteria exſculpſiſſe gloriatur. Quid quod ad alias quaſcunq; hiſtorias pari ſimilitudine atq; ad Sacras prædictæ Græcorum fabulæ accommodari poſſent, Sic *Cl. Bochartus* de Saturno fabulas ad Noam reduxit, quæ quidem accommodatio tametſi præ aliis veriſimilior ſit, tamen aliæ ad res admodum alienas neque magis coactæ aut incongruæ effingi poſſent, v. g. Si Saturnum cum Guilielmo Normanico ſeu Conquæſtore dicto, orbis Brittannici devictore (à quo vulgò recenſetur Regum noſtratium ſeries) componamus, ſuppar facilè cum illâ *Bocharti* prodibit analogia. Ut Quòd Saturnus Oceano ortus dicatur, perinde de *Guilielmo* explicari licet, qui huc claſſe tranſvectus è mari, ut olim Argonautæ, emerſiſſe videbatur; ac de *Noâ*, qui è diluvio evaſerat. Ut Saturnus Terræ maritus habetur, quoniam Noah vir Terræ dicebatur: ſic quoniam Guilielmus Haroldo filiolam deſponſaverat, ſub conditione ut terrâ Britannicâ potiretur: at ſeculis longè ſubmotis factâ Patris & filii Metatheſi Gulielmum pro Haroldo poſuerunt, atque ita iſtum hujus natam duxiſſe Solùm terræ Britannicæ potiundæ cauſâ, unde in diverbium abire potuit

eum

eùm terram Britannicam desponsavisse. *Neque mirum est* (Vossiana verba agnosce) *si in seculis tam longè remotis antiquitas patris & filii nomina confuderit*; Mihi autem liceat suâ ipsorum licentiâ uti : quippe crebrò in suis analogiis filium pro patre commutant, vicissimq; pro filio patrem; nepotes itidem pro avis, & avos rursus pro nepotibus. Patrem Saturnus devicit & imperio abrogavit, sic Guilielmus Haroldum (cujus ob filiam ei desponsatam filius credebatur :) Patrem ebrietate oppressum devicit Saturnus, nempe quoniam Haroldi milites noctem ante prælium insomnem vino ingurgitando ducentes imparati prælium conseruerant, & subinde victoriâ exciderant. Justitiâ celebris Saturnus, Guilielmus quoque tantoperè justitiam coluisse dicitur, ut puellæ cuivis manu loculos auro plenos portanti liceret per totius regni ambitum latronum securæ itinerari. Saturno imperante aurea effluxit ætas, quia Guilielmi ætate facta ab Historiographis ingentis auri copiæ mentio, *tanta erat ut nostri seculi æstimationem superaret fulvi aggeries metalli* inquit Malmsburiensis, aut quòd de eo dicatur, quòd provincias suas *pecuniâ emulgeret*, id enim vocabulum propriè sumptum fabulæ de aureâ ætate ansam præbere potuit. Quemadmodum Saturni uxor ab eo Jovem subduxisse perhibetur; ita Matildis Gulielmi uxor filio Roberto, quem subigere moliebatur Gulielmus, suppetias tulisse fertur. Filius ejus Robertus modo pro patre bella gessit, modò in eum vexilla sustulit, & prælio quodam Gulielmi patris equum confodit, ab eoque illum dejecit; sic Jupiter nunc pro patre adversus Titanas stare, nunc in patrem pugnare fertur. Adjice quòd Guilielmus dum bellum gereret in Philippum Regem Galliæ, quem filius suus Robertus adversus se excitaverat, forte præruptam fossam sonipes transiliens, ventrem inferiorem parte sellæ eminente sauciaret, ex quo vulnere postea mortuus; & hinc fabula Jovem Saturnum castravisse, regno depulisse, & in Infernum detrusisse. In Philippum Galliæ regem pugnans cum diu æger

De Idol. l. 1. c. 18.

De gestis Reg. Angl. l. 3.

æger Rotomagi commoraretur, Philippus in eum (quoniam præ obæsitate protuberaret venter) jocari fertur, quòd scilicet gravidus more fœminarum parturientium cubili hæreret, seque mirari quando tandem esset pariturus, hinc verisimilis satis fabulæ locus de Minervâ è patre procreatâ: & hujusmodi reliqua. Aliquantò fortasse accuratiùs accommodatur *Cl. Bocharti* comparatio, industriâ enim summâ, vel minimum, quicquid potuit, exsculpsit. Cæterùm haud dubito si plures Guilielmi Historiæ Scriptores percurrerem, si altiùs de illius gestis meditarer, si in linguas Saxonicam, Gallicam, Normanicam, Wallicam disquirerem, ut inde analogias expiscarer, quin parem similitudinem in eâ, ac in *Bocharti* accommodatione reperitur, explicarem. Neque quidem hoc specimine usus sum, quòd aliis accommodatius videretur, sed quoniam in familiari hâc de re sermone fortè & ultrò mihi excidisse memini: Neque enim ineptius Saturnum in Julio Cæsare contuemur, cui nempe (ut reliqua omnia prætercam) à filio victo, quod innuit decantatum istud καὶ σὺ τέκνον, successerunt tres nati, in imperio nimirum hæredes; quorum alter occisus Orco, ut olim Pluto, demittitur, alter Antonius nempe ad Oceanum classe aufugit, qui exinde Neptunus evasit; Augustus autem quoties tanquam Jupiter *Terræ Cœlique Dominus* audit? Cum autem fabulæ de Saturni filiis tria mundi imperia inter se partientibus historiam trium Noæ filiorum occasionem dedisse dicitur; an non multo verisimilius à Græcanicâ historiâ valdè temporis decursu ampliatâ oriri videatur; scil. quòd in divisione paterni Imperii Jovi contigisset regio Orientalis, in quâ mons Olympus, Neptuno regio maritima, Plutoni Occidentalis, hinc subsequentibus seculis fabulæ locus, Jovem Cœlo, Neptunum Oceano, Plutonem Inferno præesse? Et facile quidem opinor Poetas fabulas omnes de rebus propriæ gentis confinxisse, & non aliunde pro iis materiam petiisse, Non enim probabile est ut missis propriæ nationis rebus gestis, aliena adaugerent.

Cæterum ut revertar, quàm facilis negotii foret non modo diversarum gentium historias sed & ipsas fabulas pari concinnitate ad invicem adaptare! quàm bellè conveniunt Davidis cum Philistæo pugna, & M. Valerii cum Gallo, quomodo describitur Livio *l.7.c.26.* Val. Maximo *l.3.c.2.* Sic porrò Hercules & Bacchus quanquam diversi habeantur, tamen quàm mirificè consociantur in Antipatris quodam Epigrammate

Ἀμφότεροι Θήβηθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταὶ
 Ἐκ Ζηνός· Θύρσῳ δεινὸς ὁ δὲ ῥοπάλῳ,
Ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συντέρμονες εἴκελα δ' ὅπλα,
 Νεβρὶς λεοντῆ κύμβαλα δὲ πλατάγη,
Ἥρη δ' ἀμφοτέροις χαλεπὴ θεὸς εἰ δ' ἀπὸ γαίης
 Ἦλθον ἐς ἀθανάτους ἐκ πυρὸς ἀμφότεροι.

Vertit Athanas. Kircherus

Ambo Thebani, gnati Jovis, ambo strategi,
 Hic clavâ gaudens, Thyrsiger alter ovat.
Ambo triumphantes variis armisque, columnisque,
 Hic cervi exuvias ille leonis habet.
Utrique æra crepant; Juno grave Numen utrique,
 E terra ad superos ignis utrumq; tulit.

Fortuitæ autem hujus analogiæ aliud argumentum esse potest, quod diversi diversis modis analogias instituant, hic ad unam narrationem, ille ad alteram refert. v. g. Saturnum ad Noam referunt alii, alii ad Adamum, alii ad Abrahamum, unde quid justius effici par est, quàm similitudinem Saturni ad singulos prorsus esse fortuitam? quippe inde liquet Noam & Adamum fortuitò similes extitisse, quidni igitur Noah & Saturnus? Hinc porro eâdem viâ aggressus est Doctiss. Dickensonus

Vide Vossium de Idol. l.1.c.18

kenſonus Joſuam ad Apollinem aptare, quâ *Cl. Voßius* eundem in Herculem transformare conatus eſt. Sic Noam cum Saturno, cum Baccho, cum Jano, Deucalione, Prometheo, Oſire (& quo non?) concinere autumant, Janus idem ac Noe, ac Japhet, ac Javan eſſe perhibetur. Bacchus tum ad Moſem, tum ad Noam refertur. In Plutone Semum cultum fuiſſe contendit Bochartus, Voſſius autem è contra Chamum: Quibus innumera ejuſmodi nullo negotio adjicere liceret, è quibus ſatis conſtat nullam hiſce analogiis ineſſe certitudinem, ſed incertas eſſe omnes & planè ambiguas, & quales in quamlibet partem verti, & ad quodlibet ferè pariter accommodari poſſent.

Delph. Phœnicis. de Idol. l. 1. c 26.

2. Adeo infinitæ eſt varietatis Græcorum de Diis & Heroibus hiſtoria, ut impoſſibile ferè ſit, quin aliquid in quâque narratione facilè erui poſſit, quod ad hiſtorias quaſcunq; alias analogiam gerat: ſcilicet imprimis varia multorum facinora in unam aliquam perſonam aut nomen congeſſerunt, ita ex multiplici hiſtoriâ unam pertexentes; Sic Saturni nomen quàm plurimis olim commune erat, ut libro de æquivocis, qui Zenophontis nomen præ ſe fert, perhibetur Saturnos cognominari quotquot urbium extiterunt extructores; quorum omnium variæ hiſtoriæ in unam conflatæ, non poſſent, quin maximam rerum geſtarum varietatem exhiberent, adeo ut cuique quodammodo accommodari poſſet tam varia hiſtoria, imo vix fieri poteſt, quin multa haberet, quæ cuique urbis aut gentis Conditori facile conveniant. Quod & de aliis omnibus dicendum eſt, ſic Reges omnes, qui cæteris dignitate & potentiâ antiſtarent Jovis nomine gaudebant, imò Δίας οἱ παλαιοὶ πάντας ἐκάλουν τοὺς βασιλεῖς inquit Iſacius. Sic porro ab uno Hercule robuſti omnes Hercules appellantur, à Mercurio quotquot facundiâ eximii fuere Mercurii dicti ſunt, à Marte Martis cognomine inſigniti ſunt Duces & fortiores quique Milites, quemadmodum ab uno *Julio* Imperatores Romani tanquam in nominis auſpicium *Cæſares* appellantur;

Nn 2 hinc

hinc de pluribus ſub eodem nomine toties legimus, ut de Hercule Ægyptio Gignone vel Gigone dicto, Argivo, Tyrio, Cretico, Thebano, Indico, & aliis ad numerum 44. quos recenſet Varro: de Jove Ægyptio, Arcadico, Cretenſi, Athenienſi, aliiſque, Varrone enim *trecenti Joves* enumerantur: De Sole altero Ægypto nato, altero Rhodi, altero Colchide: De Vulcano Athenienſi, Ægyptio, Lemnio: De Mercurio uno Cœlo patre & Die matre nato, altero Valentis & Phoronidis filio, tertio Jovis Tertii & Maiæ Nymphæ nato, quarto qui Nilo patre natus eſt quinto Thoith ab Ægyptiis appellato, quem colunt Pheneatæ: De Apolline Athenienſi, Cretenſi, Arcadico, &c. De Marte Thracio, Gretico, Germanico, Latino, Aſſyrio, de tribus (ne omnia proſequar) Dianis, quinque Bacchis, quinque Minervis, & ſimiliter de reliquis: Jam vero omnia tot Heroum facinora in unum aliquem congeſta tantam varietatem exhiberent ut cuivis nullo negotio aptari queant.

Accedit quod Græci narrationes aliquas, quibus deinceps alias ſuæ gentis intertexerent, ab exteris nationibus ſuffurati fuerint; quòd & ipſæ etiam mutua inter ſe latrocinia exercuerint; Egypti à Chaldæis & Phœnicibus ea ſurripientes, Chaldæi à Phœnicibus & Egyptiis, & deinceps Phœnices fortè ab utriſque, quæ rebus geſtis propriæ gentis apponerent. Hinc viri egregii omnes fere omnium fuere gentium, ut de Jove refert Pauſanias, quòd arduum foret gentes ſingulas recenſere, quæ Jovem apud ſe natum gloriarentur. Quin & in ipſis Græciæ anguſtis Rebuſpub. quæque peculiares Deos & Heroes ſibi aſſerebat, quibus omnia aliorum geſta adſcriberent, Argivi, Sycionii, Arcades, Lacedæmonii, Athenienſes, omneſq; vicinæ inſulæ, & quæque pœne Græciæ civitas. His poſtmodum accedentes Poetæ non modo veritatem Hiſtoricam temeravere, ſed etiam fabularum immenſam colluviem adfinxerunt, quâ Demum invaleſcente cacoethiâ quiſque pro ingenio aut libidine nova

In Meſſeniacis.

ſubinde

ſubinde portenta adjecit, uſque dum in immenſum excreverant: quos exceperunt Philoſophi, qui hiſtoricorum narrationes & Poetarum fabellas in unum permiſtas pari licentiâ myſtico, ſymbolicove ſenſu de Rebus Phyſicis interpretati ſunt: & mortalium vocamina ad naturalia accommodavere: ſic quinque Heroes Soles cognominatos memorat Cicero, *De N.D.l.3.* quorum poſtea geſta omnia Soli Naturali attributa fuerant. Sic *Jupiter Ætheri, quem coluit, avi Urani cognomen, & terra aviæ Telluris indidit,* quod refert Ennius in Lactantio. *L.1.c.11.& 22* Quod ſimiliter de Phœnicibus tradit Philo Biblius ἐξαιρέτως ἀπὸ τῶν σφετέρων βασιλέων τοῖς κοσμικοῖς στοιχείοις τὰς ὀνομασίας ἐπέθεσαν. Cum autem quæ hiſtoricè, quæ fabuloſè, quæ myſticè dicta ſunt, in unum confudiſſent alii, veritatem ipſum penitus obliterarunt, adeo ut nihil de illis certi ſtatuere liceat. Quippe Poetæ, quotquot, poſteaquam Philoſophis cæptum eſt fabulas myſticè interpretari, vixerunt, omnia adhuc fœdius corruperunt, rerum enim omnium omnes facultates perinde ad fabulas traducebant, ac Philoſophi prius fabulas ad illarum analogiam traduxerant, ita ex ratione Phyſicâ ingens ſtatim naſcitur fabularum ſeges, rerum enim proprietates multiplicem iis materiam facile ſuppeditarent: ſic cum ſemel Junonis Nomini Aërem ſubeſſe voluiſſent Philoſophi, Poetæ ſtatim quicquid Aëri competebat de Junone fabulari ceperunt. Atque ita demum hiſtorias multiplices ad invicem confundendo, hiſtorias fabulis interpolando, utraſque Philoſophiâ commiſcendo, & huic farragini novas ſubinde fabulas inducendo, noviſque tandem mythologiis omnia incruſtando, ita omnia temeravere, ut nullus reſtet locus conjectandi, quid, unde, à quibus quodque acceptum ſit. Cum itaque uſque adeo multicolor & variegata ſit Gentilium Theologia, ſive de Diis ac Heroibus Hiſtoria, vix fieri poſſit quin cuilibet Hiſtoriæ convenientiam gerat. Quis iſtâ conditione ὅς θνητός τ' εἴη *qui mortalis ſit* ex Heroum numero non fuerit? Facilè convenient & in unum coaleſcent, quæ δὶς διὰ πασῶν.

πιτῶν diſſonant, neq; modo ſimia nobis quàm ſimilis erit, ſed & quicquid ἔδοι Δημήτερος ἀκτὴν *commedat cerealia dona.* Quis gentis cujuſvis conditor, quin Saturnus fuerit? Quis regum, qui Jupiter non evaſerit? & pariter de cœteris.

3. Perexiguas quærunt & arripiunt analogias, quales in quibuſlibet inveſtigari queant, nedum in narrationibus, in quibus tanta rerum varietas; quin & omnem movent lapidem ut ſimilitudinem aliquam aut eruant, aut faciant, & totidem vias indagandi analogias inſtituunt, ut fere res nullæ tantoperè diſſimiles ſint, quin iſtis viis tales analogias facile indagaveris. Veluti ſi quidpiam in quovis ſcriptorum genere, ſive Poetæ, ſive Hiſtorici, ſive Mythologi ſint, reperiant, quod rei cuivis in *Sacrâ Scripturâ* memoratæ quoquo modo ſimile ſit, extemplo ex eâ re deſumptum fuiſſe efficiunt; atqui vero cum tam diverſa diverſi ſcriptores memorent, ut nempe alia Poetæ, alia Hiſtorici, alia Mythologi; imo cum poetarum quique peculiare quiddam fabuletur, varii hiſtoriographi varia memorent, & Mythologi abinvicem recedant, pene impoſſibile erit quin in unâ hiſtoriâ ex tot tamque diverſis conflatâ nonnulla occurrant, quæ aliqualem non modo cum Sancti codicis veritate, verum etiam cum quâvis aliâ hiſtoriâ analogiam præ ſe ferre videantur. v. g. de Saturno alia produnt Phœnices, alia Ægyptii, alia Græci, alia Latini, aliud Sanchoniathon, aliud Diod. Siculus, aliud Heſiodus, aliud Orpheus, alia alii; verùm in tam variâ & multiplici hiſtoriâ multa reperiri neceſſe eſt, quæ aliquem concentum cum aliqua Sacræ Scripturæ narratione habeant; Sic quòd Saturnus ab aliis Oceano & Ope Satus eſſe perhibeatur, cum Noâ, qui è
Hoc Bochartus Phaleg. l.1. c.2. diluvio emerſit, convenire creditur; quòd autem ab aliis Cœlo patre & Tellure matre pronaſci memoretur, inde cum
Hoc Voſsius de Idol. l.1. c.18. Adamo, quem Deus è Terrâ efformavit, convenire colligitur. Immo porro ſi quicquam ex Authore quoquam recentiore afferre poſſunt, etiamſi prorſus incertum & incompertum eſſe norunt, tamen ad analogiam adſtruendam arripiunt.

Sic

Sic Illustriss. Vossius, quoniam Genebrardus in Chronicis, *De Idolol.*
& Lipomanes in catenâ Naamam Lamechi filiam Mose me- *l. 1. c. 17.*
moratam *Genes. c.* 4. lanificium ac texturam reperisse tra-
dunt, inde colligit eam eandem cum Minervâ fuisse. At verò
Vir Doctiss. non potuit non advertere Genebrardi narrati-
onem nullius prorsus momenti esse, sed incertam immò com-
mentitiam, cum idem ante eum nemo tradidit; at id quod
ævo antediluviano gestum fuerat quî Genebrardo innotescere
potuit, qui totidem pòst seculis vixerit, si à nullo acceperit
authore? à nullo autem accipere potuit, solus enim Moyses
res antediluvianas prodidit, in ipso autem nihil tale quidquam
reperire est. Sic perperàm crebrò afferuntur Julii Materni &
Rufini testimonia, quibus adstruatur Apim Ægyptium fuisse
Josephi Patriarchæ symbolum. Deinde circuitu sæpissimè
utuntur, ut demum analogiam eruant, sic quoniam Herculem
& Apollinem eundem esse Macrobio adstruitur; Hercules
autem facinora quadantenus iis similia, quæ Josuam gessisse *Dickinson*
refert Sacra historia, hinc demum colligitur eundem quoque *Delph. Phœnic.*
esse Josuam & Apollinem. Et porro unam fabulam è plurium *cap. 4.*
narrationum fragmentis consuunt, & eandem Personam variè
ob varia gesta accommodant: Sic de Apolline fabulas ab He-
bræis desumptas esse conjectatur, quoniam Ἀπόλλων paris sit
valoris cum Hebraico שד *dæmon*, quod nimirum à שדד
destruere nascitur, eundemque fuisse tum cum Jabal primo
Musicæ auctore, quoniam musicæ præsidere fingebatur,
tum cum Jacobo, qui utique Labanis oves pascebat, sicut
Apollo Admeti. Neque solùm ex rerum sed & è vocum
similitudine analogias sæpissimè expiscari solent, ut ex vo-
cum simili significatione, sive ἰσοδυναμία, sic Neptunum eun-
dem cum Japheto Noæ filio fuisse colligunt, quia Ποσειδῶν *Bochart. Phal.*
Neptuni scil. cognomen, & Japhet sint synonyma, utrum- *l. 1. c. 1.*
que nempe *latitudinem* designat; sicque Venerem eandem
cum Naamâ Lamechi filiâ, quoniam Naama perinde ac Venus *Vossius de Idol.*
venustam notat. Neque solum è nominum ἰσοδυναμία analo- *l. 1. c. 17.*

gias

gias extorquent, sed etiam satis est si vox aliqua ad accidentale & extrinsecum cujuspiam Personæ opus pertrahi possit.
Vossius Ib. c. 18. Sic Saturnus idem cum Adamo habetur, quia *Satar* Hebræis *latere* notat; Adamus autem Nuditatis pudore à facie Do-
Ibid. mini se abscondebat *Gen.* 3. 10. Sic Janum Noam fuisse volunt, quia Jani vocabulum vicinum est voculæ יין quod vi-
Ibid. num sonat, cujus princeps inventor Noe perhibetur. Sic denique Prometheum Noam esse hariolantur, quoniam eum sonat; qui ante malum sapit, qualis Noah fuit, qui divinitùs edoctus diluvium prævidit. Tum deinceps è vocum vi-
Phaleg. l. 1. c. 1. cinitate, sic Bochartus Japhet à פתה deducit, quod in conjugatione Niphal fit נִפְתָּה unde Neptuni nomen. An non longè propius esset frigidum istud etymon, quo Neptunus à *nando* deducitur? Et sanè hâc ratione voces admodum dissimiles ab eâdem trahunt, & eandem vicissim à valde dissimilibus tandem conficiunt: Sic Bacchi nomen à voce נח seu Noacho trahunt nonnulli, alii à בר כוש i. e. *filius Chushi*, nempe Nimrod, alii à יה seu יהוה. Immanis quanta discrepantia inter Nach, Bar Chush, & Jah! & tamen singulis similem esse Bacchi vocem somniatur. Et passim quidem exiguam admodum vocum similitudinem arripiunt. Sic Δὶς antiquitùs apud Græcos supremi Dei vocabulum, cujus vestigium in genitivo Διὸς invenire est, à voce שדי *Schadai*, quæ Dei omnipotentiam significat, derivari autumant; quantilla similitudo! Sic זיז ziz vox Siriaca est postem vel limen significans, unde per ἀναδίπλωσιν Xisuthrus Noæ cognomen; qui tanquam limen vel janua *i. e.* primordium omnium, qui
De Idol. l. 1. c. 18. ab diluvio fuere, ut ex B. Cyrillo Vossius. Quinetiam è suspicione aut sphalmatis graphici, aut erroris qui à vocum Hebraicarum aut idiomate aut ambiguitate oriri potuit, analogias venantur, sic quod Noe איש האדמה dicatur, quod cùm hebraicè Agricolam denotet, propriè tamen & ad verbum sonat ὁ ἀνὴρ τῆς γῆς *vir seu maritus terræ*, hinc protenus ansam fabulæ datam esse, quâ fingitur Saturnum

Rheæ

Rheæ *i.e.* Terræ nupsisse, autumant. Aliisque hujusmodi innumeris ambagibus utuntur, si verò ista omnia liceat, quàm facile erit quidlibet cuilibet accommodare; nulli erunt mortalium tam dissimiles, quin aliquâ ratione similitudinem ad invicem habeant.

Prædicta autem non ita accipi velim, quasi consilium Græca Hebræis accommodandi penitus aspernarer, sed solum ei modum & rationem adhiberi velim: Quod enim Cicero de rebus, idipsum de fabulis sentio. *Non enim sumus ii, quibus nihil verum esse videatur: sed ii, qui omnibus veris falsa quædam adjuncta esse dicamus, tanta similitudine ut in iis nulla insit certa judicandi & assentiendi nota.* Neque cum Lucilio dicam De N.D. l. 1.

Sunt ea
Pergula pictorum, veri nihil, omnia falsa.

Quippe planè scio nonnullas Græcorum historias egregiam lucem à scripturis mutuari; & in iis fere cujusque antiquioris monumenti vestigia deprehendi. Cui quidem disquisitioni ritè instituendæ quæ leges & regulæ adhibendæ sint, neque hujus loci est, neque meæ facultatis assignare; penitius enim in Antiquitatis monumenta penetrare, & illius rudera diligentius versare oportet, quàm mihi per ætatem licuit, priusquam ejusmodi canonas sancire liceat. Ut ut tamen nollem omnes Græcanicæ vetustatis reliquias indiscriminatim in sacram historiam refundi, nollem omnia analogiæ eruendæ susque deque verti. Ad quod congruenter id præsenti instituto præstare volui, ut explicarem non omnem narrationum similitudinem ne quidem probabiliter arguere alteram ab alterâ desumi; & proinde similitudinem, quam narrationes Græcanicæ cum Hebraicis gerere videntur, nullum esse indicium illas ex his depromptas fuisse: Ut obviam iis eatur, qui sicubi similitudinem qualemcunque, & per

multas fortè ambages deductam exsculpere seu comminisci valeant, sibi plaudunt, quasi denuo vetustatis aliquod monumentum eruerant, & qui denique eò industriam omnem vertunt, ut analogicas rationes nare venatico odorentur. In hanc rem infinita alia adferre facile liceret, sed non expedit sermonem penè insititium nimium protrahere. Hæc itaq; monuisse sufficiat.

C A P. IV.

De Substantiâ & Essentiâ Divinâ.

Cic. 1. de Nat. Deor.

PAssim celebratur Simonidis responsum, qui scilicet Tyranno Hierone interrogatus quidnam aut qualis esset Deus, unum sibi diem postulavit: cum idem ex eo postridie quæreret, biduum petiit: & cum sæpius duplicaret numerum dierum, admiransque Hiero, cur ita faceret : quia quanto inquit diutius considero, tanto mihi res videtur obscurior : Ut & Platonis effatum, τὸν μὲν ποιητὴν καὶ πατέρα τοῦδε τοῦ παντὸς εὑρεῖν τε ἔργον, καὶ εὑρόντα εἰς πάντας ἀδύνατον λέγειν. *Opificem Genitoremque Universi tam invenire difficile, quàm inventum impossibile dignè profari.* Atque adeo quidem omnes suæ ignorantiæ in iis, quæ Dei essentiam attinent, conscii fuere, ut præter perpaucos admodum jactabundos & male sanos Platonicos, Soli per omnia secula *Anomæi* Eunomii sectatores circa annum Domini 358 extiterunt, qui essentiæ Divinæ intelligentiam sibi arrogarent. Hos vero (Teste S. Chrysostomo, qui contra illos quinque homilias scripsit) non puduit palàm jactitare perinde ipsis Dei naturam perspectam esse, ac sit ipse sibi. Verum enim vero si aut seipsos aut Deum omnino cognitum habuissent, facile agnoverant immensum quantum tenuitatem facultatis finitæ superat

In Timæo.

Dei infinitudo. Horum vero arrogantiam abunde retuderunt prisci patres, potissimum Chrysostomus, Basilius, & Gregor. Nyssenus: quos adeat, si quis operæ pretium existimet: equidem mihi non tanti videtur, ut in illis refellendis desudarem, nisi fortè id fiat digitum ad fontes ignorantiæ nostræ circa Divina intendendo: à triplici nempe fonte exoriri videtur.

1. Ab Immensitate Majestatis Divinæ. Ecquid pulvis & cinis, ut supremam infinitamque Majestatem exploret? Ecquis homuncio ut Deum contempletur? Equidem parùm immensa Numinis majestas, si modulo rationis nostræ comprehendi possit: facilius longè Universam Cœlorum complexionem pugillo comprehendes; siquidem nulla sit tanta distantia, quantâ Deus Creaturas quantascunque excedit, quippe istas innumerabilibus intervallis exuperat, cùm utique alia omnia utcunque ab invicem abeant, intra limites certos demum contineantur: quantum igitur cunque perfectionis cogitemus, Deum esse infinitis vicibus perfectiorem agnoscendum est; quocunq; provehitur rationis humanæ solertia, nunquam ad infinitatem assurget, hæc quidem omnem intellectum obruit, tandemque cogit ignorantiam confiteri: Et inde meritò Sacri Doctores magnitudinis Divinæ ἀκαταληψίαν, exilitatisque suæ sensum profiteri malunt, quàm ipsius descriptionem quoquo modo conari. *Certè* (inquit Gregor. Nazianz:) *Hoc est Deus quod cum dicitur, non potest dici: cùm æstimatur, non potest æstimari: cum definitur ipsâ definitione crescit: quem omnia nesciunt, & metuendo sciunt.* Atque argutè quidem Damascenus τῦτο μόνον ἀυτῦ καταληπτὸν, ἀπειρία καὶ ἀκαταληψία *Solum hoc ejus comprehendi potest, quòd comprehendi non potest.* Quin & Arnobius. *Unus est hominis intellectus de Dei naturâ certissimus, si scias & sentias nihil de illo posse mortali oratione depromi*, ut & alibi Deum alloquens, *Non est mirum si ignoraris, majoris est admirationis, si sciaris.* Neque secus Minucius *Hic* [Deus]

Orat. 59.

Adv. gentes l. 3.

Lib. 3.

 nec

nec videri potest, visu clarior est; nec comprehendi, tactu purior est; nec æstimari, sensibus major est, infinitus, immensus, & soli sibi, tantus, quantus est, notus. Nobis vero ad intellectum pectus angustum est: & ideo sic eum dignè æstimamus, dum inæstimabilem dicimus. Eloquar quemadmodum sentio, magnitudinem Dei qui se putat nosse, minuit, qui non vult minuere, non novit. Nempe secundum Pervulgatum Trismegisti παράδοξον *optimè Deum silentio definiri.* Facile quidem foret innumera hujusmodi congerere. Et sanè qui Dei descriptionem periclitati sunt, id solum efficiunt, ut potius describi non posse ostendant, consultò enim vægrande aliquid adferunt, quod captum omnem tam suum quàm alienum effugiat. Ut *Arnob. lib. 1. Jul. Scaliger de Subtil. Exerc. 365. N. 2. & innumeri alii.* Ab hâc perfectionis immensitate Deus passim ἀκατάληπτος, ἀπερίληπτος, ἀπεριχώρητος *incomprehensibilis* & similiter prædicatur: Nempe comprehendere perinde sonat ac rem undique includere; &, quando intellectionem denotat, plenè perfectè & ex omni parte intelligere; voces enim, quibus varios intellectionis actus significamus à manu ad mentem transferuntur, quomodo *comprehendere* propriè significat rem manu vel pugno undique stringere & circumplecti: *apprehendere* solummodo ex aliquâ parte quasi per ansam tenere; *attingere* extremis quasi digitis tangere, ita ut non valeamus aliquam ipsius partem retinere. Sic scientia objectum suum comprehendere dicitur, cum omnes illius partes & perfectiones circumscribit; seu ut loquuntur rei *intelligibilitatem* adæquat & exhaurit, aut quicquid in eâ sit intelligendum pernoscit; cum verò solum inadæquatè & quasi unam objecti partem tenet, apprehendere dicitur: attingere autem, cum obscurissimè objectum advertit, & quasi externam tantum ipsius particulam attingit. Cùm igitur divinas perfectiones non nisi per creatas cognoscamus: cùmque Deus omnium suarum perfectionum imagines creaturis non indiderit; cumque proinde nulla sit

via

via perfectiones, quarum similitudinem operibus suis non impressit, advertendi; hinc dico agnoscendum est multas Deo inesse perfectiones, quas ne quidem extremis ut loquuntur digitis attingimus. Cum insuper quas quidem perfectiones creaturis *Divinus Artifex* impressit, immensùm infra suas subsident, sequitur perfectiones Dei, in quarum cognitionem per illas devenimus, inadæquatissimè apprehendi, siquidem non aliter perfectiones creatæ increatas representant, quàm lucernula Solis meridiani fulgorem: Quin & denique cùm obscurè quidem creata omnia intelligamus, (potissimum si quæ aliis propius ad Deum accedunt) etenim dum in rerum cortice & superficie hæreamus, ad interiora penetrare non posse abundè experimur; quantò igitur minus ex illis plenè & adæquatè Divina percipiemus: & propterea meritissimò ingeniolo nostrati incomprehensibilis agnoscenda est *magnitudo Divina*, cum, uti dictum est, quàm plurima in Deo non attingimus, alia perquam obscurè apprehendimus, nihil adæquatè pernoscimus, ut clarius fortè ex infra dicendis elucebit.

Ab incomprehensibilitate Dei passim illius ineffabilitas deducitur: etenim excogitatæ olim fuere voces, ut exhibeant mentis conceptus; nimirum quoniam conceptus aliis indicare non possumus, idcirco iis subrogamus voces, quibus exprimantur; hinc quod conceptibus nostris subducitur, ei quoque ut desint propria & adæquata nomina necesse est: propterea si imperceptibilis Agnoscatur Deus, ergo & ineffabilis. Ut Damascenus τὸ θεῖον ἀκατάληπτον πάντως καὶ ἀκατονόμαστον ἐστι· Ἀγνοοῦντες οὖν τὴν οὐσίαν αὐτοῦ, τῆς οὐσίας αὐτοῦ μὴ ἐκζητήσωμεν ὄνομα. Δηλωτικὰ γὰρ τῶν πραγμάτων εἰσὶ τὰ ὀνόματα. Inde & Philo ὑπερβολικῶς ex more suo. *Ne totum quidem Cælum* inquit *in vocem articulatam conversum posse Deum, præ sui magnitudine, eloqui.* Unde passim Theologis docetur nullâ voce intimam Dei essentiam exprimi: & qui vocibus יה & יהוה Deum κατ᾽ οὐσίαν significari aiunt; iis tamen explicari negant, solùmq; indicari Lib. 1. c. 13.

volunt

volunt essentiam Divinam; sed de istarum significatione alibi. Modo dicendum Judæos eâ de causâ inter innumeras alias futiles rationes Nomen tetragrammaton ἀνεκφώνητον esse censuisse: ut *ostenderetur* (inquit Manassah Ben Israel) *in-*

* Conciliat. in Exod. q. 3.

cognitam & inexplicabilem esse divinam essentiam, occultanda est pronunciatio nominis, quod eam denotat. Quod autem ad reliqua divina nomina spectat, appellativa aliisque extra Deum communia sunt, licet pleraque peculiari quâdam ratione Deo propter ipsius ἐξοχὴν propria quodammodo fiant. Neque Dei essentiam, sed aut attributum aliquod, aut habitudinem ad creaturas exprimunt: Ut nominibus *El, Eloah, Elohim, Baal, Baalim, Adon, Adonai* denotatur Dei potestas, imperium & Dominium. Nomine *Schaddai* aut αὐτάρκεια & sufficientia, aut omnipotentia exprimitur; modo enim 70 interpretibus vertitur ἱκανὸς, modò παντοκράτωρ, ut & modò enatum volunt Hebraicè periti à radice שדד *vastavit,* quomodo indicat robur, quod omnia in nihilum potest redigere; modo conflatum volunt ex inseparabili pronomine שֶׁ & דַּי *sufficientia, sufficiens,* atque ita denotat exuberantem perfectionis copiam, quæ in Deo residet. Deinde Vox Θεὸς cum superstitiosæ sit originis, illius significatio non ab suæ Etymologiæ ratione petenda est; Veteres enim Græci (ut vulgo pernotum est) cum astra sola pro Diis haberent, quòd illa (ut memorat in Cratylo Plato) adverterent perpetuo θεῖν in jugi cursu esse, inde Θεοὺς vocitarunt, quæ vox postmodum ad omne, quod Numinis instar colebatur, manavit: Atque igitur eâ quoque abusi sunt Sacri Scriptores ad verum Numen exprimendum; quòd verò apud illos ejusdem perpetuò valoris sit cum vocibus *El* & *Elohim*, non magis quàm istæ, Dei essentiam exprimere nedum explicare potest. Deniq; Nominum Κύριος & Δεσπότης genuina significatio vulgò notior est, quàm ut illorum voces Latinas indigetem; & si quæ alia legimus nomina Deo attributa, non omnino significant Dei οὐσίαν sed σχέσιν ali-

quam

quam ad creaturas, ſive *ἐξουσίας poteſtatis*, ſive *οἰκονομίας gubernationis*.

Alterum caput ignorationis noſtræ de Deo habetur illius inviſibilitas, cujus paſſim habentur teſtimonia in ſacro codice ut 1. *ad Timoth.* 1. 17. Deus dicitur βασιλεὺς ἀόρατος, & ejuſdem epiſtolæ *c.6.com.16.* φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον, ὃν εἶδεν οὐδεὶς, οὐδὲ ἰδεῖν δύναται *Lucem habitans inacceſſam, quem vidit nemo hominum, neque videre poteſt.* Vide *Heb.* 11. 27. Et Deuter. 4. 15, 16 Ullam ſui effigiem fabricari vehementer prohibuit, & quidem idcirco, quòd ſe nunquam ſub aliquâ ſpecie ſpectandum præbuerat. *Quamobrem cavebitis vobis; nam non animadvertiſtis ullam ſimilitudinem, quo die allocutus eſt Jehovah vos in Chorebo è medio illius ignis: ut non corrumpatis vos, & faciatis vobis ſculptile ſimilitudinem ullius ſimulachri, formam maris aut fœminæ,* & quæ deinceps. Quibus locis manifeſtum eſt Neminem oculis corporeis Deum vidiſſe, & proinde loca, quæ id teſtari videntur non de ipſâ θεότητος præſentiâ, ſed de ipſius ſymbolo & teſſerâ explicari oportere, ſive Angelus fuerat, ſive quidvis aliud. Nam ſymbola præſentiæ Divinæ apud Hebræos tanquam ipſum Deum habita fuiſſe notum eſt, cujus, inter alia, luculentum ſpecimen videtur vitulus aureus ab Iſraelitis conflatus; cui nempe cùm nomen, tum opus Dei referebant Exod. 32. 4. *Hi ſunt Dii* (Elohim) *tui, Iſrael, qui te eduxerunt è terrâ Ægypti.* Et cum ſummus Pontifex vitulo altare extruxerat, feſtum ſolemne Jehovæ indicit. Non adeo obtuſos & ab omni ratione vacantes Iſraelitas, Aaronem potiſſimùm & ſacerdotes exiſtimare par eſt, ut vitulum, quem modo conflatum viderant, ipſum Jehova fuiſſe crederent, qui illos aliquandiu ante ex Ægypto eduxerat. & proinde vitulo Jehovæ nomen tribuerunt συμβολικῶς. Adjici poſſent vituli Jeroboami juſſu in *Dan & Bethel* collocati, ut & Michæ ſimulachrum, ſed fuſiùs de his ediſſerũt reformati capite de Idololatriâ adverſus pontificios, quos, ſi libet, adire licet. Sic Exod. 13. 21.

Deus

Deus Israelitas antecessisse memoratur interdiu *in columnâ nubis*, & noctu *in columnâ ignis*: Non quasi ipsa θεότης in columnâ delituerat, sed quòd symbolum erat favoris & præsentiæ divinæ, seu potius quòd in eâ delitesceret Angelus Dei personam referens: nam cap. 14. comm. 19. columna ista expressè Angelus Dei dicitur, & tamen comm. 24. *Jehova* appellatur, *qui in columnâ ignis & nubis erat.* Vide Exod. 33. 2, 3. Hinc porrò nomen Dei Arcæ tribuitur, uti quæ symbolum erat præsentiæ divinæ Num. 10. 35, 36. Josue 3. 7. Res vero luculentius parebit, si loca specialia, quæ objectari possent, consideremus. Inter alia extat locus Gen. 32. 30. Ubi dicit Jacob *vidi Deum facie ad faciem* (i. e. præsens præsentem) *& liberata est anima mea.* Non autem ipsum Deum sed Angelum intelligi oportere perspicuum fit collatione cum Oseæ cap. 12. comm. 3, 4. Ubi ipse idem, qui Jacobo Deus appellatur, disertim tum Deus, tum Dei Angelus vocatur: Deus, quatenus ipse Angelo repræsentabatur: Angelus, scil. κατ' ἐξήγησιν, quòd licèt Deus dicebatur, quia Dei personam gesserat, reipsa tamen Dei Angelus erat. Quin & Angeli, qui Abrahamo Gen. 18. & Lotho Gen. 19. apparuerunt, loquuntur ac compellantur non secus atque ipse Deus, quòd ejus personam assumpserant, tamen non modo eodem loco Angeli vocantur; sed & auctor epistolæ ad Hebræos cap. 13. comm. 2. Hospitalitatis laudi vertit, quòd ejus occasione hospitio excepti olim fuissent Angeli, ad hanc Abrahami & Lothi historiam respiciens. Et profectò si Deum ipsum exceperant, quanto potius hospitalitatem laude extulerat Paulus aut quicunque istius epistolæ auctor, quòd illius beneficio Deus olim hospitio exceptus fuerat? Ita qui Moysi in rubo apparuit, quanquam Dei nomine insigniatur, tamen Angelum fuisse expressè testantur tum Moses Exod. 3. 2. tum Stephanus Act. 7. 30. Deus item, qui Judic. 6. Gedeoni apparuit, ipso Gedeone disertissimè Angelus Domini agnoscitur vers. 22. Ita & qui sese videndum Samsonis

parentibus

parentibus præbuit Judic. 13, alternatim Deus, & Dei Angelus dicitur. His adde Angelum Dei nomine decorari potuisse, quòd ipsius personam repræsentaret, non autem potuisse Deum angeli, nuncii, ministri officio fungi; nempe angelorum est alterius imperio subesse, ejusque jussa exequi, quod quantum Maximæ Numinis Majestati derogaret nemo non videt. Cum igitur qui priscis apparuisse memoratur, Dei Angelus nuncupetur, Angelum fuisse dicendum est, tametsi Dei ipsius nomine celebretur; quippe quòd Angelo Dei nomen assumere licuisset, cujus Personam assumpserat: Atqui Deus nullâ ratione Angelus dici potuit, & inde non Deum fuisse sed Angelum, qui veteribus apparuit concludendum est. Atque cum passim memoratur Deum, dum legem promulgaret, sæpenumero cum Mose præsente præsentem collocutum fuisse, ut Exod. 34. 9, 10, 11. cap. 33. 11. Num. 12. 8. Non ipsum nihilominus fuisse Deum, sed Dei legatum, qui Dei nomen usurpabat, quòd ejus vicem sustineret, non modò manifestum est ex mox dicendis, sed & si conferantur priora loca cum epist. ad Hebræos 2. 2. Ubi lex infra evangelium deprimitur, quòd sit λόγος λαληθεὶς δι' ἀγγέλων; & proinde Evangelicâ doctrinâ inferior, quæ λαληθεῖσα Dei filio: Etenim si Deus ipse legis promulgationi interfuisset; quomodo lege evangelium superius evaderet, quòd Dei filii operâ promulgaretur? An filius patre præstantior? necesse est igitur legem promulgatam fuisse Personarum operâ, quæ filio erant, nedum patre inferiores, atque istas Angelos fuisse apertissimè testantur non modo hîc Apostolus, sed & Stephanus Act. 7. 35. & D. Paulus Gal. 3. 19.

Aliæ quæ Dei visiones memorantur non propriæ fuerunt, sed ænigmaticæ & Symbolicæ repræsentationes phantasiis impressæ; cujusmodi fuere, quibus Deus patriarchis per somnum apparuisse dicitur, ut *Abrahamo* Genes. 15. 1. *Isaaco* 26. 2. *Jacobo* 28. 11, 12, 13. Qui nihil reale aspexerunt, solâ repræsentatione rerum phantasiis impressâ. Ita

1 Reg. 22. 19. Micha Deum vidit *super solium majestatis sedentem*, eo tamen modo, quo vidit *populum Israeliticum* undique hinc inde per montes sparsum, hoc autem nequaquam visione propriâ, sed propheticâ rem suæ imaginationi repræsentante vidit. Ut & Isaiæ cap. 6. 1. & Dan. 7. 9. & passim in propheticis libris, crebro enim prophetis per somnia repræsentabantur rerum futurarum scenæ, & sicubi Deus suam quoque partem sustinuisset, similitudinem aliquam habuit sui repræsentatricem, licèt à se alienam & distinctam, ut adnotavit auctor libri de fundamentis l. 2. c. 28. ad Ezechiel. 1. 28. *Velut aspectus arcûs cum fuerit in nube in die pluviæ: sic aspectus erat splendoris per circuitum: hæc visio similitudinis Gloriæ Dei. Qui aspicit*, inquit, *colores Iridis, sentit oculos sibi offundi*; i. e. *videre id, quod non ita est. Quamobrem comparat Propheta aspectum splendoris gloriæ ipsi apparentibus coloribus ejusmodi ad significandum illas formas, quibus Deus conspicitur à Prophetis, non esse sic reipsa in ipso: quemadmodum quod in Iride apparet, non sic est in ipsâ, ut apparet.* Atque equidem facilè arbitror pene omnia, quæ libris Propheticis gesta narrantur, non reipsa effecta fuisse, sed solummodo in visionibus Propheticis symbolicè representata, & quasi in conspectu posita. Quod herclè opinari necesse est, nisi crediderimus Prophetas Dei jussu sese stultorum aut insanientium more gessisse. Sic quicquid fere in Jeremiæ, Ezechielis, Oseæ prophetiis narratur, non revera peractum fuit, sed solùm in visione Symbolicas transactum: Ut cum Deus Jeremiam (qui quidem Hierosolymis adhuc erat) Jusserit, Euphratem adire, ut ibi cingulum absconderet: & Ezechielem ut caput, & Barbam tonderet (quod Ezechieli utpote magno Sacerdoti non licebat:) & Oseam denique, ut sibi vulgare scortum uxorem duceret, & ex eâ liberos procrearet: & his similia.

Jer. 13. 4, 5, 6. *Ezech. c.* 4. *Ose. c.* 1.

Adeo quidem vehemens est Majestatis Divinæ splendor, ut ipsius radios ne quidem gloriosi Seraphim ferre valeant, qui *faciem* præ immensitate Divinæ Gloriæ *velant*, ut videre est

eſt Iſai. 6. Quinimo tanta quidem Majeſtas Dei, ut nemo impune glorioſam illius *repræſentationem corpoream* videre poteſt, quæ ita vehementis fulgoris erat, ut non potuit quin mortalis temperaturæ fragilitatem abſorberet, quomodo ſumendum æſtimo Exod. 33. 20. *Non poterus videre faciem meam, non enim videbit me homo & vivet.* In quæ verba non placet Epiſcopii τȣ͂ πανὺ aliorumque Theologorum gloſſema, qui dicta volunt de *eſſentiali Dei præſentiâ*, & ſenſum eſſe nolunt: Nemo homo, qui me viderit, in vitâ diu ſuperſtes eſſe poteſt; aut omnis homo poſtquam aut ſimulatque me viderit, dictum factum, vel non multò poſt morietur: ſic enim, inquiunt, tacitè indicaretur Deum videri poſſe. Propterea *non videbit me homo & vivet* Hebraiſmum eſſe aiunt, quo *Dei invisibilitas* indicatur, ita ut ſenſus ſit nemo vivens Deum videre poteſt utique ἀόρατον At videntur de Dei *repræſentatione* dictum, quaſi de ipſius *perſonâ* dictum fuerat, perperam accepiſſe. Nam Deum de glorioſâ & Majeſtaticâ ſui repræſentatione locutum fuiſſe haut admodum obſcurum videtur. Dominus enim verba illa protulit, ut quibus Moſis petitioni, quâ expetebat *Dei Gloriam* videre, (verſ. 18.) reſponderet. Moſi enim id flagitanti non conceſſit, quòd nemo mortalium ipſius gloriam ferre poſſet: at vero non potuit Moſes tam rudis & naturæ Divinæ ignarus eſſe, ut illam peteret aut expectaret coram oculos pervidendam ſiſti; Sanè non uſque adeo barbarus Moſes, ut neſciret aut Dei ſubſtantiam ſpiritualem eſſe, aut eſſe ſpiritum inviſibilem; unde manifeſtum eſt non expetiiſſe Dei eſſentiam videre, & proinde non de illâ reſpondiſſe Deum: ac conſequenter verba de quibus agimus, non de θεότητ@ eſſentiâ accipienda eſſe.

Inſtit. Theol. lib. 4. ſec. 2. c

Et hoc modo accepiſſe videtur olim populus Dei, qui viſo vel quidem ſolo Angelo, tametſi Angelum eſſe ſcirent, exclamarunt mox ſeſe morituros, ut paſſim S. Codice proditum eſt. Non adeo ſanè Hebraicè ignari, ut hujus ſchematis proprietatem non aſſequerentur. Illi ſanè interpretati ſunt,

quasi apertam Angeli aut alterius cujuscunque Deum repræsentantis visionem certa mors sequeretur, quod in mentem inducere non possent, nisi verborum istorum, *non videbit me homo & vivet*, proprius & genuinus sensus ipsis fuerat, quicunque simul atque me viderit statim morietur: si quidem isti (si qui alii) genuinam verborum proprietatem caperent. Neque dicas eos erravisse eò quòd putarunt se extemplò ab Angeli visione expiraturos, cum nihilominus diu pòst supererant. Hoc enim evenit, quòd Angelicâ præsentiâ consternati exclamarunt esse se morituros, quasi dictum fuerat de quâcunque Angeli præsentiâ, quod alioqui norant solùm de *gloriosâ, atq; Dei termaximi repræsentatrice* dictum fuisse: etenim ex iis nemo שכינה δόξαν, *gloriosam & majestaticam Angeli apparentiam* vidit; sed semper sub aliquâ corporeâ formâ, cujus non tanta erat gloria, quin eam facilè ferre potuit humanæ temperaturæ fragilitas. Locus igitur Exodi 33. 20. commodiùs explicandus esse videtur de *gloriosâ seu majestaticâ præsentiæ Divinæ repræsentatione:* Moses enim petierat commate 18. ut sibi Deus כבוד δόξαν *gloriam* suam revelaret: *qua majestaticam Dei repræsentationem* (à Rabbinis שכינה dictam) passim significat: ut Exod. 48. 34. *Gloria Jehovæ implebat tabernaculum, ita ut Moses ingredi non poßet* com. 35. Exod. 34. 16, 17. *Habitabat Gloria Jehovæ in monte Sinai, cujus species erat tanquam ignis consumens in summitate illius montis. i. e.* Lux splendidissima Jehovæ *repræsentatrix*, & inde dicta *Jehovæ Gloria*, cujus tantoperè vehemens erat vis & splendor, ut ejus conspectum ferre non posset caducæ mortalitatis fragilitas; quemadmodum Saulus penè exanimatus procubuit splendore, qui illum circumfulsit Act. 9. 22.

Quod Insuper colligitur è tribus ultimis vers. dicti capitis 23. Deus Mosi in rupis aperturâ delitescenti tantum gloriæ suæ aperuit, quantum ferre potuit; licèt *facies* i. e. pars anterior *Majestaticæ Gloriæ* præ vehementi fulgore videri

non

non potuit, tamen à parte posteriore ita attemperata erat, ut eam citra vitæ periculū conspicere liceret; (ut Ethnici Numina sua vultu averso & avolantia depingebant.) Quare Deus Mosi *posteriora* gloriæ istius videre permisit, cujus *faciem* videre non potuit donec mortalis; sed gloria, cujus posteriora vidit Moses, corporea erat & solùm *Dei repræsentatrix*, ergo & *facies* istius Gloriæ, quam videre non licuit, corporea etiam ut sit necesse est. Hæc inquam Gloria erat, quæ impunè videri not potuit: Unde sicubi videatur sacra Scriptura prodidisse cuiquam perspectam illam fuisse, aliquid quasi consultò addit, quo innuitur non apertè visam fuisse ut Exod. 24. dicitur 70 *è Senioribus Israelis Deum vidisse, & tamen Deum in eos non extendisse manū suam; sed postquam illum intuiti sunt, comederunt & biberunt* i.e. quanquam Scriptum sit *non videbit me*(i.e. gloriā meam)*homo & vivet*; nihilominus Deum, Deive Gloriam illæsi viderunt: *manum enim extendere*, Schema Hebraicum est pro lædere aut quoquo modo percutere: & additur tanquam argumentum nihil damni illos accepisse, quòd postquam Deum intuiti fuerant, cibum & potum sumpsissent i.e. nō ita clarè & apertè Dei gloriam viderunt, ut quidquam inde damni acciperent, Gloriam enim, quam videbant, nube fuisse opertam proditum est vers. 15. Ita cùm proxime sequitur Moysen propius adhuc Deum accessisse, cum montem conscenderet, cautè παρενθετικῶς subjici videtur *montem nube obvelatum esse*, ne fortè errori ansa daretur Mosen ipsam Gloriam aperte vidisse ut comm. 15, 16. Et Ascendit Moses montem illum (*operiebat autem nubes montem,* וישכון (unde ortum duxit Rabbinorum שכינה) *i. e. habitabat enim gloria Jehovæ in monte.*) Sed hâc in re fusius, fortè quàm par sit, hærere videor, modo igitur adjici velim occasione hujus Gloriæ adeo crebram demum *Gloriæ Dei* mentionem fieri in utroq; instrumento: ut ad eam respexisse D. Paulum in epist. ad Romanos 1.23. autumat *Clariss. Hammondus*: *Mutarunt Gloriam incorruptibilis Dei in efformatam imaginem corruptibilis*

bilis hominis & volucrium, & quadrupedum & reptilium. i. e. pro ſtupendo & glorioſo ſplendore, quo Deus ſe repreſentare voluit in monte Sinai, Deum repræſentant ſub corporeâ formâ hominis, volucrium, &c. & inde Idololatræ facti ſunt, cùm eâ de cauſâ vetuit Deus ne ullâ ſimilitudine repræſentaretur, quòd ſcil. non *ullam viderant ſimilitudinem quo die allocutus eſt Jehova illos in monte Horeb è medio ignis* Deuter. 4. 15. Huc inſuper referendum illud Davidis Pſalm. 106. 20. *Gloriam ſuam in formam vituli comedentis herbam mutaverunt* i. e. Deum vice *Gloriæ*, quâ ſe repræſentavit, vitulo repræſentarunt. Huc itidem alluditur 1 Sam. 4. 21. Math. 16. 27. 25. 31. Johan. 1. 14. 12. 41. 2 ad Corinth. 3. 7, 9. 11. Marc. 8. 38. 13. 26. 2 Pet. 1. 17. Act. 7. 55. Heb. 9. 5. & innumeris aliis locis.

Huc denique alludit Pſaltes Pſalm. 18. 10, 12. *& demittens cælum deſcendit cum caligine ſub pedibus ſuis. Nox & tenebræ in circuitu ejus* & Pſalm. 97. 2. *Nubes & caligo circumſtant eum,* quaſi ſibi tenebras circumfuderat, quibus homunciones à ſui conſpectu prohiberet: non multò ſecus quàm cecinit Orpheus in palinodio ſuo ad Muſæum

Ἀυτὸν δ' ὐκ ὁρόω, περὶ γὰρ νέφος ἐστήρικται,

Hunc Ego non video nubes quia denſa reſiſtit

& alter

Conſpectus nulli, quoniam caliginis atræ
Obſiſtunt nebulæ.

Quomodo Acmone philoſophorum antiquiſſimo & Mercurio coætaneo, uti perhibet *Juſtinus*, Deus πάγκρυφος cognominatur. Ita Lacedæmoniis ſummus Jupiter Σκοπιεὺς aut Σκοπτᾶς cognomento quodam in loco colebatur: unde & Dei Naturam nonnulli veterum nigro lapide repræſentarunt. Πολλοὶ γὰρ ἂν, καὶ μέλανι λίθῳ τὸ ἀφανὲς αὐτοῦ τῆς ὀσίας ἐδήλωσαν

Paran. 1.
Meurſ. Miſcel. Lacon. l. 1. *c.* 1.
Porphyr. apud Euſeb. περὶ παρ. *lib.* 3. *c.* 7.

Plerique

Plerique nigro lapide naturam illius nusquam sub oculo cadentem adumbrarunt.

Accensenda his deinceps tanquam tertia ignorantiæ causa (ut alias innumeras prætercam) intellectûs, donec materiæ immergitur, imbecillitas; quandiu enim mens corpori alligatur, nihil intelligit nisi ope phantasiæ, cujus phantasmata rerum sensibilium conditionibus imbuuntur. Licet enim ejusmodi sit animæ nudæ & corpore exutæ perspicacitas, ut, quicquid sibi obversatur, id *intuitivè*, ut aiunt, contemplari & perspicere valeat, tamen quandiu corporeâ crassitudine obvelatur, offusâ inde caligine, nihil immediatè & directâ acie contemplatur; cum nullæ species nisi per sensus haustæ ipsi obversentur, secundùm tritum illud *nihil esse in intellectu, quod non prius fuerat in sensu.* Nihil vero per sensus transit nisi quod quodammodo crassum & corporeum, siquidem non percelluntur sensus nisi speciebus corporeis, quo fit, ut nihil intellectus perspiciat, nisi quod corporeum sit. Licet fortasse argumentatione res esse alias & spirituales colligat, tamen quid qualesve sint non omnino intelligit, quia nempe corporeas species non emittunt, quæ per sensus ad intellectum transmittantur. Præterea tantoperè debilitatur vis mentis, quandiu immergitur ἐν πεδίῳ λήθης (uti statum animæ in corpore habitantis vocant Platonici) ut nullius substantiæ tametsi nobis perquàm familiaris ideam assequi possimus; sed eam continuò per attributa, operationes, accidentia, quibus se sensibus nostris objicit, describimus. Ut hominis non perfectiorem attingimus ideam quàm corporis externa & mentis actus quosdam, ratiocinationem, cogitationem, volitionem concipiendo; Sic homo percipitur tanquam corpus erectæ figuræ, in quo delitescat ignota res, quæ ratione & voluntate pollet. Neque quidquam clarior est decantatissima Aristotelica hominis definitio, esse scil. *animal rationale* i. e. animam quæ ratiocinari potest. Et quanquam videamur ipsissimas rerum essentias per voces abstractus & universales intelligere, tamen

nihil

nihil reipſa ultra accidentia advertimus: exempli cauſâ id humanitatem dicimus, in quo homines omnes convenire, & à rebus aliis diſcriminari percipimus; quid autem ſit, in quo conveniant, ultra actiones atque externam corporis figuram, nequaquam cognoſcimus, ita cum de ſpecie humanâ ab omnibus ſingularitatis conditionibus i. e. accidentibus præciſâ loquimur, non tam menti obverſatur univerſalis & abſtractus quidam homo, quàm aggeries quædam omnium hominum; nempe quoniam rationem peculiarem, qualiſcunq; demum fuerit, omnium hominum advertimus, ideo omnes in unam aggeriem conjicimus, quæ vulgò *ſpecies* appellatur; adeo ut cum ſingularem hunc aut alterum hominem eſſe prædicatur, Solum refertur ad hominum aggeriem, v.g. cum dicitur *Petrus eſt homo*, ſolùm intelligitur Petrum referri oportere ad aggeriem rerum iſtarum, quæ ſimiles exiſtunt erectâ corporis figurâ, lineamentis, ſermone, ratiocinatione, & ejuſmodi aliis, quæ in ſenſum incurrunt, extra ipſam intimam hominis naturam poſita. Jam vero ſi rerum corporearum & nobiſcum familiarium naturas tantoperè ignoremus, quanto magis eſſentiam Dei ſpiritualem & nobis nuſquam uſurpatam. Si fortè Apoſtolo licitum fuerat ea, quæ viderat arcana in tertium cœlum raptus, effari; uberius quiddam fortaſſe de Deo noveramus; ἐπεὶ δὲ (inquit Greg. Nazianz.)
Orat. 34. ἄῤῥητα ἦν, καὶ ἡμῖν σιωπῇ τιμάσθω. *Quoniam autem hæc in vulgus effari nefas erat, nos quoque ea ſilentio commendemus.*

Verùm hæc in genere; ut vero aliquanto ſpecialius agamus conſideranda venit ab omnibus recepta Dei deſcriptio (a cujus conſideratione ulterius patefiet ignorantia noſtra.) Definitio, quæ de Deo adfertur, ad hunc ſimilemve modum conſtitui ſolet; quod ſit *ſpiritus infinitus*, *æternus*, *immenſus ſummè bonus*, *ſummè ſapiens*, *ſummè potens* & ſimiliter; quæ omnia, excepto duntaxat nomine *Spiritus*, Dei attributa reputantur, & proinde alibi tractanda ſunt, nunc enim agitur de nudâ & ſolâ eſſentiâ detractis attributis: hæc autem exprimitur

mitur nomine *Spiritus*, in illius igitur consideratione paulisper immorandum est: Cujus natura, si investigari posset, ad ulteriorem naturæ divinæ investigationem deducet: sin minus, dic quomodo nomine spiritûs essentia Dei quidquam explanatur? Sunt imprimis qui spiritûs naturam in *rationalitate* ut aiunt consistere definiunt; atqui illa potius spiritualis substantiæ vis, facultas, & potentia, quâ ratiocinari valet: neque ratio suppetit cur in spiritûs descriptione ponatur potiusquam voluntas aut quævis alia facultas: neque dubitandum est quin Deus spiritualem substantiam creare potuerit rationis exortem, perinde igitur est (ut non neminem dixisse memini) ac si corpus per rotunditatem definirent. Deinde mitto Scholasticorum nugamenta, quæ adferunt de spiritûs naturâ exibilanda potius quàm refutanda, cùm non modò futilia sint sed & apertè contradictoria. Cæterum aliis (quibus cordi non sit consultò nugari) Spiritus definitur *substantia pariter atque corpus extensa propter soliditatem indivisibilis, propter subtilitatem penetrabilis*; ut licet in eâ partes designari possunt, tamen ejusmodi non sunt, quæ secari aut ab invicem divelli possunt, puta quæ nihilo imbecilliori nexu ad invicem cohæreant, quàm partes minimulæ atomi, inter quas nihil intercedit inanitatis. Quippe atomi non idcirco insectiles dicuntur, quòd extensione careant, sed quoniam quicquid in illis continetur ita cohæret, ut nullum intercedat inane, atque idcirco pars à parte distrahi non potest: neque tam partes dicendæ sunt, quàm una & simplicissima entitas, quæ ut nata est cum tantulâ mole, ita quamdiu superest, eandem tueri necesse est; ubi enim partes intercipit inane (quas utique designare licet) ibi diversitas agnoscenda est, nullo autem inani intercedente ibi rei identitas. Et hoc equidem quomodo negari possit non video; nimirum cùm quicquid existit, totum essentiæ Dei beneficio acceperit, & subinde quicquid ad naturam alicujus rei attinere voluit Deus, id illius rationem ingrediatur necesse est. Si igitur voluerit atomorum essentias

aliquò extendi, quicquid intra præfinitam extensionem clausum fuerit, earum naturas intimè & inseparabiliter ingredietur. Unde fit, ut ipse Deus atomum discerpere nequeat, quoniam impossibile est ut una simplicissima entitas in plures abeat: itaque quo jure negetur atomum entitatem esse simplicissimam & insectilem, eodem negandum est Deum efficere posse ut una eademque entitas ultra punctum Mathematicum diffundatur. Jam verò quod de atomo diximus, proportione inquiunt de spiritu dicendum est, quem divisionis expertem esse aiunt, non quòd extensione careat, sed quòd adeo solidus sit, ejusque partes adeo intimè uniantur; ut non magis divisionem subire possit, quàm si omni diffusione careret: quoniam, uti dictum est, non extensio sed soliditatis carentia dissolutionis radix est. Et quidem hujusmodi fortasse corpus Deum existere censuit Epicurus; nempe ut Deum corpus esse statuit, ita ejusmodi, quod ex atomis non conflectur, & quidni tale, quod hîc spiritus esse statuitur: quod ut multis aliis alia corpora exuperat, ita quoque soliditate, quod utique ex atomis non coaluit, sed in se planè solidissimum sit, perinde ac particula, quæ nihil in se admittit aut inanitatis aut divisionis: ita ut subinde Deum ex atomis conflari negaverit, quòd ipsum quasi ingentem atomum esse, nullam sui dissolutionem ferentem autumaverit. Utcunque sit hâc viâ essentiæ divinæ immensitatem explicare visus est *Theologus* multo perspicacissimus *simplicissima,* inquit, & *spiritualis Dei essentia in immensum sese diffundit, extenditurve, divisionis tamen expers est, quod non quasi totum componatur ex partibus sive homogeneis sive heterogeneis, sed quod simplicissima essentia per omne spatium extendatur, ita partes non veras sed imaginarias habere dicenda est, in ordine ad spatium, cui extensa concipitur, in cujus parte unâ mens nostra concipit aliquid ejusdem integræ entitatis, quod non concipit in aliâ, & hinc partes per extrinsecam denominationem appellantur, quo*

Episcop. instit. Theol. l. 4. sec. 2. cap. 8.

fit

ſit Deum, licet in immenſum ſpirituali extenſione diffundatur, non magis diviſibilem eſſe quàm atomum aut punctum. Ab his non multùm abeunt, qui corpus & ſpiritum in eo duntaxat differre volunt, quòd hic ſubſtantia ſit pura, ſimplex, nullique corruptioni obnoxia, iſtud vero diſſolubilis corruptionique obnoxium, ita ut eadem ſubſtantia modo ſpiritualis eſſe poſſit, modo corporea, ut quæ jam corruptile exiſtit, & poſthac incorruptionem induet; cui opinioni favere ſeu potius anſam dediſſe videtur Apoſtolus 1 ad Corinth. 15. 44. ubi apertè dicitur corpora noſtra ἐν ἀναςάσει futura eſſe ſpiritualia.

Sunt deinde alii, qui quicquid reale eſt corpus dicendum eſſe reputant; ſic Stoicis omne quod eſt, corpus eſt; Laert. Σῶμα δὲ ὅςι κατ᾽ αὐτοὺς ἡ ὐσία, *Corpus eſt penes ipſos eſſentia.* Plut. ὄντα γὰρ μόνα τὰ Cώματα καλοῦσιν, *quæ ſunt ſola corpora appellant*, hinc non modò Deos, animas, Genios, ſed qualitates omnes, virtutes, vitia, facultates, artes, affectus in corporum cenſu reponunt, & inde veritatem, bonitatem, deſiderium, aſſenſionem, juſtitiam, prudentiam, iram, ambitionem, triſtitiam, metum, audaciam corpora eſſe definiunt. Ut quidem in ſacro codice Σῶμα frequenter non corporalitatem ſed eſſentiam denotat, & incorporeis tribuitur, ut Coloſſ. 2. 11. Σῶμα ἁμαρτιῶν τῆς Cαρκὸς i. e. ἁμαρτίαι τῆς Cαρκὸς, ſimilis locutio Rom. 6. 6. ſic comm. 17. dicti capitis ad Coloſſenſes σκία & σῶμα opponuntur, & v. 9. *in illo inhabitat omnis plenitudo divinitatis* Cωματικῶς *i. e.* realiter, ſubſtantialiter ſeu veraciter, ut opponitur umbris legis Moſaicæ. Auguſt. *in ipſo inhabitat plenitudo divinitatis corporaliter, quia in templo habitaverat umbraliter.* Quomodo עצם apud Hebræos imprimis robur & firmitatem denotat, & deinde ſoliditatem corpoream, quæ roboris fundamentum eſt, atque deinceps ipſam ſubſtantiam tam incorpoream quàm corpoream, aut quicquid inane non ſit, ſic Rabbini quoniam nomen Tetragrammaton denotare ipſiſſimam Divinitatis eſ-

 ſentiam

ſentiam arbitrantur, עצם שם *Nomen ſubſtantiæ* vocant. Stoicis acceſſit Tertullianus nihil ſubſtantiale præter corpus eſſe exiſtimans,ut paſſim in Scriptis ſuis innuit,ut lib. de carne Chriſti. *Cum anima ſit neceſſe eſt ut habeat aliquid per quod eſt: Hoc eſt corpus ejus; omne quod eſt corpus eſt ſui generis, nihil eſt incorporale niſi quod non eſt.* Et lib. contra Praxeam. *Quis negabit Deum corpus eſſe, etſi Deus Spiritus eſt?* & paſſim alibi; *timuit enim,* inquit D. Auguſtinus, *ne Deus nihil eſſet, ſi corpus non eſſet.* In eâdem opinione fuiſſe quoque Epicureos pervulgatum eſt. Jam vero Nihil mirum ſi iſti, aut quicunque in eâdem ſententiâ fuerunt, Deum corporeum eſſe dixerint. Cæterum Quotquot ſubſtantiam Dei corpoream eſſe cenſuerunt, non tale corpus, quale ſenſibus uſurpamus, Deo tribuunt, ſed peculiare & ſui generis, aliiſque omnibus infinitis fortaſſe intervallis nobilius, imo quod aliis non minus antiſtet, quàm aliorum opinione ſubſtantia ſpiritualis corporeæ præcellat; ideoque Epicurei non corpus eſſe ſtatuunt,ſed *quaſi corpus,* non aliter quàm plerique Deo non ineſſe paſſiones, ſed *quaſi paſsiones* cenſent *i. e.* affectus quoſdam, qui analogiam ad paſſiones noſtras referunt, tametſi cum illis nihil commune habeant, ſic dicunt Dei ſubſtantiam ſimilitudinem ad corporea gerere, quanquam infinities purioris ſit & perfectioris conſiſtentiæ: & propterea licèt omnia alia ex atomis conſtare ſtatuunt, id tamen de Diis vehementer negant.

Sunt denique alii potiſſimùm Spagirici, qui medium quiddam corpus inter & ſpiritum commenti ſunt, id *corpus incorporeum,* & *ſpiritum corporeum* nuncupantes, cujuſmodi divinam ſubſtantiam eſſe autumant.

Quod ad prædictas haſce opiniones attinet, ut quid ſentiam, breviter dicam, dico ſolùm primam incertam eſſe, nullâque ſolidâ ratione inniti, & ſpiritûs notionem, quam adferunt iſtius auctores, meram eſſe conjecturam: talem quidem poſſe eſſe ſpiritûs rationem fateor, ſed tamen an reipſa ſit necne, hactenus in puteo delituit; & quidem ſi ita ſe habeat, tamen

obſcurè

obſcurè admodum & leviter ſubſtantiam divinam attingit, ſiquidem ſpirituum ingentem poſſe eſſe varietatem agnoſcatur, etenim hactenus à Theologis diſquiri permittitur imprimis utrum angelica ſubſtantia perinde ſpiritualis ſit ac divina, neque pauci ſunt, qui Angelorum *ſpiritualitatem* non adeo puram ac ſubtilem eſſe adſerunt, atque ſit divina, ſed quadantenus corpoream eſſe, licèt craſſitudini oſſeæ, carneæ & palpabili comparata ſit longè tenuiſſima: deinde an par *ſpiritualitas* Angelorum & animarum: an denique eadem omnium Angelorum *ſpiritualitas*, de quâ re licet in oppoſitas ſententias abeant, tamen extra dubium ponitur Deum haut minorem, ſi placuerat, in illis, quàm corporeis diverſitatem efficere potuiſſe. Quæ ſi ita ſint, prior ſpiritus definitio nequaquam ad peculiarem ſubſtantiæ divinæ naturam inducit.

Qui in ſecundâ opinione ſunt, & nihil ultra corpus eſſe ſtatuunt, atque ſubinde Deum corporeum eſſe exiſtimant, imprimis λογομαχεῖν videntur, cum id laxiore ſignificatione corporis nomine deſignant, quod alii per ſpiritùs vocabulum deſignarunt: tamen non vehementer reprehenderem, niſi quodquodammodo periculoſum videatur corporis vocabulum Deo tribuere, ne demum ad ſignificationem ſubſtantiæ craſſæ, carneæ, & palpabilis tranſeat: Neque nihili eſt illud Nazianzeni, quòd *nemo hactenus eorum, qui divinitùs afflati ſunt, hoc vel dixit, vel ab aliis dictum comprobavit.* Deinde cum corpus eſſe ſtatuunt longè alterius rationis ab iis, quæ apud nos uſurpantur, non omnino explanatur eſſentia Dei, cum quale ſit corpus explicare non ſuſcipiunt. Orat. 34.

Qui deniq; in tertiâ opinione & Deum corpus incorporeũ eſſe docent, aut ſecum ipſi pugnantia loquuntur, aut ad partẽ alterutram è prædictis tranſeunt. Sed vero non acerbè reprehendendi videntur; ſi per corpus excludant ſolummodo *inane*; & per incorporeum *craſſitudinem*, ut dicant eſſe Deum ſubſtantiam veram, realem, eamq; puriſſimam.

Verum

Verùm ut, quid ſtatuendum arbitror, verbo dicam. Mihi prudentius Philoſophari videntur, qui abditam ſpiritûs indolem indagare deſperant, ſéque potius ad illius vires & facultates inveſtigandas accingunt. Quanquam parum mihi arrideat illorum inſtitutum, qui ſpiritûs aut incorporei notionem primigeniam in facultate aliquâ ponunt; quemadmodum jam pridem in vi percipiendi magnâ cum Pompâ poſuit *Sagaciſſ. Author libri de concordiâ ſcientiæ cum fide:* Cæterum licet fortaſſe perceptione nihil ſpiritui magis proprium & peculiare intelligimus, tamen longè abeſt, quin inde vel minimùm pateſcat, quid reapſe ſit ipſiſſima ſpiritûs ſubſtantia; poſtquam enim innotuerit ſpiritum eſſe rem quandam, quæ percipiendi facultate polleat; tamē cujuſmodi ſit ſolida rei perceptricis οὐσία nihilo minus latuerit; cùm perceptione non rei ſubſtantia, ſed ſola facultas explicetur. Ut verò in percipiendi virtute primigeniam ſpiritus notionem minimè ſtatuendam eſſe arbitror; ita nollem ut quiſpiam in quo collocanda ſit indagando operâ & literis abutatur. Quiſquis enim rerum naturas, quæ ſenſum non feriunt, inveſtigatum iverit, ſcientiæ limites ſtatim errabundus tranſilierit; neque quicquam niſi conjecturas umbratiles & evanidas venari pergit. Et profectò perlepidum eſt ea legere inſomnia, quæ ſuper ſpiritûs naturâ ſuo more ſomniant Platonici. Propterea lubenter Authori quæſtionum Græcarum ſub Juſtini nomine prodeuntium ſubſcriberem; qui Deum neque *corporeum* neque *incorporeum* dici permittit; eumque tam ſubſtantiam incorpoream, quàm corpoream tranſcendere ſtatuit,

Quæſt. 2. Καὶ τὸ θεῖον φαμὲν εἶναι ἀσώματον, οὐχ ὅτι ἔστιν ἀσώματον· ἐπέκεινα γὰρ ἐστιν ὁ Θεὸς τῇ αὐτοῦ οὐσίᾳ, ὥσπερ τοῦ σώματος, οὕτω καὶ τοῦ ἀσωμάτου, &c. *Atque Deum incorporeum eſſe dicimus, non quaſi quod incorporeum exiſteret: Deus enim in ſuâ eſſentiâ ut ſupra corpus, ita ſupra incorporeum eſt.* Neque equidem dubitandum arbitror, quin Deus ſubſtantiæ perfectione longè magis incorporeo cuicunque creato antecellat, quàm tale incorporeum corpori.

Quid

Quid itaque aut qualis sit Dei substantia penitus me latere fateor, qui multò augustiorem esse reputo, quàm ut captum humanum non obruat; adeo ut facilius sit Noctuæ meridiani Solis splendorem, ad quem cæcutit, describere, quàm ut intellectus humanus majestatem Divinam, quâ obruitur, capiat. Propterea mihi in promptu est credere Sacram Paginam Dei substantiam describere non quemadmodum in se existit, sed ut fert aliquam ad aliquid nobis notum analogiam: sic primitùs spiritus dictus fuisse videtur ab similitudine, quam cum spiritu habet, *i. e.* quòd corpulentiâ, crassâq; mole vacat: spiritus enim propriè corpora significat admodum subtilia, & ideo spiritûs voce voluit Deus impermixtam & summè puram suæ naturæ rationem adumbrare; etenim in totâ scripturâ nullâ voce designatur Dei *spiritualitas*, quin quæ corporeis etiam tribuatur. Ita denotatur vocibus Lucis & ignis propter simplicissimam naturam, nihil enim inter res creatas simplicius aut defæcatius Luce & Igne esse videtur, nihil enim sibi permisceri aut uniri patiuntur. Ut Jamblicus (quanquam fortè ad vim igneam, de quâ supra diximus respexerit) ὥσπερ ἀμιγῶς πάρεστι τῷ ἀέρι τὸ φῶς, οὕτω καὶ τῶν θεῶν τὸ φῶς ἐκλάμπει χωριστῶς, ἐν αὐτῷ τε μονίμως ἱδρυμένον προχωρεῖ διὰ τῶν ὄντων ὅλως. *Sicut lux non mixta adest aeri, sic Lux Deorum illucet ita ut non misceatur, & individua in se manens pervadit in omnia omnino.* Unde non minus propria appellatio est, si Deus ignis aut lumen appelletur, quàm si spiritus, ut enim spiritus ab analogiâ, quam ad spiritum gerit dicitur, ita ignis & Lumen dici potest ob analogiam, quam cum igne & Lumine habet: & sicut cum spiritum appellitant, talem esse volunt, qui nihil cum spiritu proprio & vulgari commune habeat; ita cum ignem aut Lumen dicimus, aliquid sublimius intelligere oportet, quàm res sint, quæ apud nos istis nominibus designatæ veniunt: ut congruè à Platonicis *Lux incorporea* habetur, duo enim luminum genera statuunt, quorum alterum ὁρατὸν *& materiale, ut lumen Empyreum, Æthereum, Hylæum*, &c. alterum

Jambl. de myst. Ægypt. cap. de prov.

autem

Plat. Phædro. autem νοητὸν *materiæ expers*, quod ἐπὶ τῷ τῶ ὀυρανῶ νωτῳ *Cœli Empyræi tergo aßidet*, quodq; extra mundi finiti terminos in infinitum porrectum effunditur, Græcè Philonis voce παναύγια, Latinè, Patricio vertente *Omnilucentia*. De opinione seu potius fabulâ & somnio Palamæ, Barlaami, Massalianorum (qui & εὐχῖται & ὀμφαλόψυχοι dicti) Eugubini, aliorumque, qui reputarunt ab æterno *lucem* quandam extitisse divinam & increatam, à Dei substantiâ diversam, & ab eâ manantem: eamque corpoream & aspectabilem, quæ Dei sit habitatio, Deique regnum, quod Cœlum empyreum *vocatur*: quâque se Deus tanquam vestimento *induit*. De hâc, inquam, re videsis Josephum de Voisin. Theol. Judæorum lib. 2. cap. 6. Petavium Theol. Dogm. lib. 1. cap. 12. & lib. 3. cap. 5.

Cum ex hactenus dictis liqueat longè nos abesse ut summo conatu *physicam*, ut aiunt, naturæ divinæ substantiam & quidditatem aut certò aut plenè attingamus; adeo ut penes nos non sit definire, quid inter illam resque alias intersit: Consentaneum est ut quidpiam de *metaphysicâ* & abstractiori essentiæ Divinæ notione subtexamus. Huc usque enim de Deo egimus quatenus substantia, quæ cùm nos penitus effugiat, pergimus Deum eatenus considerare, quatenus Ens dicitur; quò fortean quodammodo assequamur quî & quibus intervallis ab entitate aliarum rerum discriminetur. Ut vero verbo exhauriam totam perfectionem entitatis divinæ, solum dico esse infinitam & summè perfectam. Quæ propositio paucis illustranda est.

Notandum imprimis, cum essentiam Dei infinitam esse dico, nequaquam aut ad immensitatem aut ad æternitatem respicere, aut ad attributa & proprietatum perfectiones, ut vulgò infinitas Divina concipitur; sed vero solius & nudæ essentiæ detractis omnibus attributis infinitatem considero. Neque ipsa infinitas Dei attributum est, non enim obliquè, ut alia prædicata, sed συνωνύμως & directè de Deo enunciatur; quippe Deo convenit ut intrinseca essentiæ conditio; alia

autem

autem attributa more proprietatum; nimirum cum rem quampiam infinitam esse prædicamus, non proprietatem subjecto adnectimus, ut cum omniſciam, summè potentem, summè sapientem esse dicimus; sed solum significamus nudæ & simplicis essentiæ ὑπεροχὴν, & inexhaustam essendi plenitudinem.

Notandum deinceps finitatem & infinitatem rebus nullis convenire, nisi secundum quod extendantur, sive quatenus aut partes aut gradus sortiantur, ut quantitati, loco, tempori, numero, & similibus: Laxiore tamen vocum acceptione quicquid rerum est, quodammodo finitum aut infinitum dici potest, quia rerum omnium essentiæ & notiones analogiam quandam cum extensione gerunt, eò quòd omnia per similitudinem ad corporea imaginemur; hinc perfectionis quantitatem, latitudinem, gradus, ac partes habere videntur: ut perfectior natura Divina quàm Angelica, hæc rursus quàm humana, quæ porrò bruta omnia excedit: unde vulgò distinguunt Scholastici inter quantitatem *molis* & *perfectionis*. Disquirendum igitur est quibus intervallis Divina essentia cæteras omnes exuperat, quotque gradus perfectionis exhauriat, finitos, an infinitos. Jam supra infinitos perfectionis esse gradus in essentiâ Divinâ adseruimus, quod nunc enodandum & adstruendum venit; & paucis expediam.

1. Perfectio rei dicitur, quicquid illius naturæ debetur, aut quicquid imperfectionem quamvis tollit, & propterea perfectio essentiæ est, quicquid removet ab essentiæ notione imperfectionem: essentiæ autem nudè consideratæ (de quâ jam agitur) notio est *esse*; & proinde quò remotior sit quævis essentia à *non esse*, eò perfectior dicenda est: Essentiæ itaque perfectio in *actualitate* ponitur; perfectum enim quodque in suo genere dicitur, quod optimum sui generis modum consequitur; cùm porro *essendi* modi eò plus minusve perfectionis adipiscuntur, quò plures paucioresve gradus *actûs* seu *essentialitatis*, ut aiunt, *& potentiæ* seu *non*

essendi teneant, sequitur ut quò profundiùs quidpiam in *potentialitatem* detrudatur, eò imperfectiorem *essendi* modum habeat, & quo vicissim plus *actus* sortiatur, eò perfectiorem.

2. Infinitum seu infinities perfectum dicitur, quod omnia habet, quorum capax est, sive quod quàm longissimè ab omni imperfectione sibi oppositâ distat. Sic potentia, sapientia, justitia, beatitudo, similesque virtutes infinitæ reputantur, cum omnia habent, quæ ipsarum notionibus convenire possunt, cumque illis nihil defectuum, qui illis opponuntur, admisceatur: Pari modo essentia infinitè perfecta dicenda est, cum omnes perfectionis suæ gradus obtinet, sive cùm quàm longissimè ab omni imperfectione, quam essentiæ contingere possibile est, amovetur. Idcirco cum essentiæ perfectio ex jam dictis in actualitate, seu remotione ab omni *potentialitate*, sive non essentialitate consistat (barbaris hisce vocabulis condonent Critici, cum nulla alia suppetant, quæ pari luce & subtilitate res, in quibus versamur, exprimant) ista essentia infinitæ perfectionis æstimanda est, quæ omnes actualitatis gradus possideat, sive cui nulla immisceatur potentialitas.

3. Ex his subsumo essentiam Divinam esse infinitè perfectam, utpote quæ omnes actualitatis gradus habeat, ita enim est ut non potest nisi esse, quàmque longissimè ab omni *potentialitate* seu *non essentialitate* distat: etenim tanta est ipsius *actualitas*, ut contradictio & impossibilitas sit omnium maxima eam non esse. Unde manifestum fit infinitudinem nudæ & solius essentiæ Divinæ resectis omnibus attributis in absolutissimâ *essendi* necessitate, quâ utique infinitis intervallis à *non esse* removetur, positum esse: Id, quod volunt *Scholastici*, cum Deum *actum purum* esse docent; etenim dictione istâ non respiciunt ad simplicitatem Divinæ essentiæ, quatenus ex materiâ & formâ non componatur: sed ad existentiæ necessitatem, seu, quod aiunt,

essendi

essendi puritatem, quatenus non componatur ex parte *positivâ* & *negativâ*, sive ex *esse* & *non esse*; quemadmodum creata omnia, quæ ita sunt, ut quandoque non fuerunt, & semper non esse potuissent, & quovis momento in nihilum interire possint. At vero essentia Divina tam innumerabilibus intervallis à *non esse* recedit, & ita excludit omnimodam *potentialitatem*, ut directè cum illâ pugnet, non modo ut dicatur posse non esse, sed etiam posse esse, quippe possibilitas importat indifferentiam ad utramque partem, quod cum necessariâ *actualitate* Divinæ essentiæ pugnat, quæ nullam admittit *potentialitatis* admistionem. Ex his colligere est

1. Infinitatem Divinæ essentiæ ab iis labefactari, qui Deum *positivam* sui ipsius *causam* esse docent; nam prætterquam quòd illorum sententia contradictionem, quam quæ maximè, involvit, si enim repugnat (ut repugnare in confesso esse necesse est) creaturam seipsam *positiva causalitate* efficere, quantò potius id repugnat in Deo; si enim creatura, quæ Deo multò imperfectior est, à *non esse* ad *esse* transire nequit, nisi vi præexistentis potentiæ, quantò magis immensitas Divinæ essentiæ producenda præexistentem potentiam exiget, quo enim perfectior est res producenda, eò plus potentiæ præexistentis desiderat, ut producatur; cum vi solâ præexistentis potentiæ è nihilo extrahatur, si igitur repugnat creaturam fieri sine alterius potentiâ, quàm enormem & monstrosam contradictionem involvit, ut nullâ præexistente potentiâ fiat res tantæ perfectionis, quantæ esse agnoscitur Divinitas. Præter manifestam hanc multasque hujusmodi repugnantias, quæ cum istâ sententiâ complicantur, eam inquã infinitatem quoq; essentiæ Divinæ non modo imminuere, sed & penitus abrogare: siquidem ex jam ante dictis liqueat infinitatem entitatis divinæ in *purâ actualitate* consistere, quæ ut tollatur necesse est, si essentia Divina *positivè* producatur *i. e.* è *non esse* ad *esse* extrahatur, sic enim *potentialitatem* aliquam sibi permistam haberet.

2. Hinc ratio constat, cur nulla infinita essentia nè quidem infinitâ Dei potentiâ produci queat: quippe eo quod producatur, neutiquam infinita censeri potest, siquidem ex jam supra allatis infinitas essentiæ nihil aliud sit, quàm vi propriâ, independenter, & necessariò subsistere, quicquid verò producitur non vi propriâ, sed externâ, sibi adsciscit subsistentiam: Adeo ut tametsi alias quascunque perfectiones res aliqua participaret, deesset nihilominus omnium princeps & suprema, necessitas scil. existendi, suisque dotibus fruendi: ita ut quanquam æterna, summè potens, sapiens, bona, justa evaderet, nunquam tamen perfectionis divinæ amplitudinem exæquaret, quoniam non à se, suive perfectione, sed aliunde quicquid perfectionis habet, proveniat. Utrum vero pote sit infinitum esse duratione, magnitudine, numero, ullâve aliâ ratione in capite de æternitate dicendum est; & nihil tale ratione essentiæ posse esse præter Deum jam satis dictum.

3. Hinc denique elucescit ratio, cur sola divina essentia *negativè* ut aiunt à seipsâ esse possit, cum aliæ omnes causam exigunt, ut existant. Nimirum etiamsi Deum esse à se *negativè* duntaxat dicimus, tamen illius fundamentum positivum assignari necesse est, scil. immensitatem perfectionis divinæ radicem, causam, seu fundamentum esse dicimus, quòd causam non habeat: ita licèt non se ipse producat, tamen à solâ perfectionis exuperantiâ est, quòd non producatur: quomodo quanquam Deus propriè à se non sit, tamen sibi debet, quòd ab alio non sit neque sit opis alienæ indigus, quatenus ab immensâ suæ perfectionis exuperantiâ fit, ut causam non postulet, quâ produceretur. Atqui vero entia creata non nisi positivè à seipsis esse potuissent, quæ utique ab intrinsecâ naturæ necessitate non subsistunt, talis enim naturæ illorum conditio est, ut causâ aliquâ indigeat, cujus potentiâ & beneficio subsistat, & inde à se esse nequit negativè, *i. e.* à naturæ suæ perfectione habere non potest, ut causâ non egeat,

cujus

cujus vi existat; & nisi talis esset creatorum conditio, semper & necessario fuissent, eademq; non esse impossibile foret, necesse est igitur ut si à seipsis extitissent, sibi subsistentiam *positivè* seu *causali influxu* dedissent; nimirum quæ vi & perfectione essentiæ propriæ non existunt, indigent reali influxu, ut existant, quia non transitur à *non entitate* ad *entitatem* nisi reali vi & influxu, & propterea dicunt *Scholastici* creaturæ omni intimam esse alienæ opis *indigentiam*: quod enim ex naturæ vi aliquid non est, essentiam non assequitur nisi alius beneficio.

Hîc modo obiter subnotare fas sit quòd quanquam jure expectari non possit, ut infinitas proprietatum Dei vi argumentationis citra sacram scripturam solidè adstruatur: quoniam nihil perfectionum divinaram scire licet, nisi aut ex ipsarum effectibus aut ex perfectionibus, quas Deus creaturis indidit ipsis analogas; cùm verò omnes effectus & imagines perfectionum divinarum hactenus finita sint, ex iis infinitas perfectionum Dei ritè elicere non possumus. Exempli causa, quî intelligam Deum vi potentiæ undiq; infinitâ pollere, ex eo quod mundi fabricam extruxerit, quòd quanquam opus sit ingentis & eximiæ potentiæ, tamen omnipotentiam non arguit, quæ nempe hoc operę non exhauritur, sed longè absolutiora, quæcunque scil. contradictionem non involvunt, conficere valet; at hoc legitimè ex Universi fabricâ adstrui non potest, cum nimirum perridiculum sit *affirmative à minori ad majus* ratiocinari; hinc inquam licet infinitas proprietatum Dei firmiter probari non posse videatur, tamen non admodum imbecilla ex jam ante dictis de infinitate essentiæ Divinæ probatio facilè petitur. Quod enim tam immensæ perfectionis est, ut sibi tam immensam essentiam dederit, (sic loqui fas sit) quantò magis omnes alias quascunque perfectiones daret, cum nulla attributa amplioris possunt esse perfectionis, quàm sit immensa & inexhausta Dei essentia; si igitur hanc Deus à seipso habuit, seu non desideravit causam, à quâ eam mutuaretur,

tuaretur, nedum indigeret, à qua attributa aut quaſvis proprietates derivaret. Quæ ratio licèt ſolito ſubtilior videatur, neque idcirco vocibus plenè exprimi poſſit, eam tamen nullus dubito attentius perpendenti ſolidam viſum iri. An addam rationem, quæ perfectiones in rebus creatis limitat, eſſe quòd creatæ ſint, ſeu quòd eſſentias aliunde hauſerint, & proinde non plus perfectionis obtineant, quam aut potuit aut voluit earum cauſa illis elargiri. Idcircò ſicubi abſuerit iſta limitationis cauſa, ſequitur omnes ibi adeſſe perfectiones nullis limitibus circumſcriptas; ac ſubinde perfectiones Dei utpote ἀναιτίως nullo limite conſtringi. Et quò quidem diutius meditor, eò minus intelligo quî quidpiam *ad intra* ut aiunt, ſeu à ſeipſo reſtringi & limitari poſſit; ſiquidem ſola producta limitari videantur, ex eo quod è nihilo fiant, quòdque huc uſque & non ulterius progreſſa eſt illorum cauſa productrix: Quandoquidem igitur quicquid ad Naturam Dei attinet, ſive per modum eſſentiæ, ſive per modum attributi aut adjuncti à nullâ cauſâ dependeat, non video quo pacto ſibi ipſi certum perfectionis modulum potuit præſcribere niſi etiam à ſeipſo produceretur, quod manifeſtò abſurdum eſſe plus ſatis ſupra evictum eſt; ſed de his fortaſſe fuſius alibi. Eo jam, unde digreſſi ſumus, redeundum eſt.

Dictam puritatem ſeu neceſsitatem eſſendi priſci ſubnotarunt eſt, dùm nullam nomenclaturam Deo magis propriam eſſe docuerunt, quàm iſtam ὁ ὤν: ut paſsim videre eſt in *Platone*, *Simplicio* 1 Phyſ. ad text. 15. *Ariſtot.* 2 Metaph. c. 3. *Senec.* ep. 59. *Plotin.* Ennead. 6. l. 8. c. 9. aliis, qui omnes Deum per τὸ ὄντα deſcribunt, Reliquis quidem inſignior eſt *Plutarchi* liber de εἶ Delphici templi propyleis affixo: quem vide. Neque abludit jactata *Jul. Scaligeri* dictio, αὐταυτός, quam Deo præ quibuſcunque aliis propriiſsimam eſſe jactitat ejus auctor. Neque prætereundum eſt pleroſque, Rabbinos utique omnes & Scholaſticos, velle Deum Nomen Tetragrammaton יהוה ſibi impoſuiſſe, ut puram

De ſubtil. exer. 365. N. 2.

indicaret

indicaret existentiæ suæ necessitatem: quod scil. indubium est à verbo הוה *fuit* originem traxisse, quamvis hactenus controvertatur an ab istius radicis *præterito* an *futuro* immediatè enascatur: at inde fieri extra controversiam ponitur, atque ita propriè τὸ ὄντα significare, & Deo κατ' ἐξοχὴν attribui, quia ipse solus non aliunde subsistit; cætera autem quod sint, Dei accepere beneficio. Huc insuper adferunt Exod. 3. 13. ubi Deus dictionem istam *ero qui ero* tanquam שם המפורש *nomen sibi peculiare* vendicat; quia, inquiunt, cætera omnia à Deo dependent, & ideo de illis dici nequit *ero quod ero*, cum ab alterius arbitrio pendent, & id sunt, quod illa esse ipse vult: Deus autem quia à se solo dependet, ideo de illo solo extra cætera entia dici potest *ero qui ero*, i. e. existo quia sum, & semper ero qui sum, quia non ab alterius arbitrio pendeam.

Vide lib. de fundamentis. l.2. c.27.

Facilius tamen aliis adsentirer, qui dicto Nomine Tetragrammato Dei constantiam & veracitatem potuisquam essentiam indicari arbitrantur, quod clarè, ut mihi videtur, conficiunt è loco, qui extat Exod. 6. 3. & deinceps, ubi Deus Mosem sic alloquens inducitur. *Ego Jehova & visus sum Abrahamo, Isaaco, Jacobo* בְּאֵל שַׁדָּי *in* [nomine] *Dei omnipotentis, at nomine meo* יהוה *non cognitus sum eis. Etenim statui pactum meum cum eis, quòd daturus essem illis terram Canaan, terram peregrinationum ipsorum, in quâ peregrinati sunt: & etiam audivi clamorem filiorum Israel, quos Ægyptii servitute premunt: & recordatus sum pacti mei, idcirco dic filiis Israel: Ego Jehova, & educam vos de sub oneribus Ægyptiorum, & eruam vos è servitute ipsorum, & redimam vos brachio extenso, & judiciis magnis: accipiamque vos mihi in populum, & ero vobis in Deum, ac scietis quòd Ego sim Jehova Deus vester, qui educo vos ab oneribus Ægypti. Introducam quoque vos in terram, pro quâ levavi manum meam, me daturum illam Abrahamo, Isaaco, & Jacobo; daboque vobis in hæreditatem: Ego Jehova.* Quibus verbis Deus apertè indicat,

ideo ſeſe *Jehova* cognominari, quòd promiſſis ſuis conſtet, id nimirum erga Iſraelitas præſtiturus, quod olim ipſorum patribus promiſerat; quo nomine deinde ideo ſeſe tribus Patriarchis non innotuiſſe dicit, quòd non experti fuerant eum ſe eſse, quem ſe futurum dixerat: Illorum nempe poſteris ſe daturum terram Canaan promiſerat; quoniam autem revera experti non fuerant Dei conſtantiam in promiſſis, quatenus illis effectum, quod pollicitus erat, non dederat, idcirco illis non innotuerat nomen יהוה: ſed jam promiſsa præſtiturus erat, & Iſraelitas in terram Canaan introducturus, ut experimento agnoſceretur ſe eſse *Jehova*, i. e. eum, quem ſe futurum eſse dixerat: ſive ut manifeſtam & plane notam faceret proprietatem & rationem nominis ſui יהוה *i. e.* veracitatem & conſtantiam. Dicta hujus nominis proprietas ſimiliter innuitur Iſai 42. 8, 9. ubi Deus Jehovæ nomen vendicat, quod olim promiſsis conſtiterat, & recens promiſsa poſtea præſtiturus erat. Capite item 43. 10, 11, 12. cap. 44. 24. cap. 45. 2. & paſsim alibi. Hinc (id ſubnotante Vorſtio) in uno capite 31. Jerem. ubi promiſsiones ampliſsimas in Chriſto tandem exhibendas ſuo populo proponit Deus, nomen iſtud trigeſies ter ſibi attribuit. Quin & quomodo Deus Patriachis innotuiſse potuit ſub nomine אֵל שַׁדַּי *Dei omnipotentis*, & interim non innoteſcere ſub nomine יהוה, ſi nomen hoc immediatè ipſam Dei eſsentiam denotaret? potentia innititur eſsentiæ, eamque ſupponit, quapropter cognitam iſtam habere non potuiſsent, niſi prius alteram agnoverant; cum igitur Deum in nomine אֵל שַׁדַּי noverant, non autem in nomine יהוה, neceſse eſt ut nomen hoc nihil ſignificet, cujus conceptus prior ſit iſto, qui altero nomine indicatur, & conſequenter non Dei eſsentiam ſignificare, utpote quæ præſupponitur ejuſdem potentiæ. Deinceps quomodo magis Iſraelitis quàm eorum patribus in Nomine Jehova innoteſceret, quippe his Dei eſsentia perinde innotuerat, atque ipſorum poſteris?

Not. ad diſp. 2. de Deo.

Similem

Similem quoque esse usum & significationem nominis Jah cum Nomine Tetragrammato norunt omnes; & propterea cum Nomine Tetragrammato celebretur Divina veracitas, sequitur eandem quoque nomine Jah celebrari: & proinde solennem ac decantatam istam cohortationis ad Dei laudes celebrandas formulam *Hallelu-Jah* potissimùm ad Dei veracitatem referre, quam exhibuit populum Israeliticum in terram illorum patribus promissam inducendo. Quomodo denique interpretantur Exod. 3. 13. ubi Deus se appellari jubet *ero qui ero*, & mox *ero*, & postmodum *erit* (non in præsenti ut verterunt 70 ὁ ὤν, sed in futuro *ero*) *i. e.* is *ero* quem me futurum esse dixi, seu mei ipse similis *ero*, semper is *ero* facto, qui fui promisso; unde in verbis istis *ero qui ero* elegantem ἀνταναχλασιν seu dilogiam observant, quæ figura neque infrequens neque invenusta, in quâ eadem vox in eodem orationis contextu repetitur significatione variatâ, qualis fit Rom. 12. 12, 13. in voce διώκοντες, quæ bis repetita priore loco *pietati studere* significat, posteriore *pios execrare* & in illo apud Suetonium

Quis neget Æneæ magnâ de stirpe Neronem?
Sustulit hic matrem, sustulit ille patrem.

Ubi idem vocabulum è medio tollere significat simul & tollere in humeros; ita hîc prius *ero* factum denotat, posterius obligationem; facto is *ero*, quem me futurum esse promissione obligavi.

Jam demum cum essentiam Divinam per suam infinitatem ab omni aliâ discriminari viderimus, consentaneũ est ut, priusquam ad illius attributa descendamus, paucis inquiratur, an illam, cum infinita agnoscatur, fas sit in *categoriâ* aliquâ includere. Quo negotio ut expeditius defungamur.

Dicendum imprimis categoriarum aut prædicamentorum nomine designari certas classes, quas excogitarunt veteres, quò commodius in illas res omnes digererent; hinc quisque,

 ut

ut lubuerit aut ut commodius æstimaverit, variè illas digessit & instituit, adeo ut demum quælibet secta peculiarem sibi categoriarum seriem depinxerit, hæc plures assignat, pauciores illa, una Duas, sex alia, altera decem; quidni & mihi centenas, millenas, millies millenas, aut numerum quantumcunque libeat, assignare liceat? Cæterum præ aliis multò illustrior numerus categoriarum Denarius ab Aristotele propositus, quas tanquam totidem fidei articulos propugnant Peripatetici, & ad eas non minus religiosâ pertinaciâ, quam ad decalogum divinitùs sancitum adhærescunt, neque quovis pacto aut plures aut pauciores assignari permittent.

Deinde res aliquammultas à categoriis suis excludunt (jurene mox liquebit) Deum scil. Angelos, entia quotcunq; incompleta, entia per accidens dicta, æquivoca, & hujusmodi alia. Quippe haud paucas conditiones exigunt, ut quodvis categoriæ alicujus municipio donetur; *municipio* dixi, quod causæ, quæ quidpiam à categoriâ excludunt, iis similes videantur, quæ quempiam à municipio excludunt. Ut alii propter dignitatem municipiis donari aspernantur; sic Principes & plerunq; nobiles municipali quovis ordine se recenseri nolunt: ita omnes Deum, & pleriq; Angelos in categoriam aliquam cogere verentur. Alios deinceps à municipiis abigunt propter sortis tenuitatem, ut mendicos, inopes, vagabundos; sic & à categoriis arcent privationes, entia rationis, externas denominationes, entia incompleta, entia per accidens, quæ nempe *incertæ conditionis*; & si quæ alia sint entia tenuioris fortunæ. Alii rursus jure municipali mulctantur propter inhonestam vitæ rationem, ut falsarii, fures, factiosi: sic à categoriis interdicunt æquivoca, in substantiis concreta, in accidentibus abstracta, &c. Quàm politicè se gerunt viri boni! sed quâ quæso vos authoritate leges municipales, quas libitum erit, præscribitis? Aristotelis? At jam pridem impotentem istius dominatum excussimus. Cur illi potius in nos imperium, quàm Platoni, Epicuro, Zenoni, aliisque, qui aliter statuunt;

tunt; liberè Philosophamur & jure utemur quisque suo. Sed seriò demum, Imprimis cum tam religiosâ superstitione decem, neque plures neque pauciores, categorias amplectantur. Dicant quorsum tantoperè numerus denarius præ aliis placeat? cur non prius sistatur, aut ulterius descendatur? cur postquam ens in substantiam & accidens divisum est, non subsistant? aut si subsit dividendi pruritus: quorsum accidens in novem subdividatur genera, cùm interim intra unum genus indivisa quiescat substantia? aut quorsum postquam accidens in novem classes reduxerunt, sistatur? cur non pergunt in viginti, centum, sexcenta, mille, & ultra subdistinguere? Quidni etiam quantitatem in continuam & discretam subdividant, hanc rursus in longitudinem, latitudinem, & profunditatem, illarumque singulas deinceps in suas species? cur non situm in supra, infra, pone, retro, dextrorsum, sinistrorsum, stare, sedere, procumbere, &c? At summa genera non fore ejusmodi subdivisiones causantur. Attamen neque summa sunt, quæ illi assignant. Sed dicatur quid summum genus esse velint. Idne sit, quod superius non habet? si ita, à summi generis dignitate dejiciantur quantitas, qualitas, & cætera, quæ sequuntur omnia; quibus nimirum superius est accidens, cujus subdivisiones habentur quantitas, qualitas, relatio, non aliter quàm quantitatis longitudo, & profunditas: idcirco si sola summa genera pro prædicamentis agnoscent, quiescendum est in accidente: sed cum ulterius descendere velint, descendere cuique pari jure licebit, quousque lubuerit, ad inferiores quasque cujuslibet categoriæ subdivisiones. Quorsum insuper substantiam non subdividant in corpoream & incorpoream, in compositam & simplicem, in immutabilem, & mutationi obnoxiam, aut quasvis alias hujusmodi species? an non pari modo corpus subjicitur substantiæ, atque quantitas accidenti? cur igitur à categoriæ dignitate, quâ quantitatem cohonestant, excludatur corpus? Næ iniquè cum corpore agitur, quòd tametsi longè nobilioris

ſortis & dignitatis ſit, inter ſubditos & privatos deliteſcat; cum interim quantitas, quæ è corporis famulitio fuerit, & corporis ſolius beneficio ac munificentiâ ſubſtiterit, eo uſque honoris evehatur, ut inter decem rerum omnium capita & monarchas recenſeatur. Hæc in genere ut liqueat quàm futiliter in categoriis digerendis ſe gerant Peripatetici, ut nihil mirum ſit ſi futiles ſint, cum Deum in illas cogere verentur, ſed pergo.

Deinde cum tot conditiones exigitis viri boni, ut quidpiam in categoriam aliquam admittatur; Quidni nobis liceat conditiones veſtris contrarias ad jus categoricum poſtulare? vos analoga proſcribitis, nos univoca; vos incompleta, nos completa; vos incorporea, nos corporea; vos externas denominationes, nos (quoniam alterius eſſe generis cenſetis) omnes relationes; quidni etiam animata omnia, corruptibilia, & quævis alia? Cur conditiones à vobis propoſitæ potius admittendæ ſint, quàm quas viciſſim nos propoſuimus? Quorſum ſubſtantiarum concreta rejicitis, accidentium tamen manumittitis? Unde jus habent corporea, univoca, completa; non habent ſpiritualia, analoga, incompleta? quippe paria utrinque merita; nam ſi illinc completa præcellant incompletis, ita hinc ſpiritualia corporeis. Sed denique quorſum conducat ullas omnino conditiones categoriis apponere? quid periculi ſi conditiones nullâ neceſſitate, ſed pro veſtrâ ſolùm libidine excogitatæ refigantur? Quod ſi bonâ veſtrâ cum veniâ fiat, nihil obſtat quominus analoga, ſpiritualia, infinita, aliaque omnia in jus & privilegium categoriarum redeant. Et profectò non poſſum niſi demirari res omnes in categoriarum claſſes diſtribui eo ſolum fine ut nihil vagum ſit, ſed ut omnia ad certos ordines & locos referantur, quò expeditius ubi quidque reperiatur, à quibus diſtet, & quibus affine ſit complectamur, & ſimul tamen haud paucas rerum ſeries ob conditiones pro arbitrio confictas excludi, idque eo ſolùm fine ne intra rerum ſeries recenſeantur. Non aliter, acſi

cùm

cùm olim Pop. Rom. in tribus & curias distribueretur, ut ad aliquam quisque pertineret, seclusâ interim bene magnâ populi parte ne cuiquam adnumeraretur; quasi quispiam nullius curiæ censendus foret, quoniam ex ordine senatorio aut equestri erat; ita scil. ut quamvis primitùs institutum fuerat totam populi aggeriem in classes referri, tamen solam populi partem distribui mallent, potiusquam ordo equestris curiæ cuiquam accenseretur, tametsi nihil prohibeat, quo minus equites perinde ac plebeii intra curias cogerentur: sic è categoriis, quæ nihil aliud sunt quàm totidem classes, ad quas omnia referantur, multa, solum quòd ita volunt, ex omnibus ejiciunt prudentes isti. Dicite obsecro vos cur Deo locum in substantiæ categoria denegari vultis? en quia infinitus est; at rursus cur infinitum excluditis? cur potius infinitudo à jure prædicamentali dejiciat, quàm finitudo? substantia infinita nihilo minus verè ac propriè substantia est, atque finita; quorsum igitur hæc, exclusâ illâ, in substantiæ prædicamento locum habeat? cum eo fine, si ullo, substantiæ categoriam usurpetis, ut promptius substantiæ quæque seorsim ab accidentibus ponantur: an operæpretium finitas omnes ab accidentibus sejungi reputetis, & non similiter infinitas? Quinimo an non Deus primum locum in substantiarum ordine meretur, qui utique omnium maxima sit? ita equidem non aliter è substantiæ genere secludi potest, quàm è regno Princeps, ex exercitu Imperator. Denique pari jure Deum inter causas *Physicis* recenseri non oportet, aut *Grammaticis* inter nomina, ac Logicis inter prædicamenta.

Sed insurgunt universi, Deus in aliquo prædicamento collocari non potest, nisi genere & differentiâ componatur, ac proinde *actu* & *potentiâ*; quòd genus ita referatur ad differentiam ut potentia ad actum: Deinde aliquid, inquiunt, Deo foret prius & superius, siquidem *omne genus* prius & superius sit *suis speciebus*, postremo limitaretur Deus, siquidem *omne genus* contrahitur *suis differentiis*. Quæ ratiocinia quàm putida sint

sint facile liquet consideranti genus & differentiam non esse reipsa distinctas entitates, sed eatenus solum penes intellectum secerni, quatenus perspiciat rem quamque cum aliis convenire & ab aliis differre; quod enim cum aliis commune habet, genus dicitur, quod sibi peculiare, aliisque diversum, differentia; & proinde fit, ut nihil rebus ipsis conveniat ratione generis & differentiæ, sed solùm prout mente nostrâ varios de iis conceptus & respectus formante versentur: ut in Deo non alia res est *entitas*, alia *infinitas*, tamen quoniam advertimus Deum rebus aliis similem in *entitate*, dissimilem in *entitatis infinitudine*, diversos de iis conceptus fabricamus, idque quod aliis simile habet, quidni genus vocitemus, quod dissimile, differentiam? & propterea genus in Deo non est tanquam quidpiam *potentiale*; sed solum quatenus intellectu nostro exprimitur, eatenus potentiam imitatur, quòd capax sit pluribus *differentis* quasi *informari*, quòdq; eam determinet accedens *differentia*, eo modo quo adveniente *formâ* materiam determinari volunt: verum quid periculi si conceptus nostri de Deo aliquam similitudinem gerant cum potentiâ & actu, si nihil tale reipsa in Deo ponant? equidem non magis quàm cùm cogitatione essentia ab attributis divellitur. Atque pari ratione ad cætera quæ objiciunt respondendum est: speciatim non est quòd vereantur Deum differentiâ limitari, cùm eam adseramus esse *infinitatem*: brevi differentiæ limitant *logicè* i. e. vocum significationes, non *Metaphysicè* i. e. rerum perfectiones. Ad id quod objiciunt hinc Deo aliquid superius fieri: an, ut jocosè Clariss. Gassendus, moneam *invertere categoriam*, *ut Plato ille non erubuit arborem inversam ex homine facere*; *sic enim quod est categoriâ summum fiet infimum, poteritque Deus Demum remanere superior?* an potiùs serio respondendum præter ea, quæ jam supra diximus, nihil absoni esse, si Deo aliquid superius ponatur; etenim ipsi, qui objiciunt, *ens* Deo superius agnoscunt, quatenus *enti*, quod commune

Exerc. paradox. adv. Arist. l. 2. c. 3. Ubi unà cum his plura.

mune

mune est tum Deo tum creaturis & vocum omnium supremum, in rerum serie Deum subjiciunt, hæc quoque subjectio *logica* dicenda est, quæ fit, quatenus notio Dei in serie ab intellectu humano conficta subjiciatur notioni entis; quæ par indignitas est, ac si in chartulâ aliquâ Nomen Tetragrammaton subscriberetur voculæ *mus*; execrabilis impietas ridiculum murem Deo superiorem fieri! E dictis abundè liquet Deum sub religioso prætextu, quod plerumque obtendunt Scholastici, intra prædicamentorum seriem sive Aristoteleam sive quamcunque aliam non includere, futilissimæ & summoperè ridiculæ superstitionis esse.

Prætereo hîc haud irridiculas, in quibus desudant Scholasticorum ingenia, quæstiunculas: ut *utrùm sit idem Deus, quod sua essentia?* utrum *in Deo sit idem essentia & esse*; ac hujusmodi reliqua: in quibus evolvendis nihil aliud crepant Barbari, quàm Bucephaleitates & equinitates, & humanitates & Petreitates. Aliud inquiunt esse Bucephaleitatem, aliud Equinitatem, aliud item ab humanitate Petreitatem. Lepide! ut nempe humanitas equinitatem equitaret, Petreitas Bucephaleitatem; miror quidem utra, si cursu contenderent, superaret. Modo dicite, ô boni Doctores, si ab invicem distraherentur Bucephaleitas, & Equinitas, utri istarum adhæreret Hinnibilitas.

CAP. V.

De Dei Attributis in Genere.

POstquam de Dei Opt. Max. Essentiâ egimus, sequitur ut de ejusdem Proprietatibus & Attributis agamus, iis scil. quæ περιφερικῶς obliquè, & ad modum Affectionum de

Deo

Deo enunciantur; quæ passim nomine *Perfectionum* significata veniunt; nec immerito, cùm omnia, quæ Dei sunt, Perfectiones dicenda sint; ut & quicquid perfectionis sit, Dei esse dicendum est. De quibus imprimis in genere dicendum est, & ut commodius explicentur, præmittenda est trita perfectionis divisio in *Absolutam* seu ut vocant *simpliciter simplicem*; & *secundum quid*, seu *quadantenus sic dictam*; Primi generis sunt Perfectiones omnes, quæ nullam imperfectionem adjunctam habent, quasq; præstabilius est adesse quàm abesse: secundi generis habentur omnes; quæ aut aliquid imperfectionis invehunt, aut cum perfectioribus pugnant; quemadmodum notio corporis aut materiæ aliquid perfectionis includit, ejusmodi tamen, cui aliquid imperfectionis immisceatur, non modò quod spiritûs notione sit imperfectior, sed quod eam, quæ perfectior est, excludat: aut denique cujus contrarium paris sit perfectionis, aut saltem imperfectum non sit. Cujusmodi sunt omnes actiones Dei *ad extra*, seu omnes illius actus liberi, qui utique nihil perfectionis Deo adferunt, etenim perindè perfectus fuerat Deus, tametsi nunquam fuerant, atque etiamnum sit illis existentibus.

Hanc distinctionem commodè præmittendam esse dixi, quia controversiæ pleræque, quæ de Divinis Perfectionibus agitantur, ex eo proveniunt, quòd non attendatur aut quæ sint *perfectiones absolutæ*, aut quid cum illis pugnet, quid conveniat; & quæ vicissim *perfectiones* sint *quadantenus completæ*, quomodo cum absolutis pugnent, & quid imperfectionis in sui notionem admittant. Hinc, inquam, indigna Deo attribuuntur, digna negantur. v. g. à nonnullis in dubium vocatur sitne Essentia Dei immensa, necne? ubi controversiæ cardo in his vertitur; imprimis utrumne esse in loco, seu commensurari cum loco sit perfectio, deinde an absoluta, postremò num immensitas quidpiam perfectionis in se complectatur, ultra quam quod sit in præsentiâ definitâ & circum-

scriptâ; sic tota moles disputationis à Deo in notionem Perfecti simpliciter & secundum quid dicti devolvitur; quippe si dijudicaretur de terminorum istorum notione controversia, eodem protinus negotio lites de Deo agitatæ dirimerentur. Ab hoc quoque fonte scaturiebant propemodum omnes *Atheorum* veterum & *Epicureorum* objectiones, quòd scil. Deo attributum irent quicquid in homine perfectum esse arbitrabantur; ita perfectiones inchoatas (quales sunt creaturarum omnes, quæ à *fontali,* ut aiunt, *perfectione* deficiunt) Deo affigebant v.g. si Deus Optimus sit, inquiunt, toto virtutum complexu ornatus est, & proinde fortis est, si vero fortis sit, materiam, circa quam operetur fortitudo, habeat necesse est, quæ arduum & difficile quidpiam est, & sic demum Omnipotenti arduum & molestum esse conficiunt. Mille hujusmodi apud Ciceronem, Empiricum, aliosque Ethnicos, qui de Diis scriptitarunt, videre est. Dein Hinc Epicurus Deo, ut eum beatum efficeret, providentiam mundique administrationem eripuit; quia nimirum *vitam beatam, quâ nihil beatius, nihil omnino bonis omnibus affluentius excogitari potest* (qualem à Diis degi censebat) *in animi securitate, & in omnium vacatione munerum posuerit*; hinc præterea Naturæ Divinæ speciem & figuram humanam affinxit, quia *naturam præstantissimam oportet pulcherrimam esse, verùm humanâ formâ nulla venustior, hominis igitur specie Deos esse confitendum est*; ut arguit apud Ciceronem Velleius Epicureus. *De Nat. Deor. lib. 1.* Et quidem Veteres Philosophi pro suâ quisque libidine Numen fabricati sunt, sicuti Tertullianus quemq; de animâ definivisse prodit, *Prout aut Platonis Honor, aut Zenonis Vigor, aut Aristotelis Tenor, aut Epicuri Stupor, aut Heracliti Mæror, aut Empedoclis Furor persuaserunt.* Ut sanè proditum sit totas Gentes effingere solere suos Deos institutis suis & moribus accommodatos, ut Lacedæmonii plerosque Deos Deasque armatos efformabant, quia ipsi armis delectarentur. Phœnices, quia mercimoniis & mercaturæ dediti erant, Deos cum num- *Lil. Gyrald. Synt. 1 de dîs gentil.*

 mariis

mariis loculis effingere solebant, eò quòd ipsi pecuniosum beatum putabant. Argutè olim Xenophanes, *si brutis animantibus concederetur Deum pingere, eum sibi similem quodq; delinearet.* Si vero isti omnes in animum induxerant hæc attributa, quæ Deo affingebant, licèt in nobis laudes mereantur, tamen non absoluta esse, sed quodammodo manca & imperfecta, in censu Perfectionum Divinarum, quæ quidem absolutæ esse statuuntur, numerari non oportere viderant. Sic fortitudinis virtus impotentiam quandam secum convolvit, cujus utique objectum arduum & periculosum sit, at nihil tale respectu summæ Potentiæ reperitur. Atque adeo proinde in attributis Dei enumerandis, imprimis quid perfectum & absolutum, & quid non, disquirendum est. Propterea obiter monendi sunt qui posthac contra Heterodoxos in hisce negotiis disputaverint, ut fusiùs & accuratiùs demonstrent quænam sint perfectiones *simpliciter simplices*, potiusquam quòd Deo insint; evicto nimirum priore, non pergerent Hæretici (ut vocantur) controversiam de posteriori movere. Ita cum Dei Essentiam esse omni modo simplicem contenditur, velim ut uberius demonstretur omnimodam Simplicitatem perfectionem absolutam censendam esse (nondum enim inter Scholasticos convenit omnem simplicitatem perfectionem habendam esse, quòd nimirum omne compositum in simplicia & incomposita se minora Demum dissolvatur) aut si aliqua solùm simplicitas perfectio absoluta dicatur, demonstrandum est quænam ista sit, & unde perfectio sit, potiusquam quæ alterius generis simplicitas. Ita pariter cum contenditur Deum ubique per immensitatem adesse, inprimis astruendum est interminatam Essentiæ diffusionem plus perfectionis inferre quàm terminatam; nempe quod ab illis negatur, qui Dei immensitatem evertere admituntur, dicunt enim nihil perfectionis esse in loco existere, nisi quatenus arguit rei existentiam secundum istud Ciceronis, *quod est, nullibi esse non potest*, Unde pergunt quoniam immensa præsentia

1 *Tuscul.*

præſentia non plus arguit Dei exiſtentiam, quam quæ definita & terminata ſit, nequaquam iſtam hâc perfectiorem habendam eſſe, & ſubinde non neceſſe eſſe ut Deus, quanquam infinitus & ſummè perfectus ſit, immenſus habeatur: propterea hi ut refellantur, demõſtrandũ eſt perfectionẽ in immenſâ præſentiâ eſſe ultra iſtam, quòd ſc. arguat rei exiſtentiã.

Sed alterius loci hæc ſunt, modò porro ſubnotari velim eundem errorem crebro eſſe commiſſum in controverſiis, quæ hinc inde de Providentiâ Dei ventilantur. Ex hâc parte exclamant ſi eâ ratione, quam nos aſſignamus, inſtituatur providentia (quâ voce includitur prædeſtinatio & reprobatio, &c.) magis inde eluceſceret hoc vel illud Attributum. Rurſus ex alterâ parte exclamatur, ſi talis præſcriberetur Providentiæ ordo, qualem inſtitui oportere nos contendimus, illuſtriores forent Dei operationes, quàm ſunt, quas adverſarii aſſignant. Verùm utrinque peccatur, quoniam Deo liberum eſt utro modo operari velit, penes quem eligere eſt, utrùm nos magis per miſericordiam an per juſtitiam gubernet; modo fortaſſe, ut viſum fuerit, magis per hanc, modo rurſus magis per illam. Argui poteſt hunc vel illum Providentiæ ordinem cum Dei bonitate, juſtitiâ, ſanctitate, clementiâ, veritate pugnare, ac proinde Deo in mundi gubernatione non electum fuiſſe; at ordinem, qui nulli attributorum Dei repugnat, Deo magis aut minus nedum abſolutè arriſiſſe argui non poteſt ex eo quòd magis conſentaneus ſit cuivis attributo, ſi enim nulli repugnet, ſive illuſtrior ſive obſcurior fuerit, objectum eſt electionis Divinæ, penes enim Deum eſt, pro abſolutâ ſuâ poteſtate, diverſas imò contrarias providentiæ methodos inſtituere. Hiſce præmonitis facilius Perfectiones Divinas eruemus; ad quod tempus eſt ut accingamus.

Et imprimis quanquam Innumeris Deus ſcateat Virtutibus, non plures nobis innoteſcunt, quàm quarum ſpecimina in rebus creatis edidit, harum nempe meditatione veſtigia

 aliquot

aliquot Virtutum in Deo primâ omnium causâ deprehendimus: Ita innumerabilium Attributorum Dei, quoniam non concedatur quomodo in se sunt contueri, sed solum ex illorum simulachris sparsim creaturis inditis, nullos conceptus efformare possumus, quorum nimirum nulla prostant simulachra. Etenim potuit Deus ex fæcunditate & plenitudine Omnipotentiæ suæ innumera alia ultra quæ creavit, creavisse, quorum naturæ & perfectiones nullam cum illis, quas hactenus produxit, affinitatem haberent, quod si fecerat, innumeræ inde patefactæ fuerant perfectiones, quas hactenus involutas & abscônditas esse voluit, & quarum fortè nulla ne quidem similis idea cujusquam menti subrepsit. Quemadmodum si plures, quàm reipsa elaboravit, corpori sensus, mentique facultates addiderat, non modo plures facultates, quàm quæ hactenus obtinuimus, adverteremus, sed etiam ex iis eruere liceret alias ipsius dotes, quas penitus nos celavit. Propterea non expectandum est ut universas Dei perfectiones Lumine Naturali cognoscamus; cùm vero quæcunque, in quarum cognitionem Lumine Naturali deveniri potest, ab effectibus solis innotescant, ideo ad effectus respiciendum est, ut illorum perfectiones contemplando, Perfectiones Divinas quodammodo attingamus.

De Divin. nomin. c.7.

Atque equidem congruè Doctores Scholastici, id à *Pseudo-Dionysio* edocti, ad Naturæ Divinæ investigationem, triplicem assignarunt viam, sc. *viam*, ut vocant, *causalitatis*, *viam eminentiæ*, & *viam remotionis*: Prima dicitur, quatenus cætera omnia Deus creavit, & proinde quas illis perfectiones impertit, in seipso contineat. Secunda, quatenus longè uberiori & præstantiori ratione perfectiones Deo insint, quàm creaturis. Tertia, quatenus creatæ perfectiones suis quoque defectibus commisceantur, qui procul à Deo, qui utique nulli imperfectioni obnoxius est, amoliendi sunt. At vero mihi aptius videretur unicam imprimis assignare viam, eamque postea in bivium discindere; primò enim per *viam causalitatis*

tatis

tatis demonstrandum est perfectiones omnes, quas Deus creaturis communicavit, Deo inesse; quâ calcatâ, pergere fas erit ad demonstrandum insigniori modo Deo illas competere quàm creaturis, nævosque, qui illis affunduntur, Deo affigi non oportere, à quo nempe non devenerunt. Sed digna sunt hæc, quæ aliquantò fusius diducantur.

Imprimis quandoquidem perfectiones creatæ ab exigentiâ naturæ propriæ non extiterunt, necesse est ut quicquid ejusmodi perfectionis existat, aliunde efficiatur; at vero cum solus Deus à seipso existat, sequitur ut quicquid perfectionis extra illum reperiatur, ab illo solo primitus promanaverit, cum autem dixerim omnia à Deo descendisse, noli quæso ita interpretari, quasi omnia ab illo immediatè fieri existimarem (istud enim nostro instituto & negotio alienum est) mihi etenim sufficit, si omnia Dei effectus sint sive *mediati* sive *immediati*, ita ut demum omnes perfectiones ab illo unico descendant; siquidem cæteræ causæ nullam virtutem sibi debeant, sed omnem à Deo, qui omnium prima & suprema est, mutuantur, & proinde nihil moliuntur *causæ secundæ dictæ* nisi Virtute *Primæ*, quæ *Secundis* quicquid virtutis habent largita est, quo pacto fit ut tandem omnes perfectionis gradus, quos occupant creaturæ, à primâ causâ tanquam immenso perfectionum pelago profluxerint: Attinguntur igitur perfectiones divinæ, quoad nobis licet, creatæ perfectionis gradus tanquam scalas conscendendo: & hæc *via causalitatis* dicitur. Verum enimvero quoniam creatæ perfectiones tenues sunt, & defectus semper admixtos habent, cavendum est ne aut perfectiones inchoatas, aut defectus simul cum perfectionibus Deo tribuamus, oportet igitur priusquam Deo dignæ fiant, omnes defectus resecare, & perfectiones ad eminentiorem statum evehere. Quod quidem optimâ ratione postulamus, quia nimirum Deus perfectionum duntaxat causa est; nequaquam vero ullius limitationis aut defectûs: Etenim res productæ ex se sibique relictæ sunt *puræ*

puta

putæ negationes, omnique perfectione destitutæ; & quicquid perfectionis habent Divinâ Benignitate datum acceperunt, perfectionis autem inanitas & carentia ipsis citra omnem causam competit. Quò facit quod pulchrè monuit Subtiliss. Cartesius: *propriè loquendo limitationem esse tantum negationem ulterioris perfectionis, quæ negatio non est à causâ, sed ipsa solummodo res limitata.* Nimirum *negationes* semper fuere nullam causam postulantes, res enim limitata per se sola negatio dicenda est, à quâ tantundem negationis tollitur, quantum Entitatis positivæ producitur, propterea quòd res limitata tanta sit, à causâ esse dicimus, illius autem limitatio seu quod major non sit à causâ esse negamus, quia quicquid negationis rebus competat, iis competit ante & citra omnem causæ operationem. Jam quod Dei beneficio accepimus, Deo tribuere par est, eo quod nihil quippiam in alterum transferre possit, quod in seipso non habeat: & quod vicissim nobis convenit à Deo non acceptum, in Deum refundi non oportet; adeoque quoniam nostras duntaxat perfectiones, non verò perinde defectus, seu perfectionum absentias & limitationes divinitus accepimus, sequitur ut illas apud Deum residere concludamus, à quo nempe promanarunt, non vero hos, à Deo utique nequaquam derivatos: quemadmodum siquis eleemosynam faciat 500 talentorum, illius liberalitati deberet pauperculus, quòd tot possideat nummos, soli vero propriæ paupertati, quòd non mille potiatur talentis. Denique annùm quis Sole non omnem penitus dissipante caliginem, inde deduceret tenebrarum illum pariter ac Lucis fontem esse? & idem foret consectarium, si quis quoniam Deus non omnem defectum penitus abegerit, inde argueret illum defectuum perinde ac perfectionum Auctorem esse. E quibus satis evictum est Scholasticos non temerè & precariò sed perspicuis rationibus innixos per prædictas vias *remotionis* & *eminentiæ* à perfectionibus, quas occupant creaturæ, omnes limites & defectus detraxisse, quò dignæ fierent, quæ Deo tribu-

Respons. ad prim. object.

tribuantur. Quibus in ante dictis par est ut sigillatim de viis ipsis aliquantulum dicamus.

Primò igitur *via remotionis* pertinet ad omnes & solas perfectiones materiales, ut nihil quod materiam includit Deo tribuatur; omnem autem materiam procul à Deo amoliri oportet, quoniam extrudit substantiam se præstantiorem, nempe spiritualem (per materiam & spiritum intelligo substantias, quæ ab invicem aliquâ ratione, quæcunque demum ista fuerit, discriminantur.) & ut omnes dixi, ita quoque solas perfectiones materiales à Deo amoveri oportere, oportet enim omnem aliam quamcunque perfectionem Deo tribuere: Remotio enim seu negatio duplex esse videtur, vel *quoad rem*, cum res ipsa à Deo amovetur, cujusmodi sunt sola materialia, nullæ vero perfectiones spirituales à spirituali Dei naturâ abhorrent: vel *quoad modum rei*, cum non ipsa res de Deo negatur, sed limitata & imperfecta rei conditio, quomodo agnosco perfectiones spirituales à Deo amovendas esse, verum hujusmodi *remotionis via* cum alterâ *viâ eminentiæ* coincidit, atque eapropter ad illam reducenda est. Sicut enim cum facultates easdem, quæ nobis suppetunt, perfectiores & integriores factas de Deo prædicamus, earum solummodo defectus amolimur, quibus amotis continuò ad eminentiores gradus amplificantur: Ita cum defectus nostros, quotquot materiâ vacant, à Deo amovemus, non simul perfectiones, quibuscum commiscentur, Deo abnegantur, sed defectibus amputatis ampliores factas Deo tribuimus, v. g. sapientia, quam nostrâ eminentiorem Deo tribuimus, ejusdem nihilominus generis cum istâ censenda est, nisi quod ab illâ detrahantur quicunque limites: ita cum Deo ratiocinationem denegamus non tam ipsa facultas denegatur, quàm illius defectus, quibus resectis eandem facultatem sub alio nomine de Deo prædicamus: ut jam infra susius edisserturi sumus.

Deinceps notandum viam eminentiæ quam dictitant, pertinere

tinere ad omnes & solas perfectiones spirituales, ita ut quicquid perfectionis à materiâ liberæ in nobis residet, id ipsum longè sublimiori & integriori ratione apud Deum resideat: Nam tametsi nonnullæ facultates mentis humanæ Deo abnegandæ videantur, id hinc evenire videtur, quòd voces nonnullæ tam facultatis imperfectionem, quam ipsam facultatem denotant, propterea nihil mirum si istæ voces ab Infinitate Perfectionis Divinæ abhorreant, tamen ipsa eadem facultas illis designata sub aliis vocibus Deo tribuitur: uti videre est in proximè allato de facultate ratiocinatrice exemplo. Etenim intellectûs munus est res percipere & intelligere, illi vero, quandiu *caro circum atque ossa resistunt*, tantæ offunduntur tenebræ, ut omnia sensuum interventu cognoscat; dum enim corporis carcere compingitur, nullas species, nisi quæ per sensuum fenestras speculanti obversantur, percipit, quo fit ut nihil perspicuè & clarè contueatur, & quæ procul amota sunt non omnino attingat, quocirca ut obscura apertè pervideat, ratiocinio utitur gradatim à clarius perceptis ad obscuriora pergendo, non aliter ac per crepusculum, aut cùm fortè cælum densiore caligine obducitur, Itineranti successivè sese res produnt, modo una arbor, paulò ulterius provecto altera, mox tertia, & statim quarta, sicque deinceps; Per primam viator sese ad secundam non antea detectam perducit, atque per hanc ad tertiam, & deinde ad quartam. Sed vero intellectui divino cum nulla offundatur caligo, ipse omnia undiquaque uno intuitu prospicit, neque opus est ut unum sensim per alterum detegat, cui omnia quaquaversum aperta & nuda sunt; ejusdem igitur ordinis & naturæ Intellectus Divinus ac nostras, nisi quod hic imbecillior cum sit, neque procul pertingit neque clarè pervidet, unde fit ut circa objecta sua ratiocinetur, iste autem cum acerrimus sit, omnia uno simplici prospectu pernoscit: quomodo & nos simplici intuitu percipimus, licet ad objecti intuitionē ratiocinatione pervenimus, ita ut intellectio seu ratiocinatio nostra *successivè intuitiva* nuncupari possit.

Quem-

Quemadmodum exuto corporis velamento, quidni intelle-ctus,qui antea ratiocinio indigebat, quicquid ad ſe attinet ſimplici intuitu non aliter atque divinus perſpiciat? quod uno ore de Angelis & animis ſeparatis adſerunt *Doctores Scholaſtici*, nempe quod omnia intra ipſorum ſphæram intuitivè *i. e.* eo modo quo Deus, pervideant, niſi quòd ipſorum intuitio intra certam ſphæram terminetur, Divina autem illimitata ſit, & rem quamlibet, quæ ſciri poſſit, pernoſcat. Quod idem dicendum eſt, cum dicitur perfectiones aliquas ſpirituales, quæ ſcil. imperfectionem aliquam adjunctam habent, *eminenter* ſolum Deo quadrare, non quaſi aliquid alterius & ſuperioris generis Deo conveniret, quod ad illas aliquam analogiam referret, ſed quòd perfectiones iſtæ, quæ Deo inſunt eædem exiſtunt cum illis, quæ nobis inſunt, non autem ſimili imperfectione, quâ noſtræ, delibatæ, unde ſi tollatur imperfectio facultatis noſtræ, ejuſdem generis cum divinâ fieret, & Deus illam *formaliter* continere diceretur: exempli cauſâ cum prædicta facultas ratiocinatrix aliquid imperfectionis adjunctum habeat, ſcil. ignorantiam aliquam (ideo enim rem à re ratiocinando colligimus, quia multa neſcimus, in quorum ſcientiam per illationem ab aliis pervenitur) hanc igitur facultatem dico Deo abdicandam eſſe, ita tamen ut eadem ipſi quodammodò tribuatur, nempe ratio, quæ uno intuitu omnia complectitur, idque ipſum nobiliori ratione præſtat, quod nobis præſtat facultas ratiocinatrix, utpote quæ id planè cognoſcit citra ratiocinium, in cujus nos ſcientiam non niſi ratiocinando, & gradatim ex uno ad alterum ſerpendo pervenimus,atq; ita eadem *formaliter* ut aiunt cum noſtrâ facultate facultas eſt,niſi quòd in Deo infinities perfectior & perſpicacior ſit quàm in nobis,quo fit ut omnia ipſe ſimul pernoſcat, cum nos pauca duntaxat, eaque ſucceſſivè & pedetentim attingamus. Quæ luculentius pateſcunt ſi modò advertatur, cum dicimus Attributa Dei per vias remotionis & eminentiæ inveſtigari, non aliud intelligi,

 quàm

quàm cum dicitur (quod paſſim dici notum eſt) Deo perfectionum alias *eminenter* competere, alias *formaliter*, ita nempe ut quæ materiam includant, cujuſmodi v. g. habentur facultates ſenſitivæ, Deo non niſi *eminenter* conveniant, non quia eminentiori modo ipſi inſunt, ſed quia non omnino inſunt; ita tamen emineat Divinæ ſubſtantiæ perfectio, ut ipſas non admittat nedum indigeat, ſed ſine ipſis præſtet, quod nos niſi ipſarum ſubſidio præſtare non poſſumus: exempli cauſâ Deum *eminenter oculatum* eſſe dicimus, non quod exquiſitius viſionis organon habeat, ſed quòd omnia citra quodcunque viſûs Organon circumſpiciat, & Organi munere abſque ipſius auxilio defungatur: & pariter de reliquis: Quemadmodum Scholaſtici Solem *eminenter* calidum eſſe docent, non quòd ipſius calor intenſior exiſtat, ſed quod ipſi ineſſe vim quandam alterius generis, quæ omnes caloris virtutes contineret, arbitrarentur. Quo ſenſu inſuper ſubſtantia Dei ſpiritualis *eminenter* materialis & corporea dici potuit, non quòd materia ſit purioris & ſublimioris conſiſtentiæ, ſed quod per illam Deo conveniat, quicquid eſt perfectionis corporeæ & materialis. Et viciſſim perfectiones, quæ materiâ vacant, Deo convenire *formaliter* dicuntur, non quòd non longè eminentiori ratione in Deo exiſtere quàm in creaturis agnoſcantur, ſed quòd quibuſcunque demum gradibus noſtrates ſuperant, nihilominus ejuſdem generis & naturæ, atque iſtæ ſint, eſſe advertantur.

Ab hâc Excellentiâ & Prærogativâ perfectionum, quæ Dei ſunt, haud pauci ſunt, qui, ut nuda rerum nomina Deo tribuantur, non permittent, niſi addatur particula aliqua, quæ ſignificationem adaugeret, & excellentiam deſignaret, cujuſmodi ſunt apud Græcos vocula ὑπὲρ, apud Latinos *ſuper*: Cum enim reputabant nomina omnia primitus à rebus creatis deſumpta fuiſſe, illicò in promptu erat autumare iis propriè ſignificari res & notiones eo duntaxat modo exiſtentes, quo in Creaturis reperiuntur, atque ita non modo res ipſas

ipsas sed & limitatas existendi conditiones connotare: ut essentiæ, substantiæ, bonitatis, potentiæ, sanctitatis, justitiæ nomina non tam essentiam, substantiam, bonitatem, &c. qua tales significare, sed quatenus finitas, & quomodo in creaturis existens quæque reperiatur: quocirca iis, cum Deo attribuuntur, particulam adjici volunt, quæ aliquid amplius & perfectius exprimeret, & ὑπεροχὴν significationis insinuaret: hinc illum frequenter ὑπερούσιον, ὑπεράγαθον, ὑπερένδοξον & similiter in reliquis dicendum esse docent. Neque aliud est, quod docent mystici Theologi (nempe quotquot Platonizare affectant, è quibus primas tenet *Pseudo Dionysius* iste *Areopagita*) cum omnia de Deo affirmanda simul & neganda esse dicunt, affirmanda *quoad rem*, quòd omnes omnium rerum perfectiones Deo insint; neganda *quòad modum*, quòd utique longè præstantiori ratione Deo quam cæteris omnibus conveniant. Sic Damascenus οἰκειότερον δὲ μᾶλλον ἐκ τῆς πάντων ἀφαιρέσεως ποιεῖσθαι τὸν λόγον· οὐδὲν γὰρ τῶν ὄντων ἐστίν, οὐχ ὡς μὴ ὤν, ἀλλ' ὡς ὑπὲρ πάντα ὄντα καὶ ὑπὲρ αὐτὸ δὲ τὸ εἶναι ὤν. *Magis proprium est ita de Deo prædicare aliquid; ut ei omnia detrahantur. Quippe qui nihil est eorum quæ sunt; non ut nihil sit; sed ut sit super omnia, quæ sunt, immo vero supra ipsum esse*, ut & Author lib. de Divin. Nomin. ἐν αὐτῷ μόνῳ καὶ τὸ ἀνούσιον οὐσίας ὑπερβολή· καὶ τὸ ἄζωον ὑπερέχουσα ζωή· καὶ τὸ ἄνουν ὑπερέχουσα σοφία, καὶ ὅσα ἐν τ' ἀγαθῷ τῆς τῶν ἀνειδέων ἐστὶν ὑπεροχικῆς εἰδοποιΐας. *In ipso solo sustantiæ experte substantiæ est excessus: & vitâ carente excellens quædam vita: mentis experte præstans quædam sapientia: atque ita cætera, quæ in bono illo antecellentem formationem exprimunt eorum, quæ speciem & ideam non habent.* Neque aliter Marius Victorinus. *Sine existentiâ, sine substantiâ, sine intelligentiâ, sine vitâ dicitur: non quidem per* στέρησιν i. e. *non per privationem, sed per superlationem.* Cujusmodi innumera passim occurrunt, quæ transcribere majoris laboris quam pretii foret, satis est nosse quid per ejusmodi παράδοξα velint.

V. Plotinum fuse diss l. 4. Ennead. 4. c. 2.

De fid. orthod. lib. 1. cap. 4.

Cap. 4.

Lib. 4. adv. Arium.

Quæ hactenus de Perfectionibus Divinis diximus, satis perspicua esse arbitror, si de naturalibus perfectionibus intelligantur, licèt fortasse de moralibus intellecta aliquantò obscuriora videntur. Nempe perfectiones divinæ in duplici classe vulgo reponuntur, vel *Naturalium*, cujusmodi sunt omnipotentia, immensitas, sapientia, imperium, & ejusmodi similes, quas omnes Attributo *Maximi* complexi fuisse veteres videntur: vel *Moralium*, cujusmodi sunt Ethicæ quæcunque virtutes, ut misericordia, justitia, benignitas, & ejusmodi aliæ, quasque Attributo *Optimi* olim complexi sunt: unde demum exorta est formula Deum Opt. Max. prædicandi: Idque non modo quòd reliqua omnia omnibus perfectionibus exuperet, seu quod eo major & melior non existat, sed quòd ἁπλῶς omnes omnium perfectionum gradus exhauriat: potuit enim reliqua omnia superare, tametsi multis gradibus minor, quam reipsa sit, foret; innumeri nimirum perfectionum gradus Deum & Creaturarum Perfectissimam interjacent, quorum aliquibus quanquam destitueretur, nihilominus omnibus extra se rebus longè præcelleret; v. g. finge amplitudinem perfectionum creatarum adusque *centum gradus* assurgere, illas omnes Deus multis vicibus excederet, tametsi non plures *bis centum gradibus* occuparet, at vero non propterea ἁπλῶς & absolutè Optimus Maximus dicendus esset, ne quidem etiamsi millies millenos plures habuisset; sed solùm quoniã alia omnia innumeris & insuperabilibus intervallis exuperet, omnesque, quotquot esse possunt, perfectionis numeros expleat, ita ut non possit excedi.

Sed ut ad id, quod dicere cæperam revertatur, breviter dico quæ supra de perfectionibus divinis diximus, tam de *Moralibus*, quàm de *Naturalibus* dicta fuisse; ut si quæ virtutes non nisi corporeis convenire possunt, istas Deo oportet amoliri, ut temperantiam, fortitudinem, quæ illorum duntaxat virtutes sunt, qui corporis voluptatibus & miseriis obnoxii esse possunt. Alias vero, quas utique cuiquam corpo-

ris experti competere possibile est, Deo quoque *formaliter* tribuere fas est, ut bonitatem, veracitatem, sanctitatem, justitiam, omnesque ejusmodi alias: exceptis duntaxat iis, quæ conditioni Deo subjectæ innituntur, ut obedientia & religio seu pietas erga Deum. Etenim impropriè admodum diceretur Deum sibi ipsi obtemperare, aut ipsum se venerari, licet enim se ipse ad aliquid præstandum obligare potest, tamen cum id, ad quod obligatur, præstat, non obedientiæ est (quæ σχέσιν inferioris ad superiorem involvit) sed veracitatis aut constantiæ: ita porro quanquam perfectiones suas contemplari & admirari potest, id nequaquam est se venerari, quippe veneratio omnis humili reverentiâ & timore Immensæ Majestatis permiscetur.

Hinc priusquam migremus operæ pretium existimo de passionibus seu affectibus inquirere, sintne Deo tribuendi, quinam ex istis, & quomodo. Quod quæsitum par esse ut hic expendatur censeo, non modo quòd hujus loci, in quo etiamnum versamur, esse videatur, sed etiam ut plenius confirmentur, quæ supra adseruimus, nempe sicut omnia Attributa corporea à Deo abhorrere, & proinde non *formaliter* illi tribuenda esse, sed *per viam remotionis* longè amoveri oportere: ita quæcunque spiritualia *formaliter* Deo tribuere fas esse; de cujus adsertionis veritate scrupulum movere videntur passiones, quæ utique quanquam spiritualibus conveniunt, Deo tamen plerunque abnegantur.

Imprimis itaque veterum plerique, inter quos & Aristoteles, animâ divisâ εἰς τὸ λογικὸν καὶ τὸ ἄλογον, in hoc duntaxat collocarunt Affectus quoscunque tum θυμικοὺς *Irascentes* tum ἐπιθυμητικοὺς *concupiscentes*; itaque nihil mirum est, si affectus omnes aliquid impotentiæ adnexum habere Jove suo indignū reputarent; nimirum quos brutos & rationis expertes arbitrarentur, quosque principe & intellectrice animi parte exclusos ad brutam inferioremque relegarent; quin & suam cuique sedem in peculiari corporis parte assignarunt: *Aristo-*

teles

Vide Lactant. lib. 6. c. 15.

teles ſingulos in corde ſtabulari voluit; alii ſolum timorem in eo reſidere volunt, ut & cupiditatem in jecore, lætitiam in ſplene, iram in felle: Sic & *Plato* deinceps ſicut principem Animæ partem ſedem ſibi in cerebro fabricaviſſe autumabat (animæ enim vim plaſticam illum affinxiſſe, quâ corporis domicilium ſibi ipſa extrueret, vulgò notum eſt) ita Iraſcentem in pectore, concupiſcentem in infimo ventre. Cæterùm Stoici ſeorſim à reliquis abeuntes, affectus omnes in rationali parte collocaviſſe videntur, ita tamen ut illas immoderatas perturbationes, & rectæ rationi animæque conſtanti contrarias eſſe reputarent, quarum matrem & fontem intemperantiam eſſe cenſebant: propterea cum paſſiones ἀλόγυς eſſe inquiunt, nequaquam, ut alii omnes, intelligunt eſſe rationis *expertes*, ſed rationi *contrarias*, ut ſcitè monuit inſigniter Stoiciſſans J. Lipſius ad Zenonis definitionem, quod utique πάθ☉ ſit ἄλογ☉ κίνησις, &c. *i.e.* inquit, *irrationalis motio ad verbum*; *ſed Cicero diducit & aptè explicat, averſa à rectâ ratione* (& quidem ita ferè ſemper vertit) *eſt enim rationis ſed prava*, ſic ille. Cæterum an paſſiones in ipſâ ratione degant mox diſquirendum eſt; quòd autem mentis perturbationes ſint (niſi de verbis contendatur) jam diu exploſum eſt, quocirca nihil eſt ut anxiè refellantur.

Manuduc. ad Stoic. Phil. l. 3. diſſert. 7.

At vero quod ad priores ſpectat, quorſum affectus omnes à ratione ablegant? an nùm ratio nihil appetit? an non experimur eam ad objecta ſibi congrua propendere, non aliter atque alias quaſcunque facultates? quid eſt, quod honeſtum amat, eique contrarium averſatur, an facultas bruta, & rationis expers? quid eſt, quod in homine ſit ſcientiæ appetens, an nihil niſi quod belluis quoque commune ſit? equidem facultates ſenſitivæ hujuſmodi objecta nequaquam percipiunt, nec proinde illorum deſiderio capi, aut ab illis abhorrere poſſunt. Et pariter de aliis objectis, quæ varias in nobis paſſiones creant, quæ tamen nullam cum facultatibus rationis vacuis proportionem gerant.

Ut-

Utcunque Scholaſtici Ariſtotelis per omnia ſequaces cum affectus quoſcunque ſolum in appetitu ſenſitivo reſidere reputarent, Deo propterea tribuendos non eſſe communi omnium calculo ſancitum eſt. Atque idcirco cum affectuum nomina in ſacrâ paginâ Deo attributa paſſim & ubique legantur, impropriè & per metaphoram ab affectibus humanis illa ad Deum transferri vellent, quam figuram ἀνθρωποπάθειαν appellarunt, paſsim monentes quæ ἀνθρωποπαθῶς de Deo dicuntur θεοπρεπῶς intelligi oportere: ita quidem quatenus in Deo vis aliqua ſit, ex quâ iidem effectus enaſcuntur, qui à paſsionibus noſtris fluunt, paſsiones Deo ineſſe ſecundum *effectum* non *affectum* ſtatuebant, & propterea non paſsiones ſed *quaſi paßiones* vocitarunt, quoniam ſolùm analogiam quandam ad paſsiones noſtras referebant; & *propaſsiones*, quia vice & munere paſsionum fungebantur, Uti quæ principia ſunt effectuum iis ſimilium, qui à paſsionibus noſtris promanant; denique potentias, quæ in nobis paſsiones dicuntur, *perfectiones* & *virtutes* potiuſquam paſsiones eſſe, cum Deo tribuuntur. Verùm quid ſentiendum ſit paucis dicam.

Itaque ſubnotandum primò dictas paſſiones duas res includere, primo *mentis actum*, quem Deo propriè ineſſe adſerimus; deinde *commotionem in corpore*, potiſſimùm in corde inde excitatam: Cæterum omnes commotiones corporeas Deo convenire me conſtanter pernegare ex dictis abundè liquet; veruntamen non tam affectus iſtæ dicendæ ſunt, quàm affectuum effectus; omnis enim affectio animi ex fœdere illius cum corpore ad corpus propagatur, ſimilemque ſibi motum concitat, qui quidem impropriè admodum affectio dicitur, cum corpus plerunque non omnino afficiatur ipſis paſſionum objectis; etenim quæ in illo excitatur commotio, non ab objecto ſed ab animæ affectione gignitur: Veluti ſi anima apprehendat aut ſentiat rem ſibi ingratam præſentem eſſe, illius horrore quaſi perculſa ſeſe quodammodo comprimit,

primit, ac quasi intra seipsam colligitur & complicatur, unde spiritus, quos in cerebro modificat, ita cor vellicant, ut se contrahat & constringat, quo sentitur cordis Angustia & oppressio, quæ *angor* & *mæstitia* dicitur: Ita cum anima apprehendit malum sibi impendere, aversatur, refugit & quasi recedit, unde spiritus cor eo modo afficiunt, ut sese abducat, & resiliat; & motio est, quam in fugâ experimur: Ita deinceps cum anima irascitur, quodammodo insurgit & effervescit, unde incalescunt spiritus, qui in corde calorem & effervescentiam, & sanguinis ebullitionem concitent: & pariter deinceps in cæteris: Sin animæ res grata fuerit, spiritus inde ita modificantur, ut gratè & jucundè cor demulceant, v. g. cum quis ex contemplatione pulchritudinis divinæ in illius amorem rapitur; anima, quasi Deum amplecti & in sese recipere vellet, dilatatur & expanditur, unde spiritus, qui istâ motione à cerebro ad usque cor propelluntur, ita suaviter & amænè cor titillant, ut sese excipiendis tam placidis hospitibus protinus aperiat & diffundat. Quomodo cor ipsum non omnino amoris objecto afficitur, siquidem hoc spirituale sit, illud corporeum; sed solùm propter nexum, qui sibi cum animâ intercedit, fortè gigni contingit motum affectumque sensitivum in corde ex spirituali animæ motione; *sensitivum* dico, quia eodem modo afficitur ac sensus externi; attactu scil. quorundam corpusculorum: Ideoque cum postulat Deus ut se toto corde diligamus, sese accommodat vulgari imaginationi, nempe quoniam ex cordis affectu quantus sit animi amor judicamus, nostrum sui amorē cordis affectu exprimit; quasi diceret vos jubeo tam vehementi & pleno me affectu complecti, ut ex eo sentiatis totius cordis motionem & delectationem. Sive hâc, quam attigi, sive aliâ quâcunque ratione oriatur ex animi affectione cordis commotio, parum interest, cum, sive hâc sive aliâ ratione fiat, indubium sit corpus ipsum ipsis passionum objectis non affici: At si quis nihilominus contenderit corporis affectionem saltem passio-

nem

nem quodammodo nominari posse, quòd tametsi non objecto, tamen affectione ab ipso excitatâ moveatur; Nolo contentiosè nimis reluctari, modò satis sit monere tum pari passu licere meditationem corpori tribuere, cùm ex illâ motus varii in corpore enascantur, ut potissimùm in ecstasi experimur: tum magis propriè animæ motiones affectuum nomen mereri, quàm istas corporis, cum anima objectis moveatur, & corpus non nisi per accidens, è quibus sequitur affectiones, quas vulgò passiones vocant, non ideo Deo propriè non convenire, quòd motionum corporearum prorsus sit incapax, quo fine huc usque conatus sum evincere affectiones propriè sic dictas potius animæ quàm corpori inesse. Neque meâ refert an vocabula *affectus* & *passio* propria sint ad exprimendas animi motiones, sed solum an animi motiones quæ vulgo sive propriè sive impropriè passiones vocitantur, citra quamcunq; corporis commotionem, propriè amor, gaudium, odium, desiderium, spes, fuga appellentur, quod si ita, quidni Deo quoque tribuantur? vel saltem illi tribuere licebit, quanquam corporeæ non sint.

Notandum deinceps passiones non esse distinctas ab invicem facultates, sed voluntatis varias functiones sive actus, seu potius ipsam voluntatem, quatenus se diversimodè habet ad diversa objecta, ut cùm in bonum sibi gratum fertur, *amor* dicitur, atque eadem cum malum sibi infestum exhorrescit, *odii* denominationem subit, variasque alias denominationes ex variis objectis, variisve objecti circumstantiis desumptas adsciscitur: ut apprehenso in genere bono, excitatur *amor*, illo præsente *gaudium* emergit; futuro *desiderium*; quatenus amitti posse apprehenditur, *metus*, quatenus verisimiliter exciturum expectatur, *spes*: sic vicissim actio, quæ ex malo in genere oritur, *odium* dicitur, præsente *Dolor*, impendente *fuga*, futuro *metus*, ineluctabili *desperatio*, evitabili *spes*, superabili *ira*. Næ equidem si passiones pro tantillâ objectorum diversitate distinctæ facultates censendæ sint; in immen-

ſum continuò abeundum foret, nempe in promptu eſt innumera objecta aſſignare, quæ non minùs ab invicem differant, quàm iſta, à quorum diſcrepantiâ paſsiones ab *Ariſtotele* in undecim diſtinctas ſpecies reducuntur: Non quaſi improbarem paſsionum in diverſas claſſes reductionem, quippe ex uſu in Philoſophiâ morali eſſe nullus dubito, ut nempe methodicè ad certos ordines reducantur, quamvis variæ facultates non ſint, ſed ejuſdem facultatis variæ operationes, paſsiones igitur ut velint, dividant, modo pro diverſis facultatibus non habeant: ſed verò ſi pro diverſis facultatibus obſtinatè habuerint: Cur non pariter riſum, fletum, malevolentiam, invidentiam, æmulationem, obtrectationem, zelotypiam, admirationem, gloriationem, pudorem, ſui diffidentiam, puſillanimitatem, pietatem & innumera ejuſmodi: immo cur neque pari jure pro varietate objectorum ſenſilium totidem enumerantur cujuſque ſenſûs facultates? Cur non uno guſtu percipiantur ſapores ſuaves, alio inſuaves, unus enim eſt Palati veluti amor, quo ſibi grata arripiat, & alter odium, quo moleſta exhorreſcat? cur non unius facultatis ſit auditio, quæ ſonum aſperum excipit, alterius quæ lenem? unius item odoratus, qui odores tetros percipit, alterius qui mites? Unius viſio quæ deformia intuetur, alterius quæ pulchra? Jam vero ſi affectus non diſtinctæ ſint facultates, ſed ſolum voluntatis operationes, quis niſi Stoicus aut Epicureus illos Deo abrogaret? cùm nemo hactenus extitit, qui illi voluntatis operationes tribuere vereretur. Præterea an non voluntas Divina impietatem averſatur, virtutem complectitur, impiis iraſcitur, piis oblectatur, reſipiſcentium miſereſcit? an perinde Deus erga omnes animatus? An eodem modo erga pios & impios affectus? an pariter rectè & pravè factis oblectatur? Quorſum aliquid præcipiat, niſi id velit & amet? quorſum prohibeat, niſi quod exoſum habeat & fieri nollet? cur ab illo ſupplicium metuimus ſcelerati, aut præmium expectamus pii? an non odit, quod punit; & amat, quod remunerat?

munerat? Aut si diversimodè erga probos & sceleratos affectus sit; quorsum nefas fuerit affectuum nomina ipsi tribuere? nempe affectus etiam in nobis non diversas facultates habendas esse, sed solummodo diversas denominationes ex voluntatis ad diversa objecta tendentiâ exortas jam dictum est. Quorsum igitur voluntatis meæ propensio in sibi grata, amor dicitur; & non item voluntatis Divinæ propensio in sibi jucunda? Quorsum bono occupato lætor, futurum desidero, sed Deus solùm *quasi lætatur*, & *quasi desiderat?*

Deinde Passiones prout bene aut malè temperantur, virtutum aut vitiorum nomina sortiuntur: si ad rectæ rationis normam gubernentur, virtutes fiunt; sin immoderatæ, intemperantes, turbidæ, & rectæ rationis præscripto contrariæ, tum demum vitia, animique delicta evadunt. Ita *Stoici*, qui omnem animi immoderationem affectuum nomine designabant, ut & virtutem quamcumq; nomine rationis; utrumque ejusdem facultatis esse censebant; quæ ad melius tendebat, ratio dicebatur; si ad deterius, affectus: uti Seneca *Non enim separatas ista* [ratio & affectus] *diductasq; suas sedes habent: sed affectus & ratio, in melius pejusque mutatio animi est.* v.g. φιλαυτία, si nimia sit, vitio vertitur, sin aliàs, laudi: Amor famæ aut potentiæ si moderatus, generosi est animi; sin æquo vehementior, ambitio fit: pecuniæ amor, donec adhibetur modus, frugalitas est; sin immoderatus, avaritia: sui æstimatio si nimia, fastus est & jactantia; si moderata & justa, modestia est; si nimis demissa, pusillanimitas & diffidentia: Ira legitima justitia est; sin illegitima, crudelitas & iracundia: & ne omnia singulatim persequar, Magnanimitas, clementia, lenitas, audacia, ostentatio, verecundia, impudentia, invidentia, malevolentia, ἐπιχαιρεκακία, & his similia, sive virtutes, sive vitia, nihil aliud sunt, quàm animi affectus bene aut malè occupati. Cum igitur *affectus* in Deo non esse, sed virtutes affectibus nostris analogas volunt; idem simul aiunt, & ne-

1 *D: I. â c. 8.*

 gant,

gant, siquidem affectus debito modo occupati virtutes sint, & virtutes affectus sint, qui debito modo occupantur. Quorsum igitur Deo tribuamus virtutes propriè dictas, & simul eidem abrogemus affectus ritè temperatos, cùm ab his istæ non omnino distinguantur?

Hisce serio perpensis non video quâ ratione negari possit, quin affectus veri & proprii perinde ac propria volendi facultas Deo tribuantur. Cur quæso affectus, quo me ipse complector, amor κυρίως appellandus est, & non item affectus quo se Deus amat? Ipse enim cum se planè noverit supremum, immensum, & amabilissimum esse Bonum, non potest, quin se ipse summoperè amet, ut loquuntur Platonici τὸ κάλλιστον τὸ ἐρασμιώτατον, *quod pulcherrimum id amabilissimum*; & propterea non modò amor Deo competit, sed quoque immensus omniumque maximus, nempe immenso sui objecto proportionatus. Quin & si quid meiipsius gratiâ fortè præstiterim, amoris erga meipsum esse dicitur; quidni etiam amoris erit, cum propter se Deus quippiam operatur? siquidem omnia ad suam gloriam respiciens condiderit; ex sui insuper amore est, quòd inimicos perditos velit, iisq; perniciem inferat; quòd gloriam soli sibi debitam aliorsum detorqueri non patiatur; unde fit, ut Vatiniano odio Idololatras, si quos alios, insectetur, qui utique non sine Maximo sui Numinis contemptu, ejus solius cultum ad Dæmones, sceleratos homunciones, ligna aut lapides, aut siquid fædius & vilius deferant: Qui Dei affectus *Zelus* plerunque sacris literis dictitatur; & sane adeo vehementer Numinis supremi iram adversus Idololatras præ aliis flagrare concipiunt Judæi, ut nusquam in totâ lege (Maimonidis verba agnosce) *invenire est aliquem vocari hostem, inimicum, Osorem Dei nisi propter Idololatriam. Neque furorem, iram, indignationem, Zelum, Zelotypiam Deo attribui; nisi quando agitur de Idololatriâ.* Quod tamen perperam (ut hoc obiter quidem subinnuere liceat) & temerè fuisse dictum haud pauci adnotarunt:

More Nevoch. part. 1. c. 36.

runt: Quod enim ad iram, indignationem, furorem ſpectat, exertim Deo propter alia peccata tribuuntur, ut *Num.* 16. 46. legitur *egreſſam fuiſſe effervescentiam furoris & iræ divinæ adverſus Core, Dathan & Abiram, quod Moyſi obmurmurarant*, & ita quidem ut illos cum aſleclis ſuis funditus abſumpſerit. & *Exod.* 22. 24. legimus Deum comminatum fuiſſe iram ſuam acerrimè flagraturam *contra oppreſſores viduarum & pupillorum.* Quod vero ſpeciatim ad Zelotypiam ſpectat, ob peculiarem rationem Deo illa in Idololatriæ cauſâ tribuitur ſolum reſpectu Idololatriæ Iſraelitarum: Vix enim Deo adſcripta legitur, cum de Gentilium Idololatriâ agitur, ſed ſolùm inquam cum de iſto peccato ab Iſraelitis commiſſo qnidpiam memoratur: Hos nempe ex omnibus terræ nationibus elegerat Jehova, & maritali quodam fœdere ſibi deſponſaverat, cujus vi illos ad ſui ſolius cultum & obſequium obſtrinxerat; unde toties in S. Paginâ quotquot ad Idololatriam à vero Dei cultu deſciverant, adulterii incuſantur: hinc inquam affectus Zelotypiæ, quæ conjugum peculiaris, Deo reſpectu Iſraelitarum ad Idololatriam deſciſcentium tribuitur, uti quos matrimoniali nexu ſibi adjunxerat, ad eos maritalem affectum gereret, ut ſicut Maritus rivalis impatiens eſt, ita Deus Deos alienos ſui utique rivales ferre non poſſet. Sed extra oleas iſta, eo itaque, unde exilii, revertor. Cur porro Parentis in prolem affectus amor habetur, & non item flagrantiſſimus amor, quo Deus filium ſuum complexus eſt πρωτότοκον (Heb. 1. 6.) pulcherrimum, *ſplendorem utique Gloriæ, & Characterem Perſonæ ipſius* (Heb. 1. 3.) Amabiliſſimum, nempe κατ' ἐξοχὴν dilectum (Math. 12. 18) *& filium dilectionis* (Coloſſ. 1. 13) *in quo ſibi complacuit* Math. 3. 17? Deinde cur neque Amoris nomine affectum donari ferent, quo Deus electos ſuos & filios adoptivos proſequitur? Cur denique Dei φιλανθρωπίαν Tit. 2. 4. ſeu erga homines amorem, amorem dici non permittent? cum profecto mundi cauſâ filium τὸ μονογενῆ (quem ſe tantoperè deperire

paſſim

passim profitetur) morti tradiderit: in quo quidem, teste Apostolo, 1 Johan. 4. 9. ἐφανερώθη ἡ ἀγάπη τοῦ Θεοῦ.

Cæterùm ut paulò specialius rem in unâ aut alterâ passione explicem, ne minimus supersit dubitandi scrupulus: dicendum misericordiã imprimis non significare animi angorem & tristitiam ex alienâ miseriâ traductam, sed propensionem miserendi, miserisque succurrendi, cujusmodi affectum quid obstat quo minus propriè Deo tribuamus, quem utique semper proclivem experimur miseros sublevare, unde argutè πλούσιος ἐν ἐλέει dicitur Ephes. 2. 4. & πατὴρ τῶν οἰκτιρμῶν 2 Corinth. 1. 3. Quanquam monendum est hunc affectum Sanctâ Scripturâ plerumque impropriis & alienis vocabulis exprimi, ejusmodi scilicet, quæ non animi sed corporis motum designent, ut per *viscerum motionem*, ubi viscera per synecdochen pro corde viscerum præcipuo ponuntur. Sic apud Hebræos misericordia denotatur per vocabulum רַחֲמִים *viscera*, ut Gen. 43. 30. Josephi *viscera æstuare* dicuntur, affectu scil. misericordiæ erga fratres: Hanc vocem 70 seniores per σπλάγχνα reddiderunt; quos secuti sunt Novi Testamenti Scriptores; unde Coloss. 3. 12. σπλάγχνα οἰκτιρμῶν Deo tribuuntur, & Lucæ 1. 78. σπλάγχνα ἐλέους. qui & Jacobo 5. 11. πολύσπλαγχνος dicitur; Nec non Jerem. 31. 20. Dei *viscera sonare* memorantur præ illorum erga Populum suum commotione. Hæc & his similia ut Deo per ἀνθρωποπάθειαν tribuuntur, ita misericordiæ affectum non propriè significant; siquidem solummodo quidam ipsius effectus quasi fortuiti fuerint; ex eo enim sequuntur quandiu anima corpori uniatur, quâ quidem demum separatâ cessant, & misereri licebit citra viscerum commotiones: nihil igitur impedit quo minus iste affectus propriissimè Deo, si cui alii, conveniat: Non autem mollis ista & effæminata, quæ ad miseriæ participationem pertrahat (unde compassio dicitur) qualis plerunque in nobis præ animi imbecillitate & mollitie commovetur, hæc nimirum affectûs ἀταξία, vitium, & defectus est:
sed

ſed qualis generoſa & verè Divina eſt, quâ permovetur Deus jacentes & afflictos ſublevare. Qui quidem affectus, ſi iſtum penitius introſpicere velimus, non alius eſſe, quam Dei Amor, qui *amor benevolentiæ* vulgo dicitur, videtur; quique eſt propenſitas bonitatis Divinæ ad bonum aliquid volendum aut præſtandum creaturæ ſuæ quà tali: Bonitas enim Divina ſeu propenſio perfectionum ſuarum portiunculas communicandi fons & origo reliquorum omnium in Deo affectuum cenſenda eſt; utpote quæ in *non ens* ferebatur, Deumque movebat res omnes è nihilo educere; ex quâ proxime ſequebatur Benevolentia Dei, nempe Optimi parentis erga res creatas, quâ propendet illis bene velle & facere; atqui vero iſtarum nonnullis ob peccati reatum in miſeriam prolapſis, Dei amor ſeu benevolentia, quæ in illas terminatur, miſericordia dicitur, quæ ſanè nihil aliud eſt, quam propenſio miſeris bene volendi; atque ita miſericordia nihil aliud eſt quàm *amor benevolentiæ erga miſeros.* Qui equidem affectus quin Deo tribuatur, quî in dubium venire poteſt, cum utique ab omni tum perturbatione tum imbecillitate abjungatur?

Porro neque iræ nomine venit brevis ille furor, animique æſtus, quo ſedata ratio perturbatur, ſed firma & conſtans voluntas injurias, contemptum, aut quicquid ſibi inimicum exiſtimet ulciſcendi; quæ ſi juſta ſit, juſtitiæ virtus emergit; ſin injuſta, in injuriam tranſit; (ſecundum quod ſupra monuimus paſſiones prout bene aut malè uſurpantur in virtutes aut vitia abire.) Quomodo peccati ſupplicium ſæpiuſcule Iræ nomine deſignatur Rom. cap. 1. 18. cap. 2. 5. cap. 3. 5. cap. 13. 4. & paſſim alibi. Dei igitur ira, ſi finire placeret, finiri potuit *firma & conſtans voluntas ſceleratos præ ſcelerum odio plectendi.* Ubi notandum dicere me iram in peccatores ardere propter peccati odium, ſecundum quod argutè monuit nonnemo *odium Dei potiſſimùm in facta ferri, & factorum odium iræ eſſe cauſam, at iram in perſonas primò ferri, licet* *ex*

Crellius de Deo c. 30.

ex factorum odio proficiſcatur. Et quidem affectus Dei quotquot creaturis ſuis adverſantur, non primùm ipſarum Perſonas petunt, ſed primarium illorum objectum & irritamentum peccatum eſt: Non enim Deus homines exoſos habet, ſed eorum flagitia, neque in hominum Perſonas excandeſcit, niſi propter peccata: Quippe Deum etiam impios amare abunde documento eſt, quòd ipſorum reſipiſcentiam optet, ut ſcil. ipſius amoris capaces fiant; ita ſanè ut Deus impiis ſuccenſeat potiſſimùm quòd amari nollent, & ipſius amorem ac benevolentiam contempſerint; & fortè quòd eum contumaciâ ſuâ impedierint, ne illos ille æterno amore complecteretur. Quamvis tamen de iræ affectu monendum eſt, quod jam ſupra de miſericordiâ divinâ monuimus, nempe licet propriè Deo conveniat, tamen plerunque in S. Codice ejuſmodi verbis deſignari, quæ Deo niſi *per metaphoram & anthropopathῶς* tribuere nefas eſt, verbis ſcil. quæ iſtiuſmodi paſſiones exprimunt, quæ aut effectus, aut indicia, aut exceſſus & Anomaliæ ſunt iræ noſtræ: veluti cum *oculi Gloriæ Dei irritari* dicuntur Eſai. 3. 8. & *exacerbari ſpiritus Dei* Pſalm. 106. 33. Item cum voculâ אף denotatur, quæ ejuſmodi iram ſignificat, qualis per naſum efflatur, ut & voce כעס *indignatio* Deuter. 31. 21. Jerem. 8. 19. חרון *furor* Pſalm. 85. 4. עברה *excandeſcentia* Pſalm. 78. 49.

Quid adverſus prædicta excipi poſſit, prorſus divinare nequeo, niſi fortè dicat aliquis, nihilominus motiones voluntatis Divinæ ἀκύρως affectuum & paſſionum nomine ſignificatas venire; quòd utique nomina ſingularum paſſionum excogitata fuerint ut ejuſmodi affectus, qui aliquid corporeæ commotionis ſecum admiſtum habent, exprimerent, verùm Dei affectus prorſus alterius eſſe generis, quòd ab omni paſſione & commotione corporeâ vacent. Atqui vero prætérquam quod hoc ſit λογομαχεῖν, jam ſupra dictum eſt, quicquid ad affectus noſtros pertineat, non vero ad Divinos, intrinſecam affectuum naturam nequaquam componere; nempe

pe quæ duo affectibus nostris peculiaria contingunt, illis solummodo extrinsecus adhærent, ut quòd plerunque immoderati & proclives ad intemperantiam sint, fortuitum est affectuum vitium; quodque ex iis sequantur corporeæ commotiones, supra commonstratum est ad affectus neutiquam attinere, quòd affectuum objecta maximam partem non attingant, aut percipiant. Sed utcunque etiamsi ultrò largiamur hæc affectibus nostris adnecti, ipsorumque naturis includi: Quorsum tamen motiones Divinæ quanquam ejusmodi defectibus non obnoxiæ sint, communem cum illis nomenclaturam non sortiantur? Nisi quod etiamnum homines voces omnes ad terrena deflectant, quemadmodum Minucius in Octavio suo, de illis, quæ Deo tribuuntur, perorans *Quem si patrem* (inquit) *dixero, terrenum opineris: si regem, carnalem suspiceris: si Dominum, intelliges utique mortalem. Aufer additamenta nominum, & perspicies ejus claritatem.* Sic affectus eodem nomine atque nostri appellentur, solùm detractis iis, quæ sicut impotentis sunt, ita affectuum naturam non attinent. Quid igitur obstat quo minus iram *secundum affectum,* ut loquuntur, Deo tribuamus, cùm iræ affectus seorsim sumptus nullam omnino impotentiam invehat, (hoc enim Stoicorum delirium est) quippe iram Deo tribuendo neque aut æstum, aut turbationem, aut quidpiam aliud, quod purissimam Olympi serenitatem perturbet, illi adfigimus: etenim perturbationes quæcunque iram non componunt, sed adveniunt tanquam ejus morbi & ægritudines. Præterea an non fas sit Deo vitam tribuere (quanquam ipsam ipse sibi sæpenumero tribuat, potissimum in istâ juramenti formulâ, *Vivo Ego*) quoniam ejusmodi vitam, qualem nos, non transigat: nostra ab animæ unione cum corpore proficiscitur, sed hæc communis vitæ ratio non est, (vivunt enim Angeli & defunctorum animæ corporum verisimiliter exortes) utpote quæ in certo quodam vigore consistit, atque ita quamvis non vivat Deus per vigorem ab animâ, quatenus

 cor-

corpori cohæreat, manantem, ſicut vivit mortalis homo; interno tamen vigore, qualiſcunque demum fuerit, fruitur, per quem æquè propriè vivere dicatur, atque ſi eâdem ratione, quâ nos, vitâ uteretur. De hoc neminem hactenus dubitaſſe memini: Nam utcunque pleriſque religio ſit Deum ζῶον & *animal* appellare, tamen nulli uſquam ſcrupulus movetur, ſi ζῶντα & *vivum* dicas, quanquam revera ἰσοδύναμα ſint cum vocibus ζῶν & animalis; unde enim quidpiã ζῶον dicitur, niſi quòd ζῇ; aut *animal* niſi quòd *vivat?*

Inſuper an neque Deus intellectrice facultate polleat, quia more humano non intelligit? nempe humani intellectûs eſt ea tantummodo objecta percipere, quæ ipſi ſenſuum miniſterio repræſentantur; at hoc ab impotente illius ſtatu, quandiu nempe corpori alligatur, provenit; neutiquam vero ipſius facultatis naturam conſtituit, ſiquidem corporeâ maſſâ emerſa citra omne ſenſuum famulitium ſuas ipſa functiones obeat & peragat: communis itaque intellectûs ratio eſt, ut ſit facultas res quaſvis, quæ ipſi obverſantur, percipiendi ſeu advertendi. Quam facultatem Nemo uſque adeo ſuperſtitione obrutus, ut Deo adſcribere vereretur; quorſum igitur alias quoque animæ noſtræ affectiones pro Divinis habere nefas videatur? cùm nimirum tanto illas noſtris antiſtare prædicemus, quanto intellectum noſtrum exuperet Divinus: Hic quidem puriſſimus & omni ignorantiâ exemptus Deo haud indignus æſtimatur, quidni & illæ omni perturbatione exemptæ? Aut piaculum ſit quòd in Deo reſidere facultatem intellectricem cenſeatur, aut fas ſit alias animæ affectiones perinde ac iſtam Deo tribuere; ecquæ enim potior iſtius ratio quàm reliquarum? perturbationibus commiſcentur hæ? ignorantiâ quoque commiſcetur & iſta; corporeas motiones adjunctas habent? habet & iſta, quæ nihil niſi interventu phantaſiæ & cerebri peragat: quocirca ut hæc ſuis defectibus exuta Deo tribuitur, pari jure tribuantur & iſtæ.

Denique

Denique quis fortè excipiat de verbis fieri controversiam, illos nempe, quibus litem huc usque movi, non tam affectus quàm affectuum perturbationes & æstus à Deo removisse. At vero si id reputaverint, cur affectus, qui Dei sunt, appellare respuunt? cur *quasi-passiones* & *propassiones* & *secundum effectum, non affectum*, & si quid simile, vocitandas esse contendant? Annon κυρίως passiones dicendæ sint, nisi imbecillitates quoque annexas habeant? Stoicum fateor hoc dogma esse, sed Scholasticis & aliis omnibus Theologis, quibuscum mihi jam res est, jampridem explosum, & propterea ut aliquid aliud velint necesse est, cum adfectuum nomina Deo abnegatum eunt. Sed esto logomachiam esse; asserenda est vocum libertas, præsertim cum impietatis & hæreseos accusatur quisquis uno verborum tenore id adserat, quod ipsi verborum circumplexu demum agnoscunt (quo quæ usquam fæcundior & infælicior in Ecclesiâ contentionum seges?) An non admodum anilis superstitionis sit à vocabulis licitis & innoxiis abhorrere, & præ servili indignoque ter Venerandi Numinis horrore, nihil, quod intelligant, ipsi tribuere, sed quæ ipse patefecit, ex industriâ rursum obvelare: Quasi rectè de Deo loqui non possent, nisi loquantur ænigmata, etsi igitur totius contentionis cardo in voculis solùm versaretur, nequaquam ipse futilitatis insimulandus, qui putidas de voculis contentiones abrogare adnitor, ne orbis Christianus liticulis in pupis nulliusque momenti quæstiunculis vexetur, quod hactenus plerunque Christianismi ab usque illius pene natalibus morbus fuit omnium maximè exitiabilis. Huc usque de affectibus qui nullam impotentiam intrinsecus involvunt, sequitur ut de reliquis paucis dicamus.

Dico itaque affectus omnes, qui ἥττημα quodvis, aut impotentiam sive naturalem sive moralem resipiunt, Deo per ἀνθρωποπάθειαν attribui, cujusmodi numerantur furor, pænitentia, dolor, tristitia, metus, & innumera ejusmodi, quæ in

 neminem

neminem cadunt nisi propter aliquē defectum aut potentiæ, aut sapientiæ, aut beatitudinis, quippe ex impotentiâ animi aut virium est, quòd istiusmodi rebus conturbemur, quæ Deum aut non omnino aut secus afficiunt. Sic dolor & tristitia, cum sit animi ægritudo & molestia ob præsentiam rei alicujus sibi incommodæ & infestæ, in summè beatum & potentem cadere nequit; siquidem beatitas ex bonorum omnium complexione, & malorum absentiâ proficiscatur; atque item summè potens, quicquid sibi molestum fit, amoveret, qui proinde affligitur aliquo sibi gravi & molesto, neque summè beatus neque summè potens censeri potest. Deinde pænitentia cum animi dolor sit, & voluntatis mutatio ob factum, quod vellemus infectum, cum supremâ Dei beatitate, constantiâ, & sapientiâ pugnat: Metus denique cùm sit animæ sollicitudo ne bonum aliquod amittatur, aut malum inferatur, à Divinâ vitâ abhorreat necesse est, qui immensâ animi tranquillitate fruitur, qui neque commodo quopiam carere potest, aut quicquam incommodi pati. Quæ dicimus, non quasi, cùm Deo adscribantur isti affectus, nullum proprium affectum Deo adscribi arbitraremur, proprii enim affectus sunt, qui etiamtum Deo attribuuntur, licèt impropriis & alienis nominibus exprimantur. Ut Dolor qui Deo tribuitur nihil amplius in Deo denotat quàm odium ἀνθρωποπαθῶς seu *linguâ filiorum hominum* (ut loquuntur Hebræi) doloris nomine expressum: sicut enim homines, siquando fortè eveniat quod ipsi quidpiam odio sectentur, dolent & animi discruciantur; ita Deus dolore affici dicitur, quoniam homines se totos impietati devovissent, quod summoperè illi displiceret. Nisi placeat Maimonedis

More Nevoch. part. 1. c. 29. explicatio qui nomen עצב (quod Deo tributum Gen. *6. 6.* Dolor vertitur) significare docet iræ & indignationis excitationem ut 1 Reg. 1. *6. & non indignari fecit, seu non irritavit eum pater ejus.* & 1 Sam. 20. 34. *quia indignabatur propter Davidem.* Addi posset Psalm. 78. 40. παρώργισαν αὐτὸν ἐν γῇ ἀνύδρῳ. Ut alteram ipsius interpretationem omittam,

tam ut nimis contortam, quâ verbum עצב *rebellare* exponit. Ut & alias Rabbinicas argutias mittam, qui volunt *lætitiam in Deo vocari, quòd spiritum suum hominibus communicat; tristitiam autem quando privat eos hoc bono. Etenim ut in lætitiâ omnes spiritus vitales à corde exiliunt, ut objectum bonum percipiant; in tristitiâ vero introrsus se recipiunt, præsens malum fugientes: sic quòd Deus delectatur effectibus suis, idem est ac si dicas eum demittere spiritū suum in homines; ut quando tristatur, retinet eum in fonte suo, quia indigni sunt mortales tali bono*, &c. Ne insuper memorem Munsteri aliorumque interpretationem, qui Deum dolere dici statuunt, per spiritum suum in piis, qui impiorum flagitiis contristantur.

Man. ben Israel concil. in Gen. q. 24.

Deinceps si non dolor, multò minus pænitentia propriè dicta Deo adscribenda est, utpote quæ potissimùm in animi dolore versatur, etenim illam è duobus constitutam esse pernotum est; primò interno animi dolore ob male factum, quod infectum vellet; deinde hujusmodi doloris effectu, serio scil. conatu destructionis rei, quæ dolori est, quamque voluntas infectam vellet, qui enim ex animo dolet, serio id tolli adnitetur, quod doloris origo est; Quod igitur de dolore Deo attributo jam diximus, id quoad primam pænitentiæ partem, de pænitentiâ dicendum est, nimirum iram & odium Dei, è quibus sequebatur effectus, qui ex resipiscentiâ sequi solet, operis nempe factive cujuspiam destructio, pænitentiam dicta esse. Sic cum Gen. *6. 6.* memoratur pænituisse Deum creationis hominum, non sumendum est quasi doluisset se homines creavisse, sed quòd ipsi quodammodo displicuerat eventus creationis, qui ex hominum liberâ impietate fuerat secutus, à quâ displicentiâ, & impietatis in hominibus abominatione oriebatur non absimilis effectus illi, qui oritur ab interno animi dolore ob malè factum, quod factum nolimus, operis utique, quod ipse fecerat, destructio: Sicut enim cum homines, quòd opera sua sibi non arrideant, pænitet laboris,

ea

ea ſtatim delere ſolent, ita Deus cum operis ſui peſſimum & perquam indignum eventum deteſtaretur, quaſi pænitentiâ ductus quòd homines condiderat, funditus delere voluit. Quomodo pænitentia Deo tribuenda eſt non modo *ſecundum effectum*, ut aiunt, quatenus id agat, quod agere ſolent, qui pænitentiâ ducuntur; ſed quoque *ſecundum affectum*; (omnes enim externæ Dei operationes ab internâ aliquâ voluntatis ſuæ affectione oriuntur) quam tamen ejuſdem eſſe conditionis cum eâ, quâ homines, cum reſipiſcunt, tanguntur, conſtanter pernegandum eſt: pænitentia enim hominum interna, dolor eſt ob male factum, verùm Dei pænitentia, odium & ira ob malè factum, quæ autem Deum ad eandem actionem excitant, ad quam interno nos animi dolore ſtimulamur: etenim ſicut animi dolor propter malum operis noſtri eventum nos extimulat ipſius ruinam moliri; ita Ira & odium, quæ Deus concipit adverſus præfractam & contumacem hominum impietatem, illum excitat ad operis, quod condiderat, deſtructionem. Malè igitur cum in ſacro codice pænitentiam Deo ter-Maximo tributam legimus, ei abnegatur omnis internus voluntatis affectus, afficitur enim Deus, cum pænitentiâ affici dicitur, licèt longè diverſo affectu, quàm is ſit, quo nos pænitentiâ ducti movemur, tamen proprio affectu, qui quidem ad diverſam ſpeciem refertur, quippe hominum pænitentia ad dolorem reducitur, divinæ autem pænitentiæ affectio ad odium, iram, deteſtationem, abominationem; neque minori proprietate odium aut ira dicitur, quàm reſipiſcentia noſtra dolor vocitatur.

Inſt. Theol. l. 4. Sect. 2. c. 26. de Deo c. 31.

An deniq; operæ pretium ſit adnotare Epiſcopium, Crellium, alioſq; nodum ne quidem attingere, nedum ſolvere; cùm dicunt pænitentiam humanam & propriè dictam *oriri ex* conſideratione rei malè geſtæ, aut operis non ſatis conſultò, ſed præfeſtinè aut imprudenter ſuſcepti; at è contra pænitentiam Dei nõ oriri ex conſideratione rei malè geſtæ, aut inconſultò & imprudenter ſuſceptæ, ſed ex ratione planè contrariâ *i. e.* ex conſideratione

ſideratione rei optimè geſtæ, operiſque conſultiſſimò ſuſcepti, ſcilicet quòd eventus opere iſto planè indignus atque indebitus per accidens conſecutus eſt ex ſolo liberæ voluntatis humanæ *abuſu*. Hæc utcunque vera ſint, longè tamen à re aliena. Nam imprimis nulla cuiquam difficultas eſt, utrum divina pænitentia circa eadem objecta verſetur ac noſtra: quippe Nemini uſquam ſcrupulus fuit, an Deus reſipiſceret ex conſideratione rei inconſultò & imprudenter geſtæ, ſed an omnino pænitentiæ affectui ex ullâ cōſideratione ſive iſtâ ſive aliâ quâcunque obnoxius ſit. Deinde differentia iſta, quâ pænitentiam Divinam ab humanâ ſecerni volunt, prorſus fortuita, extrinſeca, & accidentaria eſt; Quid enim ad pænitentiæ naturam ſpectat ipſius objectum? quippe quodcunque circa objectum verſetur perinde pænitentia manet: non enim intrinſeca hujus affectûs imperfectio ab objecto deſumitur, ſed ab ipſius nativâ imbecillitate, quatenus nemini conveniat, niſi qui ſit dolori obnoxius: ſive igitur circa hoc ſive aliud objectum verſetur parum intereſt, ſiquidem quodcunque objectum habeat, pænitentia fuerit. Quinimo aſſignatâ differentiâ non perpetuo pænitentia humana à divinâ ſeparatur, non enim homines pænitet ſolius operis imprudenter & inconſultò ſuſcepti, ſed quoque aliquoties conſultiſſimi, ex quo per accidens conſecutus eſt infælix aliquis eventus; quantâcunque enim prudentiâ opus quodvis aggrediamur, fieri poteſt ut aliquid humanitùs neq; noſtrâ culpâ accidat: ut naufragum naufragii pænitere poſſit, id quanquam nullâ ſui aut imprudentiâ aut temeritate acciderat. Quorſum igitur iſto modo pænitentiam divinam ab humanâ ſeparatum eunt, cum par ſit (ſcil. quoad aſſignatam diſcrepantiam) utriuſque ratio, quòd ſæpenumerò pænitentia humana perinde ac divina non ex conſideratione rei malè geſtæ, ſed eventûs per accidens & fortuito conſecuti naſcatur? Adhæc hominum pænitentia, cum circa ingratos eventus per accidens ſecutos exerceatur, animi miſeria & perturbatio eſt, quomodo igitur divinam tranquillitatem

litatem in vado ſiſtunt, dum ſartam tectam eſſe putant, quòd Deus ſolâ iſtiuſmodi pænitentiâ afficiatur?

De timore nihil attinet dicere, cum nuſquam in Sancto codice Deo adſcriptus legatur, unicus enim locus, quo Deo tribui videatur, extat Deuter. 32. 26. *Ceſſare faciam ex hominibus memoriam eorum niſi iram inimici timerem* i. e. præcaverem, quod non ſollicita eſt mali timiditas ſed provida & cauta ipſius averſio atque ita prudentia eſt potiuſquam timor.

Hos autem & hujuſmodi affectus procul à Deo amovere adnitimur non quatenus affectus, ſed quòd, contra atque in cæteris fit, ſpeciales quoſdam defectus includant: quâ etiam de cauſâ jam ſupra varias quidem virtutes Deo abrogavimus, ut temperantiam, quæ illorum duntaxat virtus, qui ad corporis voluptates ſollicitari poſſunt; fortitudinem, quæ illorum, qui laboribus & periculis obnoxii ſunt: iſtæ enim ut perfectiones in nobis cenſentur, ita & defectus arguunt, utpote quarum munus ſit brutas & effrænatas motiones moderari, ad quas vel quidem propenſionis umbram in Deo eſſe non ſine piaculo cenſendum eſt.

Superſunt hactenus dubia unum & alterum ad divinas perfectiones in genere conſideratas attinentia compendio enodanda, alterum *an à Divinâ eſſentiâ & ab invicem diſtinguantur Divina Attributa*? alterum, cùm infinita agnoſcantur, & maximam partem vocibus negativis exprimantur, cujuſmodi immortalitas, immenſitas, incorruptibilitas, & ſimilia, *ſintne conceptus, quos de illis habemus, negativi an poſitivi?* Imprimis de primo.

Controverti nequit de generalioribus attributis, cujuſmodi ſunt unitas, æternitas, incorruptibilitas, immortalitas; dubitarique de illis ſolùm poteſt, quæ Deo inſunt ad modum aut facultatum, ut intellectus, voluntas, affectus; aut habituum facultatibus inſidentium, ut ſcientia, ſapientia, benignitas, juſtitia. Atque de his non operosè diſquirendum

eſt,

est, partim quòd in istâ re omnes Theologi consentiant, nemo enim hactenus distincta esse adseruit (nõ enim hîc de liberis voluntatis Divinæ actibus jam agitur, istos fateor ab essentia Dei realiter distinctos adseruisse haud paucos Theologos, illosq; non infimi subsellii.) Quanquam in Nicholaum Taurellum acerrimè debacchantur nonnulli, quòd attributa & accidentia in Deo ab ejus essentiâ diversa constituerit, quod tamen vix sine aliquâ candoris jacturâ eidem affingunt: nam accidentia, quæ realia vocant, disertissimè à Deo quàm alienissima esse definit, eique adscribit solummodo respectus & denominationes extrinsecas, quales ex habitudine ad effectus suos oriri universi agnoscunt, quod, si tanti videretur, abundè probare facile foret, sed indubium fiet adeunti ipsum Taurellum Triumpho Philosophiæ p. 223, & 224. ubi ex instituto quæstio hæc ventilanda proponitur. Partim quod ne quidẽ accidentia, qualitates, aliæque rerum appendiculæ à corporibus, quibus inesse dicuntur, distinguantur, sed solùm variæ sint corporum denominationes: nempe ut quodque certo situ, statu, conditione, vi, figurâ, se habeat, tale aut tale denominatur. Sed utcunque in substantiâ corporeâ fuerit, saltem suas à substantiis spiritualibus & incorporeis proprietates & facultates distinguere temerarium simul & supervacaneum foret; quorsum enim sine necessitate adeo usque entitates multiplicentur? quænam autem necessitas intellectum & voluntatem (par ratio in reliquis) ab invicem & ab animæ substantiâ ut intermedias & superinductas potentias distinguendi? Aut quorsum non pari jure istæ deinceps pro variis functionibus in varias illis cognomines subdividantur facultates? ut intellectrix in unam quæ apprehendit, in alteram quæ componit, & hanc rursus in affirmantem & negantem, in tertiam, qua ratiocinatur, ut & alias, quibus reflectit, seque intelligere intelligit, comparat, judicat. Cur neque deinceps alia voluntati tribuatur potentia, quatenus amat, alia quatenus eligit, alia quatenus aversatur, alia quatenus admira-

tur, alia quatenus æmulatur, aliæque innumeræ?

Immo vero Scholastici intellectum & voluntatem ab invicem distinguendo visi sunt omnes planè virtutis nervos incidisse: Nimirum inter omnes convenit eas solummodo actiones aut laudem aut vituperium mereri, quæ tum deliberatò, tum liberè eliciuntur, seu quæ à principio proveniunt, quod tam deliberare quàm eligere valeat: Atqui verò si una sit facultas, cujus sit intelligere ac deliberare, alia cujus sit duntaxat velle & eligere, non autem intelligere, utraque virtutis & vitii incapax sit necesse est: hæc quod rationis expers sit, neque intelligit cur potius objectum suum eligat quàm respuat: at vero bonum aut malum eligere, quod esse tale neque scis neque scire potes, neque virtutis est neque vitii: quòdque voluntas bene aut malè eligat prorsus fortuitum foret, non enim voluntatis est scire aut judicare bonumne sit an malum quod eligit. Illa, quòd electione & libertate destituatur, sive enim bene sive malè judicet, intellectui non imputandum est, cùm non liberè sed necessariò statuat bonum esse hoc, malum illud: Nempe quemadmodum oculus imaginem rei objectæ repræsentat eo modo quo est, neque potest rem quampiam, quæ sibi sub candidi specie objicitur, apprehendere aut judicare esse nigram, rubram, aut alterius coloris; ita quidem non magis in intellectûs potestate est ut quod concipit & judicat esse bonum, apprehendat aut judicet esse malum, sed veritati necessariò adsentitur falsitatique refragatur. Neque porro refert an ultimum intellectûs dictamen voluntatem determinet, an solum objectum monstret, ita ut voluntas sui juris maneat, seque in alterutram partem pro arbitratu movere possit: Si hoc, voluntas sibi relicta vel intelligere & judicare potest de objecti bonitate, vel sine judicio in objectum oblatum fertur, si prius, ejusdem erit facultatis judicare, cujus est velle, atque ita (quod contendimus) non distinctas esse facultates voluntatem & intellectum. Sin posterius, ergo voluntatis actio bruta est & irrationalis, & proinde

proinde omnis moralitatis expers, bruto enim impetu in objectum fertur sibi repræsentatum, quod an sit bonum necne prorsus nescit: sed fortuitâ quâdam propensione sequatur aut refugiat objectum suum necesse est, non enim rationis est compos, ut videat & judicet cur potius sectetur quàm avertat, sed sui consilii nescia in objectum sibi monstratum bruto more ruit. Si vero alterum statuatur, nempe voluntatem necessariò per omnia esse intellectûs sequacem, funditus quoque evertetur omnis virtutis, vitii, pœnæ, præmii, obedientiæ, & inobedientiæ ratio: cum enim intellectus nullum in actiones suas habeat dominium, sed pura puta & naturali necessitate judicet, si illius judicium necessariò sequatur voluntas, quis superest locus libertati, virtuti, laudi, vituperio? Intellectûs enim judicium necessarium & naturale est, & si etiam naturalis & necessaria voluntatis ad hoc judicium sequela, ubi libertas? quippe nihil magis cum libertate pugnat quàm naturalis necessitas. Isne laude dignus est, qui non potest nisi bene agere? Isne supplicio, qui non potest nisi male agere? Quorsum est leges sancire, hos actus præcipere; alios prohibere, si naturali necessitate eliciantur? Et quidem si ita se res haberet, intellectum jubere ut in hanc vel illam partem determinet, aut voluntatem ut intellectui morem gerat, aut obsistat, non minoris esset fatuitatis, quàm oculo præcipere ut videat, aut lapidi ut deorsum cadat, etenim nihilo minori necessitate intellectus judicaret, & sequeretur voluntas, quàm videat oculus, aut decidat lapis. Præterea utcunque de vitio dicendum sit, saltem omnis virtus tolleretur, cùm enim intellectûs determinatio necessaria sit, perinde est sive necesse sit ut voluntas illi morem gerat, sive obluctari possit; quippe si obluctetur, male agit, tum quod temerè & sine ratione moveatur, tum quòd conscientiæ, ultimove judicii practici dictamini obstinatè reluctetur: si eam necessario sequatur, non bene, quia non liberè agit, neque si erret dum intellectum præeuntem sequatur,

quatur, quodque malum eſt amet, & bonum exoſum habeat, magis in culpâ erit, quàm cæcus, ſi dum oculati ductum ſequatur, *procul avius erret.* Immo quidem non modo omnes virtutes, ſed etiam ipſæ facultates tollerentur, ſi diſtinguantur, non enim video quomodo voluntas, ſi cognitionis & intellectionis omnino expers ſit, agere poſſit, bonum amare, aut malum averſari. Quomodo enim objecti bonitate aut malitiâ affici potuit, niſi eam intelligat? An bonum appetere poſſumus aut malum refugere, quæ neſcimus? An ignoti cupido aut odium? quomodo igitur objectis commoveri poſſit, quæ neſcit? Neque quidquam eſt quòd intellectum ei facem præferre dicunt, quomodo enim voluntas porrectâ face objectum ſuum videat, ſi cæca ſit? quorſum quæſo eſt cæco lucernam præferre? Neque præterea intellectrix potentia actiones ſuas elicere valeret: v. g. quomodo ſeſe convertere poſſet ad objecti cujuſpiam abſentis cogitationem? cur jam de re aliquâ meditatur, de quâ proximo momento non cogitavit? non quòd ſibi per ſenſus objiciatur, de re enim abſente loquimur; non quòd intellectum voluntas de re iſtâ permoveat meditari; hinc enim ſequeretur non modo falſum eſſe voluntatem agere non poſſe niſi intellectum ſequatur, ſed etiã poſſe intelligere & cognoſcere, quomodo enim intellectum ſuadere aut excitare poſſet ad hoc objectum potiuſquam aliud attendere, niſi tale eſſe objectum cognoſcat? Ita equidem neceſſe eſt aut eandem potentiam vi intellectrice & electrice pollere, aut nos non poſſe (contra quod experimur) ad objectum quodvis, ut libuerit, attendere; etenim intellectus ſe determinare non poteſt, quòd libertate careat, neque voluntas intellectum, quòd cognitione.

Hæc innumeraq; alia abſurda ſequi neceſſe eſt, ſi intellectus & voluntas diſtinctæ facultates ſtatuantur; ſin vero mentem ipſam ſuas actiones immediatè elicere diceretur, & ſuapte vi omnes functiones intellectrices & electrices obire, rueret omnis

nis omnium prædictarum absurditatum moles: sic enim ejusdem erit facultatis judicare & velle, atq; in intellectu statuetur libertas, in voluntate judicium, atque ita illius actiones virtutis impotes non fient, quòd necessariæ, neque hujus, quòd brutæ; sed utriusque actus liberi simul & deliberati erunt. Immo vero tantum abest, ut intellectus & voluntas distinguantur, ut ne quidem necesse sit ut judicandi & appetendi actus distinguantur, sed sæpe judicando volumus, & volendo judicamus, quodque judicamus appetendum, id simul appetimus, quod aversandum, id quoque simul aversamur. Jam vero cum primâ fronte vehementer liqueat intellectum & voluntatem, si quæ aliæ facultes, ab invicem discrepare, cùmque porro ista non differre abundè evincatur, sequitur demum neque ullam inter cæteras intercedere discrepantiam, sed ipsam Dei vitam, quatenus varias actiones exercere valeat, nomina totidem facultatum sibi adscivisse: cujus probationem ulterius conari non licet nisi actum ageremus, cum id abundè adstruatur iis quæ de judicandi & appetendi facultatibus diximus. Dicatur igitur ipsa Divinitas omnipotentia, scientia, sapientia, bonitas, justitia, misericordia; & rursus omnipotentia non alia quàm scientia, neque scientia alia à justitiâ; & justitia deinceps eadem cum misericordiâ, omnes denique singulis contineantur, & singulæ omnibus; Deusque per simplicissimam suam vitam potens, sapiens, justus, misericors; ipsa est, quæ opera quæque efficit, unde potentia dicitur; quæ quodque intelligit & ritè gubernat, quomodo fit sapientia, ipsa deinde humana curat & administrat, cuique, pro meritis rependens, & inde justitia nuncupatur; & ita similiter deinceps aliis nominibus pro diversâ ad varios actus & effectus habitudine insignitur una & eadem simplicissima Entitas, Ut præclarè S. Augustinus. *Deus multipliciter quidem dicitur, magnus, bonus, sapiens, beatus, verus, & quidquid aliud non indignè dici videtur. Sed eadem magnitudo ejus est, quæ sapientia (non enim mole magnus sed virtute).*

&

& eadem bonitas quæ sapientia & magnitudo; & eadem veritas quæ illa omnia, & non est ibi aliud beatum esse, & aliud magnum, aut sapientem, aut verum, aut bonum esse, aut omnino ipsum esse. Neq; quidquam est quòd intellectus peculiarem de quoq; Attributo conceptum formet, Nihil enim tam simplex est, quin illud intellectus dividat & partiatur diversimodè & inadæquate contemplando; nempe nihil, quæ imbecillitas intellectûs humani, plenè & adæquatè complectimur, sed res quasque in inadæquatas notiones imprimis comminuimus, ut eo modo comprehendantur, quas uno complexu recipere non possumus; ita quoniam justitiæ & misericordiæ adæquatam rationem simul & unico conceptu exprimere non valemus, hinc alteram ab alterâ præscindimus, remque unam & eandem geminatâ ideâ intelligimus, & Dei essentiam, quatenus miserescit, misericordiam appellamus, quatenus remunerat, justitiam. Plura qui desiderat, Scholasticos adeat Aquin. 1. part. q. 13. art. 4. Arimin. in 1. disp. 8. Durand. in 1. dist. 2. q. 2. Suarez. Metaph. tom. 2. disp. 30. sect. 6. Less. de perfect. divin. l. 1. c. 1. Raynaud. theol. nat. dist. 6. quæst. 2. Capreol. in 1. d. 8. quæst. 4. Faventin. lib. 1. dist. 2. quæst. 7. disp. 20. Aliosque.

De altero quæsito, sintne conceptus nostri de divinis attributis negativi an positivi? dico imprimis negationes, quas Deo tribuimus, non negare aliquid entitatis, sed absentiam entitatis, ut immortalitas negat absentiam mortis, quæ entitas non est, sed entis destructio, si verò negarent entitatem, negarent aliquid perfectionis, omnis enim entitas perfectio est, nulla verò perfectio Deo, qui omne perfectionis genus in se complectitur, abneganda est: sic & res infinita dicitur, quæ finis & termini nescia existit; finita, cujus realitatis finis demum ponatur, qui nihil aliud est quàm negatio ulterioris diffusionis. Omne igitur infinitum realitas est summè perfecta, quantum autem quodlibet realitatis habeat, tantundem

& entis, quod igitur realitatem ſortitur nullis limitibus comprehenſam, infinita ſeu maxima entitas dicendum eſt. Finitum igitur negationem in ſe continet, ſcil. ulterioris perfectionis ſeu potius infinitatis abſentiam: infinitum autem eatenus omni negatione vacat, quatenus omnem perfectionem habeat. Quod de attributis ut reipſa ſe habent, ſufficiat.

Quod verò ad conceptus noſtros de iis ſpectat, dico eſſe potius confuſos & indefinitos quàm negativos. Veluti ſi quis in immenſum pelagus proſpiciat, ita viſus terminatur, ut quodammodo totum perluſtret, aliquouſq; enim oculorum vis pertingit, & quamvis ſentiat ſe limitari, neq; ulterius ferri poſſe, tamen ubi terminetur non definitè diſcernit; ſed confuſè percipit pelagus tanquam quoddam Chaos in immenſum patere. Sic cum de perfectionibus Dei ter-maximi infinitis meditamur, intelligimus, quantum pro modulo mentis noſtræ capere fas ſit, licet experiamur captum noſtrum tandem definiri, non tamen ita, ut advertamus ubi deſinat; ſed percipimus perfectiones, de quibus cogitamus, infinities ideis, quas de illis formare poſſumus, ampliores eſſe, quo pacto ita terminatur ſcientia noſtra, ut porro quodammodo deprehendat objecti ſui interminabilem immenſitatem. *Nimirum ubi eum dicimus immenſum, incomprehenſibilem; quid aliud quàm & eſſe cognoſcimus, & ſupereſſe* inquit Scaliger. *De ſubt. exer. 365. N. 2.* Atq; propterea non exprimuntur divinæ perfectiones meris negationibus, ſed vocabulis partim negativis, partim poſitivis, quæ dum aliquid ponunt, ſimul negant, ſic cum Deus perhibetur immortalis, iſto vocabulo ſignificatur illum vivum eſſe, & non poſſe mori, ubi prius eſt vitæ affirmatio, poſterius mortis abnegatio. Hactenus de attributis in genere, ſequitur ut de ſingulis ſeorſim agamus; & primo loco conſideranda venit Æternitas.

CAP.

CAP. VI.

De Æternitate.

IN ſacris paginis nullâ voce exprimitur Æternitas, quin quæ durationem quamvis finitam & terminatam pariter ſignificet; Uti videre eſt in vocabulis Hebræis עד & עולם, quæ quàm ſæpiſſimè de rebus minimè æternis uſurpantur. Imprimis *nomen* עולם æternitatem non vi vocis, ſed ex ipſius rei, de quâ uſurpatur, naturâ & conditione denotat; etenim primariâ & nativâ ſignificatione, rei, cui tribuitur, ætatem totamve durationem ſonat; hinc quòd ætas Divina ſempiterna ſit, fit demum, ut quoties Deo tribuatur, æternitatem ſignificet. עד verò (ut notavit *Vorſtius* & cuilibet tyroni notum eſt) propriè ſignificat *uſque*, & inde æternitatem, quòd nunquam perveniri poſſit uſque ad hunc vel illum terminum, quin ſemper relinquatur *aliud uſque*. Ad vocum iſtarum exemplum ſimilem ſignificationem apud Helleniſtas accepit *vox* αἰών; illa enim quanquam apud veteres *Græcorum Theologos & Philoſophos* plerunque æternitatem ſonet, qui nempe dictam volunt quaſi ἀεὶ ὤν, unde uſitatiſſima iſta *Poetarum* de Diis immortalibus dictio αἰὲν ἐόντες: tamen *Helleniſtæ* hujus vocis ſignificationem ubique cum voce עולם congruere fecerunt. (Sicut in Novo Teſtamento Interprete Syro ſemper retrò vertitur per ܥܠܡܐ *holmo.*) Hæc abundè *Theologis noſtris*, præſertim cum contra *Judæos* de æternâ *Legis Moſaicæ* obligatione diſputatur, commonſtrantur, ſed ut paucis oſtendam; Prætereo locos omnes, innumeros quidem in *libris Moſaicis*, quibus Deus legem Moſaicam עד עולם *in ſecula* ſancitam eſſe edixit, eam tamen jam olim *Jeſu Chriſti* miniſterio abrogari procuravit. Iſtis omiſſis,

Nota ad diſp. 3. de Deo.

ſis, textus aliquot minùs controverſos adferam: & imprimis ſi retrorſum in ſecula effluxa reſpiciatur, comperiemus voces iſtas temporis ſpatium, quod aliquando exordium habuit, denotare: ut *Gen. 6. 4.* iſti ſunt potentes מֵעוֹלָם ἀπ' αἰῶνος. *Iſai. 42. 14. Joh. 9. 32. & Act. 3. 21.* ἐλάλησεν ὁ Θεὸς διὰ στόματος πάντων ἁγίων αὐτοῦ προφητῶν ἀπ' αἰῶνος. *Coloſſ. 1. 26.* τὸ μυστήριον τὸ ἀποκεκρυμμένον ἀπὸ τῶν αἰώνων, & adjicitur κατ' ἐξήγησιν, καὶ ἀπὸ τῶν γενεῶν. *Jer. 7. 7. habitare faciam vos in loco iſto, in terrâ, quam dedi patribus veſtris* מִן-עוֹלָם וְעַד-עוֹלָם *à ſeculo & uſque in ſeculum*; & ſimiliter *cap. 25. comm. 5. Joſ. 24. 2. ultra flumen habitabant majores veſtri* מֵעוֹלָם *Tharah pater Abrahami & pater Nachoris; colebantque Deos alienos.* Job 21. 4. *Nonne noſti hoc* מִנִּי-עַד, *ex quo poſuit Deus hominem ſuper terram.* Dein ſi antrorſum in ſecula defluxura proſpiciamus, innumera pariter occurrunt in S. *Codice* loca, quibus voces iſtæ ſpatium definitum & aliquando exhauriendum ſignificant. Ut Pſalm. 104. 5. 119. 44. 145. 1, 2, 21. 148. *6.* Joh. 8. 35. εἰς τὸν αἰῶνα ſignificat vitæ humanæ ſpatium. Immo verò utræque voces עד & עולם ſimul adpoſitæ tempus finitum ſæpiuſculè denotant, de quâ re affatim exemplorum congerere licet: ut 1 Sam. 1. 22. *Ut maneat tibi coram Domino* עד עולם. Gen. 13. 15. *Dabo iſtam ſemini tuo* עד עולם ἕως τοῦ αἰῶνος. Deuter. 23. 3. *Non ingredietur Hammonita & Moabita in Eccleſiam Domini* עד עולם ἕως εἰς τὸν αἰῶνα *uſque in ſeculum*; itemque 1 Paralip. 15. 2. & cap. 23. com. 24. E quibus luculenter paret quàm futile ſit, quod monuit *Maimonides* (ut nempe legis Moſaicæ ſempiternam vim & obligationem adſtrueret) cum dicit *More Nevoch. part. 2. c. 28. ſciendum tibi eſt quòd* עולם *Holam non neceſſario ſignificet æternitatem niſi ei conjungatur* עד *Had.* Quod quidem *Rabbini* effatum ſi veritati conſentaneum foret, ſequeretur fruſtra eſſe *Judæos* dum reditum ad terram ſanctam ſperant, utpote cujus deſolationem עד עולם *Had holam* permanſuram

 prædixit

prædixit Spiritus Sanctus *Isai.* 32. 13, 14. Immò quidem sequeretur post exhaustam infinitæ unius æternitatis perennitatem, aliam quidem superesse; quippe quòd eodem loci illico subjiciatur terminum tandem isti desolationi, quæ עד עולם perduratura erat, impositum iri *vers.* 15. & postea pacem ac tranquillitatem עד עולם inductum iri *vers.* 17. Et in Novo Testamento per αἰῶνας μέλλοντας καὶ ἐρχομένους modo significatur seculum, quod post mundi excidium futurum est, modo tempora Messiæ, cujus nempe erat novam rerum faciem & statum inducere.

Hisce insuper vocabulis denotatur tota hujusce mundi duratio, ut *Luc.* 20. 34, 35, & aliis ejusmodi locis, quibus ætas hujus mundi opponitur ætati futuri; & passim libris Rabbinicis. עולם הזה *seculum hoc*, & עולם הבא *seculum venturum* opponuntur. Hinc denique *Gen.* 49. 26. dicuntur colles æterni, quòd nimirum illorum duratio αἰῶνι hujus mundi æqualis futura est. Atque quoniam αἰὼν hujusce mundi ætatem designat, fit demum ut ipsum mundum exprimeret, non aliter atque *seculum* apud Latinos. *Math.* 28. 19. Christus pollicitus est Apostolis se adfuturum ἕως τῆς συντελείας τοῦ αἰῶνος. *Math.* 13. 39. *extremus dies* συντέλεια τοῦ αἰῶνος *consummatio seculi dicitur*; & 1 *Cor.* 1. 20. pro eo quod Apostolus dixerat σοφία τοῦ κόσμου τούτου, mox *cap.* 2. 6, dixit σοφία τοῦ αἰῶνος τούτου. Quomodo Judæi Magnates & Principes vocant גדולי העולם *Magnates mundi*: ut & 1 *Cor.* 2. 8. 2 *Corinth.* 4. 4 Diabolus dicitur ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου eodem sensu ac κοσμοκράτωρ dicitur *Ephes.* 6. 12. Hinc porrò αἰὼν usurpatur ut res seu negotia hujus vitæ significet. *Ut Math.* 13. 22. *Marc.* 11. 19. μέριμναι τοῦ αἰῶνος τούτου. 2 Tim. 6. 10. ἀγαπήσας τὸν νῦν αἰῶνα, *i. e.* diligens res, quæ ad hunc mundum spectant; *Luc.* 16. 8. υἱοὶ τοῦ αἰῶνος τούτου vocantur, qui solis hujus mundi rebus atq; negotiis student & invigilant. Ephes. 2. 2. κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου, quod Syriaco Interprete vertitur per ܥܠܡܝܘܬܐ i. e. *mundanitas*; *juxta mundanitatem mundi*

mundi hujus. At Denique mundus quidem αἰῶνες in plurali dicitur, ut Heb. 11. 3. κατηρτίσθαι τοὺς αἰῶνας ῥήματι Θεοῦ *conditum esse mundum verbo Dei*, qui vocis usus apertè Hebraismum sapit; Judæi enim triplicem mundum seu עולם statuebant, primò עולם השפל *mundum depressum* i e. regionem hanc infimam, quæ elementaris dicitur: dein עולם התיכון *mundum medium* i. e. orbes Cœlestes: postremò עולם העליון *mundum excelsum*, id nempe quod beatorum sedem dicimus; quodque D. *Paulo* tertium Cœlum vocatur, quâ locutione ad receptissimam hanc αἰώνων divisionem verisimiter respexit, quorum itaque supremum, in quod raptus erat, τρίτον dici erat consentaneum. Hinc erat quòd Deus Rabbinis passim vocitetur רב עולמים *Dominus mundorum i. e.* mundi, quo sensu sumunt nonnulli 1 *Tim.* 1. 17. τῷ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ. *Regi mundi incorruptibili* sic & 1 *Cor.* 11. 7. πρὸ τῶν αἰώνων i. e. πρὸ καταβολῆς κόσμου, qui αἰῶνες plurali dicitur, quòd è tribus prædictis αἰῶσι constet. Sed ne nimis extra oleas excurratur, sistendum est; cum satis liqueat propria vis & energia vocum, quæ in S. *Codice* ad æternitatem denotandam usurpantur; quòd nempe totam rei cujusque permanentiam sive definitam sive infinitam exprimant, & propterea, cum durationem divinam designant, æternitatem valeant; quoniam, tam apertè postulat Deitatis natura, ut sempiterna sit; uti iis, quæ ante diximus demonstratum est.

Alia adhuc supersunt loca, quæ scil. comparatè *Dei æternitatem* exprimunt, nempe quæ Deum ante mundum conditum extitisse adserunt, cujusmodi insignis extat locus Psalm. 90. 2. *Antequam fierent montes, aut formaretur terra & orbis, à seculo & usque in seculum tu Deus fortis es.* Cujusmodi locis (ut id obiter innuam) commode insinuari videtur nihil præter Deum solum ante jacta mundi fundamenta extitisse; quippe si ideo Deus sibi soli æternitatē adseruerit, quod πρὸ καταβολῆς κόσμου extiterat, sequitur nihil extra se unicum tunc temporis

 extitisse:

extitisse: quomodo enim inde significari potuit æternum Deum extitisse, quòd ante mundum conditum fuerat, si quippiam aliud, quod tamen æternum non erat, extitisset; unde satis evictum videtur Angelos ante hujus mundi natales natos non fuisse: si enim mundi initio præextitissent, sufficiens æternitatis indicium & argumentum non foret mundo præextitisse.

Ut à voce ad rem tandem deveniam, non opus est ut operose æternitatem durationis divinæ adstruam, siquidem supra dictis satis stabilita videatur. Quippe superius abundè demonstratum est Deum non posse nisi esse; at sanè quod non potest non existere, id æternum, ortusq; & interitús expers esse necesse est, ut bene monuit *Aristoteles* τὸ ἐξ ἀνάγκης, καὶ ἀεὶ
2 De gener. cap. 11.
ἅμα. *Quod necessarium, & quod semper, simul sunt*; siquidem aliàs minime necessarium foret, necessarium enim est, quod non potest aliter se habere, propterea si necessaria sit existentia divina, apertissimè repugnat, quin ut eadem semper fuerit. Dein quod principium essentiæ nullum habuit, id sempiternum est, atqui Deus nunquam esse incepit, quippe si existere cæpisset: aut sibi ipse existentiæ principium conciliaverat, quod ex supra dictis apprimè pugnantia involvere apparet, siquidem isto pacto idem simul fuerat interea & non fuerat, seipso itidem prius & posterius, causa & causatum, dependens & independens, factum & non factum, ac cætera ejusmodi: aut aliunde acceperat, quod pariter impossibile; sic enim causa foret Deo prior, quanquam Dei nomine intelligatur causa prima, atque ita demum daretur primo prius.

Præterea nisi Deum semper extitisse agnoscatur, aliquando non extiterat, ac proinde quoniam repugnat aliquid ex nihilo sine causâ emergere; cum demum Deus existere cepisset, à causâ aliquâ productus extitit; atque ita non ipse, sed causa, quæ ipsum genuerat, Deus foret, cum Dei nomine causa prima designetur; porrò de istâ causâ redit argumentum, quòd si æterna non fuerit, aliquando cæperit, & proinde eam

à

à causâ aliâ genitam esse, verùm porrò de istâ causâ, & causæ istius causâ & ultra usque in infinitum redit argumentum, dum tandem causa aliqua improducta ortûs & interitûs expers agnoscatur: Quippe si omnia aliquando nata, nihil extitit, antequam nata; sicque omnia aliquando non fuere: quî ergo in actum transire possent, siquidem nihil omnino foret cujus vi & virtute à non esse ad esse demum transirent?

Verùm tam evidens & toties ab aliis demonstrata est æternitatis divinæ necessitas, ut si quis magis operosam ejus probationem desideret, mallem alios consuli, quam millies exscripta rursus à me exscribi. His igitur dimissis pergam, ut difficultates unam & alteram, quæ ad æternitatem spectant, expedire adnitar: Quarum alterâ in æternitatis naturam inquiretur, nempe *an sit divisionis & successionis expers, necne?* alterâ de æternitatis subjectis; *an scil. æterna duratio ita Dei propria sit, ut nihil extra Deum sempiternum sit aut esse potuit:* quarum debitâ explicatione exhaurientur omnes, quæ ad æternitatem attinent, difficultates. Imprimis itaque de primâ quæstione, quæ ut accuratiùs expendatur, primò consideranda est duratio, quæ *concreta* sive *interna* dicitur, quænam illius natura, an successiva sit, unde, & in quibus: deinde expendenda veniet duratio *abstracta* sive *externa*, qualis illius natura & successio.

Primò igitur concreta sive interna duratio nihil aliud quàm rei cujusque existentia videtur, quatenus simul cum indesinenti temporis fluxu coexistit; nam utcunque non desint è Scholasticis, qui illam esse modum quendam, aut accidens cujusque rei existentiæ superadditum arbitrentur, tamen ferè universa illorum quà veterum, quà recentiorum cohors durationem à rei cujuscunque existentiâ non distingui adserуere: Quippe si ponatur rei existentia, inde statim, quanquam nihil præterea adjiciatur, perdurare incipiet; siquidem nihil existere potest, quin propterea temporis alicujus fluxui coexistat; atqui simul cum quovis temporis fluxu existere,

id

id demum eſt perdurare. Adde durationem eſſe rei cujuſque permanentiam, verùm quidem permanentia non quidpiam eſt rei adjectum; ſiquidem res permanere intelligitur, ſi eadem, quæ antea fuerat, eſſe perſeveret, atqui ſanè res eædem ſecum ſine omni adjectione eſſe poſſunt. Deinde ſi duratio quidpiam adventitium rebus adjiceret, augmentum quoddam & mutatio potius foret quàm perduratio; cum exinde res augeantur & quodammodo mutentur, quod aliquid iis de novo adjiciatur, quod verò quantum à duratione abeſt, nemo quidem neſcire poteſt.

Cæterùm cùm durationem rei cujuſque ab ejuſdem exiſtentiâ non diſtingui dixerim; id ut aliquantum explicatius intelligatur, dico porrò exiſtentiam eatenus durationis nomine deſignari, quatenus cum indeſinenti temporis ſucceſſione coexiſtat, ita ut duratio hodierna & heſterna una & eadem exiſtentia ſint: quippe exiſtentia non alia hodie eſt, ut neque alia heri fuit, alia cras futura, ſed exiſtentia quatenus exiſtit unà cum temporis portione, quæ hodiè præterlabitur, hodierna duratio appellatur; quatenus cùm aliis partibus herì præterlapſis, heſterna duratio dicitur; quatenus denique cum aliis cras demum ſucceſſuris, craſtina duratio habetur: verum eadem utrobique perſeverat exiſtentia, iidem nempe hodiè ſumus, qui heri fuimus, quique cras futuri, niſi quid aliunde impediat.

Jam vero quanquam huic durationi vulgò adſcribantur incrementa & partium ſucceſſio, id ſanè intelligendum eſt, non quaſi de die in diem mutaretur, eſt enim per ſe fixa & immobilis: tamen quatenus partes durationis externæ ſucceſſivas connotat, quodammodo ſucceſſiva ipſa videri poteſt. Ita productior eſt exiſtentia ſive duratio, cum ad hodiernum diem protrahitur, quàm fuit craſtino, non tanquam aliquid novæ exiſtentiæ hodiè acquiratur, ſed quod pluribus temporis partibus hodie quàm herì coexiſtatur, & ita deinceps prout aliæ & aliæ ſubinde labuntur temporis partes, prolixior

habetur

habetur continuò fixa & ſtabiliter permanens cujuſque duratio. Nimirum res quæque eo tempore, cui coexiſtunt, durare cenſentur, at verò cum tempus inceſſanter fluat, & ſucceſſionem partium priorum & poſteriorum habeat, ita ut unâ præteritâ ſine interruptione ſequatur altera, hinc fit ut coexiſtentia cum iis ſucceſſiva videatur, ſiquidem cum rebus ſucceſſivis, aliiſque alias ſequentibus impoſsibile eſt ut ſimul *i. e.* ſine ſucceſsione coexiſtatur. Cæterùm iſta coexiſtentiæ ſive externæ habitudinis ſucceſsio nullam adfert exiſtentiæ ſucceſsionem, quæ eadem & ſtabiliter permanens cum præterlabenti ſucceſsione ſucceſsivè coexiſtit; nimirum quandiu quidpiam perdurat, tandiu fixum quieſcit, omniſque motus & ſucceſsionis expers perſeverat. Quin & profectò rei cujuſque duratio *quies quædam* non incongruè dici poteſt, ut enim quies eſt permanentia in eodem loco, ita duratio permanentia eſt in eodem eſſe. Sicut inſuper res dum quieſcit, ſucceſsivam habitudinem ad aliud, quod ſucceſsivè præterlabitur habere poteſt; ut rupes præterlabenti flumini continuâ quâdam ſucceſsione coexiſtit, ita dum res quaſi immota in ſuâ exiſtentiâ perſeverat, cùm temporis fluxu & ſucceſsione coexiſtit. Porro ex his apparet quomodo diſcriminentur *res permanentes* (quas vocant) *à ſucceſsivis*; ſcilicet quia harum eſſentiæ ſucceſſivè exiſtunt, idcirco perſeverando aliquid ulterioris exiſtentiæ acquirunt; cùm autem rerum permanentium exiſtentia in quiete & immobilitate ſita ſit, quantumcunque perſeverent, nihil inde novi aſſequuntur.

Itaque ut in aliis interna duratio permanens eſt, ita in aliis ſucceſſiva, ob internam ſcil. rerum ipſarum ſucceſſionem, res enim pleræque continuâ partium ſubinde accedentium & abſcedentium ſucceſſione fiunt; quibus nihil mirum eſt ſi ſucceſſiva duratio tribuatur; cùm enim res permaneant partem ſucceſſivè poſt partem adſciſcendo ipſarum permanentia ſucceſſiva propriiſſimè dicenda eſt; neque hujuſmodi per-

manentia

manentia folùm motui convenit, fed & rei cuivis materiali compofitæ, quod paucis explicare par eft,primò de viventibus, dein de vitæ expertibus.

Primarium itaque vitæ fontem five animam vitalem, quâ accensâ, luce fruimur, extinctâ, luce mulctamur ipfi & extinguimur, flammulam quandam effe cenfuere non modo veterum plerique, *Leucippus*, *Hippafus*, *Heraclitus*, *Heraclides*, *Hipparchus*, *Stoici omnes*, *Parmenides*, *Democritus*, fed & recentiores quotquot quidquam de illâ, ut Philofophos decet, commentati funt, & illam porro, quanquam corde tanquam præcipuo foco fpeciatim vigeat, ubique per omnes corporis artus diffufam effe addiderunt, atque non modo ipfam continenter avolare (flammæ enim partes fucceffivo quodam fluxu confiftunt, quarum aliæ quovis momento evanefcunt, aliæ accedunt fucceffione quidem temporis fluxui non admodum abfimili) fed & inceffanter corporis particulas agitare, voraciter ut pabulum fuum depafcere & diffipare, atque modo alias fecum abripere, modo alias five per occultiora corporis fpiraminula, five per pulmones tanquam per apertiorem & communem caminum foràs eliminari. Animam verò fenfitivam effe igneam fubftantiam extra dubium erit attendenti proprietates quas habet igneas, ut continuam pabuli abfumptionem, vigorem, perpetuam agitationem, pulmonum tanquam flabelli munus, aliofque effectus omnes, quos in animalium corporibus molitur. Unde intelligitur, cur tot vocabula igni & vitæ communia proftant, ut cum animal perinde ac lucerna extingui dicitur,& cum ζωπυρῆσαι ad vitam revocare, fimul & ignem fopitum excitare fignificat, uti fubnotat *Suidas*. Hinc & *Seneca Epift*. 54. *nos quoque accendimur & extinguimur*. *Antoninus* item lib. 4. Sect. 21. αἱ ψυχαὶ ἐξάπτονται *animæ incenduntur*; & *Plutarch. de com. not.* ὅταν ἐκπύρωσις γένηται, δι' ὅλου ζῆν καὶ ζῶον εἶναι, *tunc vivere cuncta atque animari, cum ignitio quafi obvenerit*: unde non defunt, qui vitam definiunt *effentiæ effervefcentiam*. Hinc infuper

celebrata

celebrata vitæ animalis fragilitas, quasi tota à primo ortu nil aliud quàm mors foret, ut isto *Thaletis* effato insinuatur, οὐδὲν τὸ θάνατον διαφέρειν τοῦ ζῆν, *nihil mortem à vitâ differre*, ut & isto *Divini Hippocratis* γίνεσθαι καὶ ἀπόλλυσθαι τ' αὐτὸ *generari & interire idem esse:* & argutè *Prosper*, *vitæ hujus principium mortis exordium est*, *nec prius incipit augeri ætas nostra quàm minui: cui si quid adjicitur spatii temporalis*, *non ad hoc accedit ut maneat*; *sed in hoc transit*, *ut pereat:* & peræquè quidem *Johan. Francisc. Grandis* Socratico quodam (ut de se ipse loquitur) furore correptus cecinit Laert. in Thaletis vitâ. 2 De vocat. gent. c. 21. Dissert. de rerum communi vivendi ratione.

Vivimus hic, *morimurque simul*, *rediviva parentat*
Vita sibi, *& propriâ morte perennis adest.*

Hinc denique insigne illud *Epitaphium* sepulchro suo tanquam Philosophicæ vitæ *coronnidem* (inquit jam laudatus author) inscribi non ita pridem curavit *J. Lipsius.*

Vis altiore voce me tecum loqui?
Humana cuncta, *fumus*, *umbra*, *vanitas*,
Et Scenæ imago, *&*, *verbo ut absolvam*, *nihil.*

Quippe ignis ζωόφορος, qui nos fovet, simul quoque absumit, & clanculum per intima viscera grassatur, cujus constanti agitatione dissoluti continuò in aërem facessimus, quo fit ut quovis momento quodammodo moriamur, quatenus quod proximo momento pars nostrûm extiterat, jam in fumum evanuit, & nostrî pars esse desiit.

Nam quodcunque suis mutatum finibus exit, Lucret.
Continuò hoc mors est illius quod fuit ante.

Atque hinc demum animal quodvis indesinenti partium motu & successione subsistit, quòd nempe *flammula vitalis* corporis

 partes

partes incessanter deprædetur, in quarum locum nisi aliæ continenter substituerentur, brevi sequeretur animalis extinctio, quatenus cum succendiculi defectu langueret *lampas vitalis*, tum alimenti defectu exhauriretur corpus: idcirco quantum materiæ perenni effluvio expiramus, tantundem semper novæ in locum effluxæ substituitur, partim ut pabulum igni suppeditetur, partim ut corporis partes igne absumptæ instaurarentur. Atque ita continuò unâ effluente nostri parte, subit altera; istâ avolante, mox altera, & incessanter deinceps, quomodo in *perpetuo fluore sumus* ὥσπερ ἐν ὁλκῷ ποταμοῦ μὴ ἑστῶτος καὶ ῥέοντος (inquit *Gregor. Nazianz*) & *fluminis instar præterimus.* Quò fortè respexerunt, cùm *Plato*, animam esse ἀεικίνητον definiens, tum *Aristoteles* cum eam ἐντελέχειαν dixerit, quæ vox, *Cicerone interprete*, perennem quandam motionem sonat.

Orat. 34.

Hæc porro proportione de aliis quibuscunque corporibus dicenda esse arbitramur, ut de ipso mundo loquitur *Plato* αὐτὸ ἑαυτῷ τροφὴν τῇ ἑαυτοῦ φθίσιν παρέχειν *seipsum consumptione ac senio suiipsius alit.* Et sanè edocuit Antiquitas ignem quendam intimè corporibus omnibus permistum esse, ut *Heraclitus* apud *Eusebium* mundum esse censuit πῦρ ἀείζωον *ignem perpetuò vigentem*, neque aliter de *Stoicis Cicero*, *Omnia vestri, Balbe, solent ad igneam vim referre, Heraclitum, ut opinor, sequentes.* Sed utcunque fuerit; extra dubium ponitur prima, quæcunque fuerint, corporum omnium elementa internâ quâdam energiâ ad continuam motitationem cieri, quo pacto nihil stabile in rerum naturâ reperitur, *quoniam fluere omnia constat.*

In Timæo.
προπαρασκ. *lib.*13.*c.*13.
De Nat.Deor. lib. 3.
Lucret.

Nec species sua cuique manet, rerumque novatrix
Ex aliis alias reparat natura figuras. Ut & alter
Namque aliud ex alio reficit natura, nec ullam
Rem gigni patitur, nisi morte adjutam alienâ. Unde
Nil equidem durare diu sub imagine eâdem
Crediderim. Verum

Ovid. metam. lib. 15.
Lucret. l. 1.

Omnia

Omnia res prorsus veras non esse, sed umbras,
Nunquam eadem, fluxu semper variata perenni. Fracastorius.

Nempe irrequietæ materiæ particulæ quibuscunque nexibus cohibitæ & revinctæ fuerint, indefesso nisu exagitantur, ut sese in libertatem vindicent, & quo sponte tendunt, ferantur, unde tandem sese explicant & avolant, quarum subductione sensim demum quicquid ex iis coaluit, labefactatur; ut in corporibus quibusvis experiri est; nulla enim tam adamantinis nexibus colligantur, quin intestinâ corpusculorum agitatione aliquando exoluta intereant. Quo fit ut ipsæ quidem *Pyramides*, aliaque omnia, quæ Æternitati consecravit Antiquitas, monumenta, tandem dilabantur. *Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas.* Unde apud *Stobæum Heraclitus*, πάντα χωρεῖ, καὶ οὐδὲν μένει· καὶ ποταμοῦ ῥοῇ ἀπεικάζων τὰ ὄντα λέγει. *Omnia transire nec quicquam manere dicebat fluvio labenti res comparans.* Et hoc pacto censuit *Plato* res materiales à spiritualibus discriminari (quam opinionem illum ab *Heraclito* mutuatum fuisse author est *Aristotoles*) quòd illæ incessanter moveant, sed istæ sine motu semper persistant, Ὁ Πλάτων φησὶν αἰσθητὸν μὲν εἶναι, τὸ μηδέποτε ἐν τῷ ποιῷ μηδὲ ποσῷ διαμένον, ἀλλ' ἀεὶ ῥέον καὶ μεταβάλλον, &c. *sensibile asserit Plato, quod aut in qualitate aut in quantitate nunquam persistat, sed diffluat semper atque immutetur --- Porrò ista sunt quorum generatio est, nunquam autem substantia: Intelligibile verò cui nihil vel accedit vel decedit. Hoc autem sempiternorum natura est, quam similem atque eandem semper esse contingit:* ac proinde Deum solum οὐσίαν (quam vocem quasi ἑστίαν, quâ stabilitas innuitur, dici vult in *Philebo*) appellandum esse censet; non autem res sensibiles quæ indesinenter fluunt. In quibus οὐδέποτ' οὐδὲν, ἀεὶ δ' γίγνεται *nihil unquam est, semper verò fit*, ut in *Theæteto* loquitur. Unde

Eccleg. Phys. lib. 1. c. 24.

Metaph. l. 1. c. 6.

Laert. in vitâ Platonis.

nos impropriè loqui monet, si res *factas esse* dicamus, quia continuò fiunt ἐκ φορᾶς ῥοῆς καὶ κινήσεως *ex latione, fluxu, motuque*; quod insuper *Homero* subinnui videtur, cum *Oceanum* pro Deorum Genitore, *Tethyn* pro matre habeat.

Ὠκεανόν τε Θεῶν γένεσιν καὶ μητέρα Τηθύν.

Plato itaque Æternitatem, quâ voce rem intellectu præditam, sive animam mundi, quam æternùm durare arbitrabatur, intelligere visus est, fluxu & successione carere statuebat, quòd simul & immutabiliter totam sui essentiam possideret, cujus nempe partes non jugi affluxu & effluxu agitantur, ut evenire solet rebus quibuscunque materialibus & mutationi obnoxiis.

Ex dictis jam satis insinuari arbitror rerum materialium durationem, quam successivam esse hactenus ostendimus, non successionem ab existentiâ suâ, quam in, sive cum temporis successione habent, habere; sed à Physicis causis, quarum molimine perennis particularum effluxus peragitur: ipse autem temporis fluxus nihil mutationis aut successionis in rebus molitur, ut ipse *Stagirita* agnovit, cum Cœlum, quod in tempore perinde ac alia quæcunque perseverat, ἀναλλοίωτον *alterationis immune* esse docet: & quanquam vulgò tempus edax rerum censeatur, id tamen *Poeticè* non *Physicè* intelligi oportet, *quæ sententia* (inquit Scaliger) *quantò est vulgo propior, tanto abest longius à subtilitate:* sed eodem sensu dicitur, quo tempus *sapientissimum*, *omnium parens*, *præceptor*, &c. perhibetur, quod scil. temporis defluxu acquiramus sapientiam, res quæque producantur, scientiâ & usu instruamur; ita ex usu fuit, tempus edax rerum habere, non quòd Helluo adeo vorax sit, ut omnia devoret, sed quod decurrente temporis fluxu Physicæ causæ res omnes arrodant atque demum absumant & dissipent.

Exerc. 352.

Cæterùm ut res aliæ perenni fluxu pertranseunt, ita aliæ adeo

adeo solidæ sunt, ut nihil ab illis unquam deteratur, sed qualia primo existentiæ momento extiterant, talia semper esse perseverant, neque equidem magis quam Deus ipse procedente temporis effluxu, nisi aliunde noxam accipiant, labefactantur, cujusmodi sunt non modo spiritualia omnia, sed etiam ipsa materia abstractè seu quoad se solam considerata; uti quæ per omnes mutationum vicissitudines eadem semper substantia permaneat: Quicquid enim mutationis hactenus molitæ sunt causæ physicæ, non ad atomorum materiæve substantiam, sed ad contexturas, mutuosque adinvicem respectus, aliaque ejusmodi, quæ materiæ accidunt, pertigit; etenim nihil majus causæ physicæ præstare valent, quàm materiã agitando, quâ viâ omnes mutationes, quæ hactenus naturæ viribus contigere, peractæ sunt. Nullæ autem mutationes aut alterationes, quantumcunque penetrent, ipsam materiæ *hypostasin* attingunt, quæ immutata per omnes mutandi vices persistit. Neque equidem nisi solâ annihilatione mutari potest, siquidem fiat rei cujusque mutatio abrogando priorem ipsius statum & novum inducendo, at vero materiæ aut corporis cujuscunque *hypostasis* solâ annihilatione abrogari potest, & proinde istâ solâ mutari, & quascunque alias mutationes subit, nisi prorsus intereat, subsistere perseverabit. Unde liquet materiæ & cujusvis substantiæ, pariter ac Dei, permanentiam successionis ac divisionis expertem esse, quatenus in corporum corruptione sive dissolutione, neque abrogatur, *Neque adaugescit quicquam, neque deperit inde*; sed eadem semper permaneat, quod succinit Lucretius

Nec sic interimit mors res, ut Materiai
Corpora conficiat, sed cætum dissipat ollis.

Ex dictis satis intellectum arbitror quid sit duratio interna, esse scil. rei cujusque existentiam: quomodo successiva sit, nempe non intrinsecâ sui naturâ, sed externo solum respectu,

ſpectu, quem ad temporis durationiſve externæ ſucceſſionem gerit:unde in rebus ex materiâ conflatis intus ſucceſſiva fiat;nō ſcilicet à tempore, cui correſpondet, ſed ab intrinſecis, quibus conſiunt, principiis jugi ſucceſſione accedentibus & abſcedentibus: quomodo inſuper res ſpirituales, & ipſæ materialium ſubſtantiæ *intus* ſucceſſivæ non ſint, ſed permanenter & eodem modo quo Deus, præterlabente temporis ſucceſſione perdurant. Quibus haud paucæ difficultates, quibus æternitatem involverunt *Scholaſtici*, enodantur.

De æternitate hoc modo concretè ſumptâ ſumenda videtur decantatiſſima *Boetiana* definitio, nempe quòd ſit *interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Dicitur vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio, quia eſſentia divina (quam ſolam ſempiternam reputabat *Boetius*) ſtabilis & fixa eſt, ita ut neque incrementa capiat neque detrimenta patiatur, ſed quovis momento, id totum, quod ad naturam ſuam attinet, poſſideat, cui nulla pars aut detrahatur aut adjiciatur; ſed ſemper citra partium acceſſum & deceſſum id totum eſt, quod eſt, aut fuit, aut futura eſt; etenim materialia omnia jugi quodam fluxu alternantur, ſiquidem

Ovid. Met. l. 15.

—— Nihil eſt toto quod perſtet in orbe,
Cuncta fluunt, omniſque vagans formatur Imago.

Seu potius perenni mutatione fluminis inſtar variantur, ita ut indeſinenter aliæ partes effluant, aliæ ſubeant, adeoque non totam vitam aut eſſentiam ſimul poſſident: vita verò divina ſemper eadem, nullique mutationi obnoxia permanet, neque quidquam acquirit, neque deperdit, ſed quovis momento id totum poſſidet, quod in omni æternitate aut habuit aut habitura eſt: & propterea tota ſimul eſſe dicitur, ubi particula *ſimul* non ipſam æternitatem aut tempus reſpicit, quaſi Deus cum omnibus illius partibus ſimul eodemve momento coexiſteret; ſed *rem æternam* reſpicit, quatenus ſe

ἀκινήτως

ἀκινήτως habeat, & quicquid sit, id totum quovis momento sit; adeo ut congruenter Essentiam nostram aquæ profluenti comparaveris, Divinam stagnanti. Cæterum cùm *Doctores Scholastici Boetianam* hanc seu potius *Platonicam* descriptionem (ex *Platone* enim desumpsit *Boetius*) de ipsâ *æternitate abstractâ* intelligi volunt, turpiter deridendos sese propinant, non modo quòd momentaneam esse illam arbitrentur, sed quòd ei vitam ascribant, quasi æternitas animal quoddam foret immortale. Eâdem tandem viâ excusandi Platonici, qui nomine æternitatis, quam indivisibilem esse docebant, rem æternam *Animam* scil. *Universi*, quæ indivisibiliter & sine mutatione infinitis temporum fluxibus correspondet intellexisse videntur, ut prolixè explicare adlaborat Plotinus Ennead. 3. lib. 7. cap. 2. & Ennead. 6. lib. 5. cap. 11. Quâ denique ratione veterum haud paucos interpretari velim, præsertim *Augustinum*, qui passim æternitatem omni successione carere innuit: quippe nihil solliciti de æternitate præcisè sic dictâ, quòd ipsam fortè nequaquam advertebant, de æternitate solum concretâ seu rei æternæ duratione agere curabant, quam scitè neque partes, neque successionem sortiri autumarunt. Hinc Augustinus in Psalm. 91. æternitatem ipsam Dei substantiam esse statuit. *Æternitas Dei substantia est, quæ nihil habet mutabile.* Et alibi. *Illa est autem vera æternitas, quæ vera immortalitas; hoc est, illa summa incommutabilitas, quam solus Deus habet.* Adde Tertullianum adversus Marcionem lib. 1. *Non habet tempus æternitas. Omne enim tempus ipsa est. Quod facit, pati non potest. Caret ætate, quod non licet nasci. Deus si est vetus, non erit: si est novus non fuit. Novitas initium testificatur, vetustas finem comminatur.* Quibus (ne reliquos exscribam) apertè satis innuitur; illis æternitatis nomine indigetari æternitatem concretam.

Lib. de Naturâ boni. c. 39.

Operæ pretium porrò monere videtur *Boethium*, cum æternitatem *interminabilem* esse statuerit, nō ad sempiternam quamcunque durationem in genere, sed speciatim *divinam*

respexisse,

respexisse, quæ quidem neque terminatur, neque terminari potest, & propterea *interminabilis* definitur, at vero quòd ad durationem sempiternam in genere spectat, satis est si *interminata* sit, tametsi non repugnet posse terminari. Quin etiam neque definitur nuda Dei æternitas, quæ solùm dicit carentiam initii & finis, sed potius in quantum convolutam habet independentem subsistendi necessitatem, quo nomine non modo *interminata* est sed & *interminabilis*; quod enim absolutâ necessitate existit, non modò initio & termino caret, sed etiam non potest non carere; at hoc accidit non æternitatis sed essentialis infinitudinis ratione; itaque ut res æterna sit, non refert utrùm deficere possit, modò nunquam reipsa deficiat.

Quod ad durationem spectat, quæ *abstracta*, sive *externa* dicitur, tantillæ sanè & tam tenuis realitatis est, ut inanem illius ideam intellectus noster assequi non valeat. Res enim acutiem nostram effugiunt tam præ exilitate, quàm præ nimio fulgore, ut enim splendida intellectum obstringunt, ita exilia in illum non cadunt; quemadmodum Solis splendor Luminum aciem perstringit, quam non afficiunt moleculæ hinc inde sub solis radios motitantes: ita mens quæ obruitur immensâ Numinis majestate, ægrè minimorum naturam attingit, quæ non adeo longè à nihilo amoventur. Intellectus objecta eò expeditiùs capit, quo suæ mediocritati propiora sunt, eoque difficilius quò ab eâ remotiora, hinc fit ut ad ea, quæ procul submoventur sive ob naturæ exilitatem, sive perfectionem, prorsus cæcutiat; unde omnia quæ nullam præ se ferunt proportionem ad intellectûs mediocritatem, & ferè immensùm ab illo distant, quatenus nihil solidæ entitatis habent, per quam quasi apprehendi possent, penitus conceptus nostros effugiunt. In quo censu præcipuè annumeranda sunt Locus & *Tempus*, in quorum naturis explicandis tam insigniter omnes pæne philosophi (in ipsius profectò philosophiæ opprobrium) aberravere: Verum omnium errori ansam dedisse videtur,

videtur, quòd præoccupatione neſcio unde ortâ imbuti *locum & tempus* tanquam res ſolidas & poſitivas imaginabantur, cum revera nihil prorſus *poſitivæ realitatis* habeant: quanquam enim eatenus realia haberi poſſint, quatenus non mera figmenta ſint, neque ut chimæræ à ſolâ imaginatione fabricentur: tamen nihil *realitatis poſitivæ* in ſe habere inde intelligitur, quòd ſemper & neceſſariò exiſtant improducta, & à Deo independentia; etenim tametſi ſe Deus nunquam ad opus quodvis producendum accinxerat, in immenſum uſque nihilominus patuiſſent *ſpatiales extenſiones,* nec non ab omni ſeculo in omne ſeculum defluxerat *temporis ſucceſſio*; & quamvis porrò Deus omnia rurſus, quæ condidit, in nihilum redigeret, ſupereſſent tamen locus & ſpatium. Quanquam enim penitus evaneſceret Univerſi machina, nonne ſuperforet iſta ſpatii intercapedo, quam occupabat mundi σύστημα? Annon regio, quæ etiamnum terrâ occupatur, ab iſtâ, quam tenet corpus ſolare, diſtaret? Num omnis & immenſa ſpatiorum diffuſio in punctulum omnis dimenſionis expers conflueret? Non deſunt fateor, quos hujuſmodi monſtroſas ineptias palam vendere non pudet: Quales tamen ſi admittantur, renunciemus ſimul omni rationi & Philoſophiæ cultui; quippe non video quidpiam tam ab omni parte fatuum & monſtroſum, quin pari paſſu propugnandum capiatur: nimirum, ut Paulò ulterius urgeam, ſi Deus aliam, hâc diſſolutâ, fabricam extrueret, iſto quidem caſu tota moles, quantacunque eſſe fingatur, unico puncto comprehenderetur: ſiquidem nihil ſpatii extra unicum punctum foret, & proinde quicquid producatur totum in illo comprehendi neceſſe foret. Adde corpora ſpatiis, in quibus collocantur, extenſionem novam non adferre, ſed ſolum ſpatiorum extenſionem, quæ ante illorum adventum inanis erat, opplere; idcirco ſi omne ſpatium antequam corporeâ mole repleatur punctum ſit, non puncto amplius erit, cùm corpore occupetur. Immo porrò quid quæſo poſitivæ realitatis in purâ putâ inanitate eſſe po-

 teſt?

est ? & quid aliud spatium quàm pura inanitas ? qui itaque in eâ fingi potest solidæ entitatis vel quidem umbra ? Quod pariter de duratione dicendum est, ut uberius infra declarabitur.

Istam verò, quanquam nihil solidi sit, concipimus tanquam inanem quendam fluxum seu successionem, quæ à nullâ aliâ dependeat, sed invariabili & eodem semper tenore, sive quidquam existat sive nihil, absque initio defluxit absque termino defluxura ; quæque nullâ vi aut sisti potest aut interrumpi : hujus totã amplitudinem, quæ citra ullum principium & terminum diffunditur, *æternitatem* appellamus ; ut & portionem istam, quæ mundi existentiâ designatur, *temporis nomine* indigetamus. Non aliâ itaque ratione tempus & æternitas discrepare videntur, quàm quâ ab invicem pars & totum discriminantur, quòd nempe æternitas censeatur quasi omne tempus, seu totus innumerabilium seculorum tractus ; & tempus subinde quasi designata totius æternitatis portio, istam itaque definire par est, quòd sit *interminata temporis successio, qua neque principium habuit neque finem sit habitura* ; ut & tempus definiri potuit *quicquid ævi à mundi exordio ad excidium effluxerit* ; siquidem veterum Sophis placuit eam æternitatis portiunculam, in cujus transitu contigit mundum existere, tempus appellare : ut *Apollodoro, Zenone ; Chrysippo* aliisque apud *Stobæum* describitur χρόνος δ' ἐστὶ τῆς τοῦ κόσμου κινήσεως διάστημα. *Tempus est mundani motûs intervallum*, utpote quod mundi permanentiam complectatur, aut simul cum mundi motu defluat. Quod insuper de Scholasticorum ævo dici potest, esse nempe æternitatis partem dimidiatam ; resectâ enim anteriore æternitatis portione jamdudum transactâ, pars residua in posterum sine fine defluxura *Ævum* dicitur.

Eccl. Phys. l. 1. c. 11.

Verum enimvero æternitatis & temporis naturam eximiè declararunt alii ex parallelismo inter locum & tempus : sicut enim spatium imaginarium (in quo uno sita est loci natura) sine

Gassend. phys. sect. 1. l. 2. c. 7.

sine termino in immensum diffunditur; ita æternitas seu tempus imaginarium absque exordio retrò excurrit sine fine excursura: rursus sicut in spatio imaginario designare licet dimensiones, quibus correspondere possent dimensiones corporeæ; ita quoque in æternitate partes præteritæ, præsentes & futuræ sunt, quæ tempus rei cujusque esse potuissent: ut insuper ex loci immensitate desumpta est pars aliqua, in quâ collocaretur mundus, ita in æternitate quasi sejuncta fuit quædam portio, quâcum commensuraretur corporum motus: adhæc sicut spatium, in cujus sinu mundus recumbit, à mundi existentiâ dependere non concipitur, sed ejusdem semper dimensionis esse intelligitur, sive existat quidpiam sive nihil; ita tempus, in quo existit mundus, non omnino à mundo aut quoquam in illo dependet, sed eodem semper tenore fluit, sive quidpiam aliud existat, sive nihil: item sicut spatii partes ab invicem avelli nequeunt; ita nec ullo obice suspendi aut interrumpi potest temporis decursus: & ita in aliis omnibus tempus sive duratio eandem σχέσιν ad mundum gerit, quam gerit spatium; propterea cum spatium nullo modo à mundo dependeat, impar quoque erit ut dependere tempus concipiatur, quin potius, antequam res ullæ fierent, fluxisse dicatur, & post rerum creationem eodem, quo prius, decursu fluere perseverare, & denique post omnium interitum (si id unquam eveniat) usque in omne ævum pariter decursurum.

His obstat solùm vulgaris *Scholasticorum* sententia, quæ statuit ante mundum conditum nihil fluxisse temporis, sed quicquid durationis ante fuit, *momentaneam* quandam fuisse alterius ordinis *æternitatem*, temporis vero fluxum simul cum motu aliquo cepisse, & à motu ita dependere, ut nullo motu existente nihil temporis fluat, sed motu incipiente simul incipiat, perseverante perseveret, desinente unà desinat; hinc per motum, hic quidem Universi, ille Cœli, tertius Solis, alius siderum, tempus definierunt, & qui mundum sempiternum arbitrabantur, illi propterea tempus quoque

absque ullo principio fluxisse censuere. Hinc item *Epicurea* temporis definitio apud *Stobaum*, nempe quòd sit παρακολούθημα κινήσεων *consequens motuum*, quasi à motu emanaret: verum præ reliquis insignis est *Aristotelica* definitio, nempe ὁ χρόνος ἐστὶν ἀριθμὸς κινήσεως κατὰ τὸ πρότερον καὶ ὕστερον. Neque ab hâc Aristotelicâ transversum digitum abiret *Hobbiana* definitio (scil. *tempus esse phantasma motûs*,) si abesset otiosum istud vocabulum *phantasma*, quod alibi definit esse *sensionem in facto esse*, ut tempus esse sensionem quis sani sincipitis asserat: verum (ut ὡς ἐν παρέργῳ insinuem) per *phantasmata* & *Ideas* aliasque ejusmodi voces, quas in definitionibus toties adferunt Neophytæ nonnulli, sive intelligant rerum imagines, quas per conceptus mente depingimus, sive exemplaria seu res ipsas quæ sub conceptum cadunt, perinde nugantur; nam si Ideam in mente depictam per istas voces exprimi velint, alienæ est ista naturæ, à re cujus est idea; præterea omnis idea non repræsentat suum prototypum, quomodo igitur veram à falsâ abjungere licebit? deinde finitionis munus est, ut nos dirigat in ideâ rei cujusque formandâ, at quantillum subsidii nobis affert ad genuinam ideæ conceptionem, si dicas rem quampiam ideam esse. Si vero per *phantasma & ideam* rem conceptui objectam intelligant, quomodo quæso enucleatur abdita rei cujuspiam natura, si dicatur eam esse rem, quam concipio? de hoc equidem non ambigo, sed definitionem adhiberi velim, ut perspicuam habeam rei quam concipio, naturam, & ut rectè an falsò concipiam, comprehendam; at verò interroganti qualisnam sit natura rei, quæ conceptui objicitur, respondent illi esse rem quæ conceptui objicitur: Delphicum responsum! sed eò, unde exilii, revertor.

Eccl. phys. l. 1. c. 11.

Phys. l. 4. c. 11.

Cum verò *Aristoteles* aliique tempus esse numerum motûs definiverunt, non de *internâ* temporis *naturâ* locuti sunt, sed potius de *externâ* ejusdem *mensurâ*, quæ sit usui humano accommodata; quo nempe fine *Luminaria Cæli* creata fuerunt, ut scil. stata tempora definirent; uti exertè legimus

mus 1 *Genes.* 14. facta fuisse לְמוֹעֲדִים : מוֹעֵד autem tempus *statutum* seu *definitum* designat: quâ voce designantur non modò Anni tempestates, ver, æstas, messis hyemsque, sed porrò solennitates certâ quâdam anni tempestate redeuntes, ut *Pascha, Novilunia, Succoth seu Tabernacula*, &c. ad quas textum hunc respexisse docent Judæi (qui scil. omnia sui causâ condita esse arbitrantur:) utcunque vero vocem מוֹעֵד certam temporis portionem significare notissimum est; unde locum hunc verti voluit *Calvinus* generaliori vocabulo *temporum opportunitates*, & *Philoponus* vult *moadim* idem quod καιροὶ sonare; ut καιροὺς ἢ πάλιν, ἔαρ, θέρος, μετόπωρον, χειμῶνα ἡ τοῦ ἡλίου ποιεῖ κίνησις *tempestivitates autem, ut ver, æstatem, autumnum, hyemem rursum facit motus Solis*. Quomodo *Proclus* sidera appellat ὄργανα τοῦ χρόνου, non quoniam iis nentur temporis volumina, sed quod temporis filum in certas portiones distribuant: Durarent certè res & manerent, etiamsi omnis Cœlestium motus cessaret, quamvis durationem istam sine motu vix metiri, numerare, & discernere possemus; *Aristoteles* igitur in hâc temporis, ut in plerisq; aliis definitionibus, rem ipsam potius indigetatum ivit, quàm illius naturam explicatum, scil. tempus esse id, quicquid demum fuerit, quod mensuratur per revolutionem Cœlorum, qualis verò res sit, quæ per motum istum mensuratur, explicare non aggressus est; non aliter quidem atque tempus apud *Empyricum* descripsit *Democritus* quod sit ἡμεροειδὲς καὶ νυκτοειδὲς φάντασμα *quale spatium Diei noctisque apparet*; verùm quid rei sit istud spatium nihil solicitus fuit *Senex*, quod fortè desperaret illius naturam assequi. Hanc fuisse *Aristotelis* mentem, ut ex multis aliis colligitur, ita speciatim quòd toties moneat tempus esse τὸ ἀριθμούμενον, οὐχ ᾧ ἀριθμοῦμεν id quod numeratur non quo numeramus, nempe id cujus partes motu Cœlesti nobis numerantur. *Non est igitur* (inquit vir longè Doctiss.) *tempus phantasma motûs; magis quàm angulus est phantasma arcûs circuli*,

De mundi creat. l. 4. c. 14.

Dr. Ward adv. Hobbium sect. 2. c. 1.

circuli, quo mensuratur, quod tamen nemo sanus dixerit.

Veruntamen utcunque censuerit *Aristoteles*, hanc illius definitionem tanquam temporis naturam *à priori* sive *per causam* explicantem arripuerunt *Scholastici*, inde porro adstruentes omne quodcunque tempus circuitûs Cœlestis sobolem esse, atque eatenus ab illo dependere, ut eo sublato, simul quoque aboleretur temporis decursus, & proinde ante Cœlorum circumvolutionem nihil temporis aut successionis effluxisse, sed quicquid durationis antea fuerat, immensum quoddam momentum, quod ab omni divisione & successione vacaret, fuisse. Quod dogma Scholas hactenus opplevisse, mihi equidem stupori est, uti quod primâ fronte innumeras fere ἀϖλογίας exhibeat. Age equidem si Deo Cœlestem motum refigere placeret, an non interea temporis successio transiret? an non homines nasci possent & denasci, quod tamen non in momento, ævo, aut æternitate fieret, sed in tempore, cum initia haberent & finem.

Sed ut aliquantò pressius consectaria pauca proliciam, inde imprimis sequeretur si Deus plures mundos aut plures primorum mobilium motus fabricaret, plurium temporum *Torrentes* simul defluxuros, siquidem multiplices fierent motus, ex quorum singulis suum emanaret tempus, nimirum si tempus omne ex *primi mobilis* motione *scaturiat*, si porro multiplices peragerentur istiusmodi motus, necesse est ut propterea multiplicarentur temporum defluxus, cum ex cujuslibet primi mobilis circuitu peculiaris oriretur motûs numerus. Deinde si tempus à partibus motûs numeratis emanaret, sequeretur quò plures motûs partes peraguntur, eò diuturnius seu majus tempus defluere, & quo pauciores, eo minus; ac proinde si cælum duplò velocius convolveretur, proportione quoque accelararetur temporis defluxus, & tantundem spatii in uno die effluereт, quantum jam in duobus effluit, scil. si à totidem partibus numeratis nascerentur tot temporis partes quot unum diem constituerent, à duplò pluribus duplò plures emanarent;

emanarent, quæ tempus duplicatum constituerent, quod quid absurdius? Quis enim non videt quanquam Sol dimidio celerius viæ suæ orbitam percurreret, tamen non minus anni spatium expletum iri quàm nunc expletur? Et si vis fortasse quantum temporis anni dimidium nunc reputatur, annum diceremus; nihilominus tamen prolixior foret annus iste quàm nunc anni dimidium est. Sequeretur insuper intermisso cælorum motu, dum Israelitæ cum Ammoritis præliarentur, ipsum etiam tempus substitisse, neque momentum quidem effluxisse, ex quo quievisset cælum usque dum rursus moverentur; at vero quis sibi persuadere valeat, etiam tum nihil temporis, nullasque horas solito tenore præteriisse, præsertim cum memoret S. Pagina *non fuisse alium: neque antea neque postea tam longum Diem*; quomodo autem iste dies aliis longior nisi pluris temporis effluxu? Neque video quid de primo mundi Die respondere possunt, in quo nempe creatum fuit Chaos, quanquam Deus nondum motûs cælestis leges tulisset. Finge deniq; Deũ decies millenis abhinc annis universæ fabricæ molẽ creavisse, & post aliquot secula aboluisse, & postea hanc novam aliam condidisse, inter priorem istam & hanc quam colimus renatam, nisi tempus aliquod decurrerat, non major foret distantia inter primam istam & alteram hanc, quàm si Deus extemplò post primæ ruinam, sese ad alteram fabricandam accinxerat, quod quis capit, cum supposuimus eum diu, quod pro suâ libertate potuit, à secundæ creatione abstinuisse? Vel (quod perinde est) si hoc τὸ πᾶν Deus in nihilum redigeret, demum post interjectas aliquot annorum myriadas, alium conditurus, quàm ridiculum & rationi absonum foret, utrunque mundum unum statim post alterum factum iri; Finge tandem Deum inter mundi prioris abolitionem, & alterius fabricationem uni duntaxat arenulæ superstiti motum indidisse, absque hâc atomo foret, immensus propemodum spatii tractus in momentum colligeretur; explicent, qui deprehendi queat alium esse temporis defluxum hâc atomo

movente,

movente, ab eo qui exiſteret ſi iſta moveri deſineret ; cui ſane ſtuporem non incutit unicam arenulam non modo annorum myriadas metiri, ſed & facere ? Si porrò fingeretur Deum atomo cuivis exiſtentiam & non pariter motionem indulſiſſe, cum inter utrumque mundum neque ævum neque æternitas interflueret, quatenus quicquid interfluxiſs foret, initio & fine terminaretur, ſpatium quo perduraret atomus iſta tempus eſſet, atque ita tempus adempto omni motu fluere perſeveraret. Quibus alia ejuſmodi innumera addi potuiſſent, ſed iſta in re tam apertâ inſinuaviſſe ſat eſt. Immo vero, (ut id ſolum porro adjiciam) tantum abeſt tempus prius & poſterius à motu denominari, ut potius motus à tempore prior & poſterior dicatur : etenim unde motum motu ſive priorem ſive poſteriorem dicimus ; niſi quòd priore aut poſteriore temporis parte peragatur ? Quorſum circuitus, quos peregit primum mobile mille abhinc retrò annis, iis, quos etiamnum peragit, præiviſſe reputentur, niſi quòd temporis partes, quibuſcum coextiterunt, ante fluxerant, quàm quæ noſtrâ ætate præterfluunt. De hiſce hactenus, quæ tanquam in velitationem præmitti par erat, jam demum copias omnes utrinq; explicare, & prælium committere licebit, ut quid utrinque argui poteſt videatur ; & imprimis quibus ratiociniis momentaneam æternitatem abolere & æternam ſucceſſionem ſtabilire contendimus ; & quibus viciſſim cavillatiunculis Scholaſtici noſtrum de æternitatis ſucceſſione dogma impetitum eunt. Pergo igitur

Imprimis quid quod contradictionem implicet, ut momentum quoddam omnem omnium ſeculorum fuſionem complectatur ? Quis capit inextenſum quodpiam quopiam extenſo amplius eſſe ? An non omnem captum fugit punctum (qualecunque illud fingatur, modò punctum ſit) totius mundi ambitum continere. Ita equidem ad amplitudinem mundi ſe habet ſpatii punctum, atque ſe habet ad illius durationem quodlibet

quodlibet durationis momentum. Verùm Æternitas quicquid ſucceſſionis ab uſque mundi initio ad ejuſdem finem effluxerit, intra ambitum ſuum complectitur; cum nulla eſſe poteſt duratio ſive ante ſive poſt æternitatem. Quid quæſo ſibi repugnantius fingi poteſt, quàm ut tam diuturna tot ſeculorum diffuſio inextenſo quodam momento contineatur? Sic enim quod inextenſum eſt & omni partium diffuſione caret, amplioris diffuſionis foret, quàm quod ferè immenſùm diffunditur: at ſanè inextenſum extenſo majus eſſe, ſeu magis extendi, manifeſtâ contradictione, ut quod maxime, implicatur.

Cùm autem reſpondent æternitatis momentum, etiamſi *formaliter* non extendatur, quòd partes non habeat alias aliis ſuccedentes, tamen *virtualiter* ob peculiarem ſuæ infinitatis eminentiam omnem omnium temporis partium ſucceſſionem complecti. Sub iſtis voculis ad obſcuritatem inventis non tam ſeſe propugnare ſatagunt, quàm latebras quærere; quoties enim τὰ παραληρήματα quantumlibet abſurda promunt, quæ nec explicare nec propugnare valent, toties adhibentur ſeſqui-pedalia iſtiuſmodi vocabula, ut ſub illorum obſcuritate ſeſe ſubducant; nobis interim, qui hujuſmodi ineptias intelligi non poſſe profitemur, oſcitantiam aut hebetudinem conviciantes; non aliter quàm olim *Pythagoras*, nuper *Spagirici*, qui quoties ineptirent, dictata ſua obſcuris & peregrinis vocabulis involvebant, præ ſe ferentes conſultò ſe interiora ſua myſteria *celare alienos*. Age verò, quoniam nugari cordi ſit, *Epicuro* ipſe adſentiar, *qui* (teſte Cicer. l. 1. de nat. Deor. & lib. de fato) *omnem enunciationem eſſe aut veram aut falſam abnegavit:* aut Philoſophis iſtis, quos (ut author eſt Ariſtoteles l. 1. Met.) affirmare non puduit *idem ſimul eſſe & non eſſe*; refellas quomodocunq; poſſis, hiſce tuis vocabulis munitus facilè tua omnia ratiocinia eludam; quid abſurdi eſt, inquiam, id, quod *formaliter* non eſt, *virtualiter* eſſe; aut ſimul neque eſſe neque non eſſe, *eminenter*

ſcilicet; non intelligis obtuſe quid ſit *eminenter* neque eſſe neque non eſſe? ſi requiras quo pacto hoc fieri poſſit, eodem ſane modo, quo quod extenſum non eſt, *eminenter* extenditur. Equidem vim vocum *virtualiter* & *eminenter* intelligerem, ſi de facultate potentiâque aliquâ effectrice ageretur, quatenus validior unius virtus alterius virtutem ſuperat, at cum hoc etiam de quantitate fingunt, omnino captum fugit quî indiviſibile diviſibili *virtualiter* majus evadat; intelliguntne ipſi utinam ingenuè faterentur; hactenus equidem nullâ importunitate adduci poſſent, ut iſtius eminentiæ myſterium explicarent; ſed qualiſcunque iſtius modus fuerit, quid abſurdius quàm ut momenti duratio emineat multis ſeculis? ut punctum quoquo modo, præſertim eminentiori, ultra ingentia ſpatia diffundatur? ut omnium ſeculorum volumina puncto revinciantur? ut denique (quod perinde eſt) centro circumferentia contineatur. Quomodocunq; enim æternitas omnia tempora complecti dicatur, parum refert, ſiquidem nullo pacto quod extenſum non eſt, revera plus extenſionis habere poteſt quàm quod extenſum eſt, nempe quòd plus extenſionis habere non poſſet, niſi iſto nomine extenſum foret. Verbo ut dicam, æternitas reipſa aut extenſionem habet aut non habet, ſi prius extenditur, parteſq; alias aliis ſuccedentes habet, ſin poſterius, nullo pacto extendi potuit ultra omne extenſum.

2. Si ſit æternitas indiviſibilis, totaque quovis momento exiſtens, ſequitur omnia, quæ quâlibet temporis periodo exiſtunt, toti æternitati coexiſtere; nihil enim quavis temporis parte eſſe poteſt, quin ſimul ſit tota æternitas; ſiquidem in ſingulis temporis partibus tota eſſe dicatur: unde porro omnia æterna eſſe, quatenus quæ unà cum totâ æternitate exiſtunt, æternùm exiſtant neceſſe eſt; quid enim aliud æterna duratio quàm unà cum totâ æternitate exiſtere? Nullam ſubinde eſſe temporis ſucceſſionem, ſed ſingulas illius partes ſimul eſſe, ſiquidem omnes uno momento, quod

nullam

nullam ſucceſſionem habeat, contineantur: quin & omnia tempora quantiſcunque intervallis diſſita coire, mundum eodem momento quo incepit deſtructum iri; Adamum extremis ſeculis coævum eſſe; quodvis inſuper temporis momentum ſempiternum eſſe, quia toti æternitati coexiſtit; ac proinde momentum, quod alterum ſequitur, poſt æternitatem demum accedere, cum idipſum ſequitur, quod toti æternitati coextitit; in totâ æternitate tempus fluere, & in totâ æternitate non fluxiſſe; Petrum in totâ extitiſſe, & tamen totam fuiſſe non exiſtente Petro; Omnia quæ diverſis temporum intervallis exiſtunt, ſimul eſſe, nempe in eâdem æternitate, & ſimul non eſſe, quod quo tempore exiſtant alia, alia non exiſtant; quod præteriit futurum eſſe, quod futurum eſt præteriiſſe; quod olim factum eſt jam fieri, quod jam fit, poſthac factum iri; Deum mundum quem hodiè conſtruit, herì deſtruxiſſe; Actiones Dei quas in ſuâ Æternitate; quæ nihil in ſe prius & poſterius habet, exerit, ſimultaneas eſſe, ita neque Deum ante mundum condidiſſe, quàm aboluiſſe; nam ſi antea condidit, quàm deſtruxit, actionum, quas in æternitate exerit, una alterâ prior erit, & in æternitate exiſtens, alterâ non exiſtente (ſaltem enim ut nos agimus in tempore, quæ noſtra duratio eſt, ita Deus in æternitate ſuâ) & proinde in æternitate partes erunt aliæ priores, poſteriores aliæ. Aliaque præterea hujuſmodi quæ huc conferre licet abſurditatum plauſtra. Sed nihil eſt neceſſe, plura congerere, ſupereſt potius ut quomodo objecta eludere ſatagunt videamus.

" Excipiunt itaq; plerique conſectaria quæ ex æternita-
" tis indiviſibilitate pertexuimus non ritè fuiſſe deducta, quòd
" æternitas coexiſtat ſingulis partibus tēporis, nō *ſimul* ſed *di-*
" *viſim* ſumptis, ita ut hodiè tota æternitas coexiſtat hodierno
" die, cras tota coexiſtat die craſtino, perendie perindino, &c.
" quod hujuſmodi ſimilitudine illuſtrant, quòd hodie totum
" Cœlum quantum quantum eſt coexiſtat Vorſtio, eo mortuo
" totum coexiſtit filio Vorſtii, quo defuncto totum Nepoti,

" & ſic deinceps; & tamen hinc non ſequetur, quia toti Cœlo
" & Vorſtius, & filius, & Nepos, quòd ideo ſimul coexiſtunt. Verum enimvero; præteritâ objectione principium duntaxat repetunt, nempe eò collineant objecta omnia, ut evincatur temporis partes, poſitâ æternitatis indiviſibilitate, non *diviſim* ſed *ſimul* cum illâ coexiſtere, quod quæ in duratione, in quâ nihil prius ſit aut poſterius, conveniunt, propterea ſimul ſunt; cum itaque ſingulæ temporis partes in æternitate, quæ nihil prius aut poſterius habet ſed tota ſimul eſt, contineantur, neceſſe eſt ut ſimul omnes ei correſpondeant, ſi enim æternitas modò huic coexiſteret, modo alteri, intelligi nequit quomodo partes alias aliis ſuccedentes non habeat, ſupereſt igitur ut expediant, quî duratio, quæ tota ſimul eſt, diviſim & ſucceſſivè rebus aliis correſpondeat. Vel enim æternitas reipſa in ſe habet prius & poſterius, vel non; id contendimus; ſi hoc, neceſſe eſt ut cuicunq; illa coexiſtat non priùs & poſteriùs ſed ſimul coexiſtat, ſi enim antea uni coexiſteret quàm alteri, pars uni coexiſtens prior eſſet quàm quæ alteri; nihil enim coexiſtere poteſt, priuſquàm ſit, neque poteſt quin coexiſtere, quando exiſtit, quandoquidem igitur detur in æternitate quod coexiſtat huic temporis periodo, & detur quoque quod alteri poſtmodum ſecuturæ coexiſtat, fieri nequit, quin prior ſit æternitatis portio, quæ priori temporis parti coexiſtit, & poſterior quæ poſteriori. Adde quod toti durationi coexiſtere ſit exiſtere quandocunq; exiſtit duratio, aliàs non toti coexiſteretur; ſi ergo dies hodiernus coexiſtat toti æternitati, exiſtit quandocunque tota exiſtit, cum ideo tota æternitas coexiſtat Diei craſtino, dies quoque hodiernus eidem coexiſtet. Sed ne multa congeram, edoceant velim quomodo binæ diſtinctæ durationes, ſcil. *abſtractè ſumptæ*, cujuſmodi ſunt tempus, & æternitas præciſè ſumpta, ſimul eſſe poſſunt, & tamen eandem durationem non eſſe, cum ex eo quod ſimul ſint, una eademque duratio evadunt, ſicut duo ſpatia non poſſunt eodem ambitu contineri, niſi in unum con-

consentur. Ad similitudinem quam adferunt de Vorstii cùm toto Cœli ambitu coexistentiâ: dico longè aliam esse rei perdurantis rationem à spatio seu tempore in quo perdurare dicitur, rei enim (quod antea insinuatum est) cuicunque permanenti nulla tribuitur aut successio, aut cum rebus aliis coexistentia, nisi à tempore in quo existit, ideoque res nulla permanens quà talis partes alias aliis succedentes habere potest; & ita rei permanentis essentia, nunc tota esse potest, & tamen posthac tota quoque perseverare, cùm nulla sit illius successio; duratio autem non potest nunc esse, & interea eadem postea esse, cum ex eo variæ habeantur durationis partes, quòd modo hæc sit, & postea illa; & quæ simul sunt durationes in unam & eandem coeant necesse est, nisi duo in unico darentur momenta. Ex quibus liquidò apparet quàm enorme à scopo suo exorbitet quod adferunt exemplum; nimirum percontantibus quî duratio infinita simul cum finitâ quantumlibet exiguâ tota esse possit, id satis illustratum putant, quòd magna seu immensa extensio simul cum duratione brevissimâ existere valeat; ut quòd tota Cœlorum amplitudo simul cum contractissimâ *Vorstii* ætate coexistat, idcirco nihil mirum esse si tota æternitatis duratio simul cum eâdem existat. Veruntamen præterquam quod ratio rei cujusque permanentis longè alia sit ab ipsâ duratione, quod jam ante monuimus, Miror equidem nondum illos ex *Aristotele* suo didicisse *mensuram* seu comparationem debere esse *homogeneam*, id est ejusdem rationis cum re ad quam comparatur; ut magnitudinis cum magnitudine, ponderis cum pondere, durationis cum duratione; hic autem comparatur duratio *Vorstii*, non (ut oportet) ad Cœli durationem, sed ad illius extensionem: Pari verò ratione Cœli ambitum, quantus sit, horologii motu aut libra dimetiantur; horæ mensuram per ulnas capiant; exactâ trutinâ temporis diuturnitatem ponderent: Fertur *Sertorium* à Barbaris suis hostibus *tempus emisse*, mirum si quantum erat libramentis non metiebantur:

quip-

quippe parili passu congruum est durationem cum pondere, cum ulnâ pondus committi, at durationem cum magnitudine: Immo vero si ex eo quod immensa Cœlorum amplitudo simul cum exiguo quovis corpore existat, conficere par sit æqualitatem in utriusq; duratione; quidni etiam & inde concludere fas sit pares utriusq; dimensiones? ut quemadmodum ex eo quòd hominis cujusvis duratio simul cum maximâ amplitudine coexistat, efficitur illam quoque unà cum maximâ duratione coexistere posse; quidni etiam si æqualis sit Cœli & atomi cujusvis duratio, exinde colligatur æqualem esse utriusque magnitudinem; seu quòd homo simul cum toto Cœlo existat, inferatur eundem, quousque diffundatur Cœlum, unà diffundi? Verum enimvero si commisissent durationem Cœli ad Vorstianam, falsum est, ut quod maximè, Vorstium toti Cœlorū durationi coexistere, aut eidē illius portioni, cui Vorstii nepotes coexistunt. Acrius hæc sugillarem, nisi lapsus tā crassos parcius viris eruditis objiciendos meminissem.

Sed excipiunt alii res omnes non semper & simul in æternitate fore, etiamsi simul cum totâ æternitate existant; quòd coexistentia *inadæquata* sit, nempe rerum naturæ & durationis ab æternitate *heterogenea*; ut verò *inadæquatè* unà cum totâ æternitate quodlibet existat; nihil absurdi inferre reputant. Nugæ! Profectò nihil aliud satagunt Lucifugæ isti quàm ut, cuniculis, quos agunt, aliis obstructis, alios sibi continuò talparum instar effodiant; neque enim quidquam novi in responsis suis adferunt, sed eadem solùm millies usq; sub alio verborum tenore oggerunt, quasi voluptati foret id nobis negotii facessere, ut easdem nugas sæpius ad tædium usque dissipare cogamur. Quorsum verò rerum creatarum duratio *heterogenea* & *alterius rationis* ab æternitate habeatur? siquidem rei cujusque duratio nihil quidquam aliud esse intelligatur, quàm coexistentia cum duratione, à quâ denominationem accipit; ut simul cum omni æternitate existere, æterna sit duratio, cum tempore temporanea: Propterea si res omnes simul

cum

cum totâ æternitate coexiſtant, quidni durationem *homogeneam* cum æternitate habeant? Quid quòd inſuper duratio Dei *homogenea* reſpectu æternitatis eſſe putatur, niſi quòd ſimul cum illâ exiſtat; ſi itaque unà cum illâ exiſtant res creatæ, quorſum durationem *heterogeneam* ab illâ habere dicuntur? Præterea ſi quid undique cum omni ſpatio diffuſum eſſet, cujuſcunque naturæ & conſiſtentiæ foret, immenſum eſſe facilè agnoſceretur, quidni etiam res, quæ ſimul quoque cum omni æternitatis perennitate diffunditur, ſempiterna cenſeatur? Unde fit ut potius duratio aliqua, quàm locus aut ſpatium aliquod, rei cuivis *heterogenea* reputetur? Si Deus corpus immenſis dimenſionibus prædítum, & in omnes inanis ſpatii regiones fuſum efficeret, pari paſſu tale corpus immenſum eſſe inficiarer: quòd nempe ſubſtantia corporea ſit, non ſpiritualis, aut quod dimenſiones *heterogeneas* reſpectu immenſitatis haberet: Quod ſi adſererem, non video quo ratiocinio uſque adeo fatuam opinionem labefactare poſſent, niſi quod pariter hoc ipſorum effugium funditus convellat. Neque quidem ſatis eſt verba quævis pro libidine comminiſci & dare, niſi explicentur; dicant itaque quî, & unde duratio durationi *heterogenea* habeatur, certè adeo ambigua, & incerta ſunt hujuſmodi reſponſa, ut vix quidpiam tàm fatuum comminiſci valeant, quin pariter eâdem viâ propugnari poſſit. Denique cum ſupponitur (ut jam ante ſubinnuitur) durationes (abſtractas & externas) cum quibus coexiſtunt uno eodemque momento Deus & creatura, quid obtuſius excogitari potuit? Nempe eodem momento plura & abinvicem diſtincta exiſterent momenta, alterum ſcil. temporis, alterum æternitatis: an non apprimè perſpicuum eſt non diſtincta eſſe momenta iſta, eo nomine quòd ſimul extiterint; quemadmodum impoſſibile ſit duo diverſa ſpatia eodem ſpatii ambitu contineri. Sed piget iſtiuſmodi nugas ulterius conſectari.

Ultimo (ne plura addam) quid quod æternitatis indiviſibilitas 3 *Arg.*

ſibilitas multis iiſque veſanis admodum dogmatis anſam ſimul & patrocinium præbeat, præſertim, ut cætera prætercam, iſtis opinionum prodigiis, primò *Alvaris*, *Cajetani*, *Ferrariensis* aliorumque, qui ſtatuunt res ſingulas, quæ ullâ temporis periodo aut extiterunt aut ſunt extituræ, verè perque proprias & actuales exiſtentias ab omni æternitate extitiſſe: Deinde *Lutheranorum*, qui Naturam humanam *Domini noſtri Jeſu Chriſti* immenſam & ubique præſentem eſſe credunt. Quæ deliramenta quanquam inſanum futilia agnoſcantur, tamen aut æternitatis indiviſibilitati innituntur, aut ſaltem ab analogiâ cum illâ propugnantur, ut extra dubitationis aleam cuivis erit, qui ratiocinia, quibus iſta probatum eunt, pernoſcat. Sic itaque imprimis argumentatur *Alvarez*: *Æternitas ambit omne tempus, ergo cum ſit iſta tota ſimul, ſemper & ſimul continet omnia futura in tempore tanquam ſibi præſentia:* quod alibi explicatius ad hunc modum diducit: *Adamus & Antichriſtus vel coexiſtunt in æternitate, vel non: ſi prius habetur propoſitum. Si non, ergo Adamus prius erit in æternitate, & Antichriſtus poſterius, & ita in æternitate erit præteritum & futurum; nihil enim dicitur præteritum & futurum in ordine ad durationem, niſi duratio illa habet partes præteritas & futuras, at Æternitas tales partes non habet*, & quæ deinceps. Hi vero, quicquid objicitur, iiſdem ſe reſponſis tuentur, quibus Æternitatis indiviſibilitas propugnatur; adeo quidem ut nihil dogmatis tam prodigioſum cudi poſſit, quin quod iiſdem κρυσφυγέτοις, quibus iſta, propugnetur. *Lutherani* deinceps omnipræſentiam corporis Chriſti ſtatuunt, non quaſi *formaliter* & ad modum aliorum corporum per omnem ſpatii immenſitatem funderetur; ſed omnia ſpatia in unius puncti anguſtias colligi volunt, quod *eminenti quâdam ratione* immenſæ ſpatiorum amplitudini æquivalet, cui cum præſens fit corpus Chriſti per *unionem Hypoſtaticam* cum naturâ Divinâ, quæ indiviſibilis ſimul & immenſa reputatur, æquivalenter unà cum totâ immenſitatis diffuſione diffundi pro-

pronunciant. Quod commentum non modo per momentaneam æternitatis durationem, quæ dissitis omnibus temporum intervallis æquivaleat, illustratum eunt; sed & pariter eodem verborum lusu tuentur; ac proinde redargui nequeunt, nisi simul æternitatis indivisibilitas labefactetur; ut oporteat aut utrumque simul explodi, aut neutrum.

Vix autem præterire possum immania de spatio opinionum portenta, quæ per æternitatis indivisibilitatem non incommodè explicantur, simul & adstruuntur, potissimum periculosum istud (ut mihi videtur) *Davidis Derodonis* delirium, qui locum & spatium tum inextensum, tum ipsam Divinitatem esse contendit: Quòd sicut Æternitas Dei, quæ est ipse Deus, indivisibilis sit, nullamque partium successionem habeat, tamen facto motu ei correspondet tempus, cujus partes aliæ aliis succedunt: Ita pariter in immensitate spatii, quæ est ipse Deus, & in se indivisibilis, ac sine partibus, producto corpore aliquo, fit quædam, quæ ei coincidit, extensio, quæque partes partibus adjacentes habet; adeo ut corporum omnium locus nihil aliud sit quàm inextensa Dei immensitas. Oh, quòd cuiquam hominum adeo vehementer cordi sit cruces ingenio suo creare! *Disput. Theol. de exist. Dei part. 1. cap. 8.*

Jā autē superest ut objecta diluamus; & imprimis è Sanctâ Scripturâ objiciunt, ut Psalm. 90. 4. *Mille anni ante oculos tuos tanquam dies hesterna, quæ præteriit, & custodia in nocte,* & 2 Pet. 3. 8. *Unus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni sicut unus dies.* Unde argumentantur apud Deum nullum esse temporis discrimen, ac proinde nullam partium successionem, & probant, quòd respectu Dei perinde sit unius Diei & mille annorum spatium, & propterea non plures in mille annis partes reperiri, quàm in unius diei spatio, & inde easdem esse utriusque respectu. At immane quantum à genuino locorum sensu abeat ista argumentatio primâ fronte perspicuum est. Quod enim ad locum priorem spectat, apertus illius scopus est, ut declaret quàm breve sit vitæ humanæ

 spatium,

spatium, si ad sempiternam Dei durationem comparetur; ut potius æternitatem in longissimam durationem protrahere videatur, quàm contrahere in punctum; tam diuturna est, inquit, Dei duratio, ut præ illâ mille annorum spatium brevissimum & veluti unius diei videatur; seu tantilla est portio vel quidem mille annorum respectu Æternitatis, ut ei comparata fere in punctum evanescat. Loci itaque doctrina est non pluris esse mille annos si durationi Divinæ comparentur, quàm unum duntaxat diem, si toti cujusque hominis ævo comparetur: vel mille annos minorem esse portionem durationis Divinæ, quàm sit unus dies humanæ; ita ut plures sint annorum myriades in ætate Dei, quàm numerantur dies vitæ humanæ; ut siquis Æternitatem in annorum myriadas ad numerum dierum vitæ humanæ divideret, minorem proportionem ad Æternitatem gererent, quàm unus duntaxat dies ad vitam hominis.

Loci alterius, quo ad *Psalmi* verba alluditur, scopus est (ut utrinq; in confesso est) ut respondeatur irrisorum objectioni cõmate quarto, *Ubi est promissio adventûs ejus, ab eo enim die, quo patres obdormiverunt, omnia permanent sicuti ab initio creationis:* Apostolus itaq; ut declararet quomodo inanis non fieret Dei promissio quod eo usque differatur, inter alia reponit quòd *unus dies apud Dominum ut mille anni, & mille anni ut unus dies.* Quibus verbis quam malè argueret Apostolus omnem temporis periodum semper Deo præsentem esse, & proinde Deum non distulisse promissi impletionem? quippe an non merito reponerent illusores isti isto pacto Deum adventum suum non differre, tametsi eum in innumerabilia secula procrastinaret, propterea quòd semper supersit idem quasi dies, quo se adventurum susceperat, ut quanquam millies millenæ seculorum myriades transierint, isto tamen casu adventum suum non prorogasset, quòd utique idem sit apud Deum immensus iste seculorum tractus, atque unus dies? Cæterum utcunque Apostoli verba premantur, hoc solùm

exprimes

exprimes apud Deum perinde esse unum diem & mille annos, non inter se (id enim ab Apostoli instituto alienum est) sed respectu expletionis promissionum Dei: Ut sensus sit, durationem, quæ nobis longissima æstimatur, Deo longam non haberi, sicut vita, quæ ad centum annos prorogatur, longæva nobis ducitur, quæ tamen Patriarchis antediluvianis brevissima putaretur, ita temporis periodi, quæ nobis quàm diuturnæ videntur, non ita Deo æstimantur, apud quem temporis intervalla brevia & diuturna perinde sunt, ut Dei respectu breve sit, tam quod nobis diuturnum est, quàm quod breve, tam mille anni, quàm unus dies, nobis enim unus dies spatium breve ducitur, mille autem anni diuturnum, utrumque vero à Deo breve æstimatur, ita ut quanquam Deus adventum per quater aut quinquies mille annos distulisset, tamen non aliter eum distulerat, quàm si quatuor aut quinque solum dies procrastinaret. Inde est quod proximè sequatur οὐ βραδύνει ὁ Κύριος τῆς ἐπαγγελίας, ὥς τινες βραδυτῆτα ἡγοῦνται. *Non tardat Dominus promissionem, ut nonnulli tarditatem esse ducunt. Tarditas* enim homini videtur, quæ ita Deo non videatur, promissionem enim *tardare* est illius impletionem diu & longo spatio procrastinare; cum autem quod multum spatii hominibus videatur, breve sit respectu Dei, fit ut quanquam diu promissionem suam Deus differre videatur, tamen revera non distulerit, cùm non multum temporis in Dei censu transierit, ex quo se adventurum pollicitus est. "Nisi potius arrideat *Clariss. Episcopii* glossema. Scopus, "inquit, Petri alius nullus est, quàm indicare non esse cau- "sam desperandi aut dubitandi de promissionibus Dei, pro- "missionumque Divinarum impletione, propter lapsum, "moramque temporis diuturnam, quâ omnia interim pro- "miscuè, & nullo piorum aut impiorum discrimine, eodem "prorsus modo ire ac procedere videntur: prout inferre ac "concludere paulò ante *vers.* 3, 4. irrisores in suis cupiditati- "bus incedentes dixerat; quia tantundem Deum impedit, quo- *Instit. Theol. lib. 4. Sect. 2. cap. 9.*

Eee 2 minus

" minus promissa sua expleat, longissimum tempus, quàm bre-
" vissimum; tam facile Deo est post mille annos explere &
" præstare quod dixit, quàm post unum diem aut unam etiam
" horâ: Ut proverbialis omnino videatur hæc oratio Petri esse,
" qualis hæc est; quando Deus victoriam largiri vult, unus
" miles ei est ut mille, & mille milites ut unus duntaxat, &c.
Hæc loca eò fusiùs excussi, non quòd illa quidquam difficultatis in causâ nostrâ facessere arbitratus sim, sed quòd illa obstinatâ fiduciâ Theologis aliquot, ut Maresio in confut: Crellii de Deo cap. 18. nec non Arnoldo adv. Catech. Racov. loco 3. cap. 1. Sect. 19. aliisque urgeri adverterim.

Objiciunt rursum si sit Æternitas successiva, continuò fieret in Deo mutatio, quia quovis momento aliter, quàm priùs, se haberet, quòd duratio, quam prius habuerat, præteriret, & nova pariter accederet, futuraque & præterita foret Dei permanentia.

Absit autem ut ullum τροπῆς ἀποσκίασμα Deo offundamus, utpote quem dissitis omnium temporum intervallis variisque periodis eundem semper, nullâque mutatione attritum perdurare credimus; utcunque instabiles fluant seculorum vicissitudines, stabilis semper & incolumis labentibus coexistit Deus; scilicet quæcunque contingat mutatio, essentiæ divinæ prorsus extrinseca est; diversa enim Deo coexistunt temporum intervalla, non aliquid novi Deo affigendo, sed aliquid extra Deum, cui Deus coexistat, ponendo; ut quod Deus coexistat temporis momento, cui prius non coextiterat, exinde solummodò fit, quia existit istud momentum quod antea non extiterat; ita oportet fluxionem non ipsi Deo, sed præterlabenti tempori assignare. Mirum præterea, quod hoc nobis exprobretur iis, qui æternitatem ab omni mutatione vindicant, etiamsi coexistat dissitis temporum periodis, quoniam constanter eadem coexistit omni temporis parti, cum tota mutatio in continuâ temporis non æternitatis successione fiat; Quidni autem idem multò potius respectu æternæ successionis

ſionis dicemus, quòd ſucceſſio in Deo non fiat, qui ſemper idem, nulliq; mutationi obnoxius omni temporis ſucceſſioni coexiſtit?

Neque porrò ipſi (ut antea monuimus) ullatenus commutamur, quia in temporis defluxu ſiſtimur, quaſi ſimul cum violento illius Torrente raperemur, ſed quòd nos ipſi pariter fluminum inſtar præterimus, & ſemper quod ſumus, eſſe deſinimus, quorum ſcil. corpuſcula *lampas vitæ*, cui debemus quòd lumine fruamur, avidè depaſcit, & in fumos auraſque abigit, ſic dum indies naſcimur, indies interimus, quorum quæ hodie pars altera, heri nulla fuit, cras nulla futura eſt

—— Nec quod fuimuſque ſumuſque; Ovid.
Cras erimus ——

Sic demum profectò niſi ἔμφυτον πῦρ nos deprædaret, in æternum iidem nulliſque mutationum vicibus obnoxii permanere poſſemus. Deus autem cum ſit ἐκστάσεως καὶ μεταβολῆς expers, ut loquitur *Ammonius*, temporis defluxu non alternatur, ſed

Idem ſemper erit, quoniam ſemper fuit idem; Manil.
Non alium videre patres, aliumve nepotes
Aſpicient, Deus eſt, qui non mutatur in ævo.

Seu ut Sancta Scriptura, οἱ οὐρανοὶ ἀπολοῦνται, σὺ δὲ διαμένεις· πάντες ἀλλαγήσονται, σὺ δὲ ὁ αὐτὸς εἶ: Neque aliter Parmenides Heb.1.10,11.

—— ἐπεὶ νῦν ἔστιν ὁμοῦ πᾶν,
ταὐτό τ' ὄν, ἐν ταὐτῷ τε μένον, καθ' ἑαυτό τε κεῖται.

Nunc ſimul totus eſt, idem exiſtens, in hoc manens & ſecundum idem jacens.

Porrò Deo tribuuntur præſens, præteritum, & futurum, non

non quatenus *negationem* (ut aiunt) connotant, sed purè quatenus *continuationem* dicunt; scil. quòd, id quod prius fuit, nunc sit, & quod est, idem sit perseveraturum, non autem quasi quod olim fuisse aut futurum esse dicimus, jam non esset, sed quòd qui olim fuit, est, & semper erit

Ζεὺς ἦν, Ζεὺς ἐστιν, Ζεὺς ἔσσεται, ὦ μεγάλε Ζεῦ.

Unde ex *Augustino Bradwardinus: Deus fuit & erit & est, fuit in præteritis seculis, est in præsentibus, erit in futuris: fuit, quia nunquam defuit, erit quia nunquam deerit, est quia semper est.* Hæ denique denominationes Deo competunt solummodo ex denominatione extrinsecâ, scil. à successivis æternitatis partibus desumptâ. Ut Præsens non denotat existentiæ principium, sed principium extrinsecæ conjunctionis cum τῷ νῦν, res enim, quòd concipiatur existens fluente hoc momento, præsens dicitur: Neque futurum ipsius rei futuritionem dicit, sed rei etiamnum fortè existentis futurum ad fluxura momenta respectum; Nec denique præteritum rei ipsius desitionem dicit, sed tantum conjunctionis cum momentis istis, quæ evanuerunt.

Deinde cum objiciunt Dei essentiam esse simpliciter indivisibilem, neque partes ullas admittere, & æternitatem, cum Dei sit internum attributum, ipsissimam esse ejusdem essentiam, ac proinde esse indivisibilem: Ad ista jam ante responsum est, cum de duplici æternæ durationis acceptione diximus, alterâ, cum concretè sumitur, sicque attributum est Dei internum, neq; quidquam aliud quàm divina existentia cum denominatione extrinsecâ à temporis fluxu desumptâ, hanc permanentem & divisionis expertem esse in confesso est: Alterâ, cum præcisè & abstractè spectatur, & inanis est quædam successio, quæ *labitur & labetur in omne volubilis ævum*, hæc est, cujus rationem in perpetuâ successione constitutam esse arbitramur, & eodem modo ad æternam Dei durationem se habet, quo spatium imaginarium ad illius immensita-

tem

tem se habere statuitur; ut enim spatium non reputatur attributum Dei, sed interminata cum illo coextensio, ita neque ipsa hæc Æternitas Dei attributum est, sed perpetua in illâ permanentia.

Cum porrò objiciunt Deum ex nostrâ sententiâ æternum dici non posse, cùm nondum omni successioni coextitit: dico si æternitas accipiatur (ut plerunque in vulgari sermone accipitur) pro fundamento & radice sempiternæ durationis, quòd Deo semper attribui potuisset; quatenus scil. exigat essentiæ divinæ perfectio, ut semper existat; ita ut non potuerit ab æterno non fuisse, & in æternum non futura esse, sic quovis momento æterna dici potest, quia non potest non esse æterna: ut anima rationalis vulgò æterna perhibetur, non quod omnibus momentis in posterum fluxuris coextitit, sed quòd in ejusmodi conditione sita sit, ut necesse sit eam in æternum perseverare, & cum singulis momentis, quandocunque demum advenerint, conjungi. Sin æternitas pro actuali conjunctione cum omnibus successionis momentis sumatur, ita ut durationem utrinque infinitam complectatur, quæ quidem non modo omnibus momentis hactenus effluxis, sed & in posterum effluxuris actu conjungitur: Hanc dico Deo jam nunc tribuere tum absurdum tum impossibile esse: *Impossibile*; quòd contradictionem involvat Deum revera cum eo conjungi, quod nunquam erit: at omnia successionis momenta in perpetuum futura nunquam actu erunt, quando enim omnia actu fuerint, nulla futura superessent, ita demum infinitæ successionis daretur finis; quo enim momento nullæ ipsius partes futuræ essent, tota exhauriretur, cum enim nihil futurum est, nihil superest venturum, & cum nihil superest venturum, toti successioni finis ponitur: sed infinitam successionem finiri apertissimè contradictorium est, ergo & impossibile Deum cum eâ actu conjungi. *Absurdum*; tum quia falsum esset, quod de Deo loquitur Scriptura, *qui est, qui fuit, & qui futurus est*; tum quod sequeretur

quic-

quicquid in æternum futurum erit, Jam actu esse: si enim Deus jam actu coexisteret omnibus momentis in æternum futuris, necesse est ut jam quoque existant omnia, quibus coexistit, momenta; at quid absurdius quàm omnia quæcunque in infinitum usque futura sunt, jam actu præsentia esse?

Pergunt; captum omnino fugit æterna absq; initio successio, quantumcunque enim successionis mente complectimur, initium semper agnoscamus necesse est. Fateor quidem hominis ingenium complecti non posse æternitatem, quippe si comprehendi posset, non foret æternitas, quia eo nomine nequaquam infinita esset, quicquid enim mens finita capit, infinitum non est: Verumenimvero etiamsi mentem fugiat quî fluat æterna successio, perinde quoque fugit quomodo non esset æterna successio; neque enim de æternitate loqui possumus aut cogitare nisi ad modum successionis (ut comperiet quotusquisque in proprias meditationes inspexerit) quod ipsi adversarii fatentur, cum tempus, quod *imaginarium* vocant, nihil aliud esse docent, quàm Æternitatis Ideam, quam ad modum & sortem temporis fabricamus; si vero non valeamus de æternâ duratione ne quidem cogitare nisi ad modum successionis, tantum abest quin captum nostrum effugiat æterna succesꝛsio, ut intellectum potius adjuvet. Porrò ἀκατάληπτον est totum æternæ succesꝛsionis spatium, non quia *successivum* sit, sed quia *infinitum*; facilè enim comprehendo æternitatem succesꝛsivam esse, licèt minimè comprehendam æternam succesꝛsionem; neque quidquam intellectum cruciat, ut in æternitate partes aliæ aliis succederent, sed solum ut detur partium infinitudo, ita non captum fugit infinita succesꝛsio, sed succesꝛsionis infinitas; Quòd quicquid infinitum est, innumeras ingenio nostro cruces figat, utpote quod finitum quemcunque captum infinitis intervallis superat; angustiores sunt cerebri humani cellulæ, quàm ut in iis hospitari posꝛsit infiniti Idea. Et propterea objectionem esse nullius momenti, si in infinito quovis sit, quod captum nostrum effugiat,

fugiat, quod ſerio adverti velim, quoniam quicquid præterea adverſus æternam ſucceſſionem objiciunt, penitus enervat. Quod ex his quæ proximè ſequuntur, luculentius conſtabit.

Quærunt itaque Æternitatis partes finitæne ſint, an infinitæ? finitæ? ergo & finita æternitas. Infinitæ? hoc abſurditatum plauſtra in ſe convehit, ſic enim imprimis infiniti finis foret, partes enim, quæ tranſierunt, horâ quæ jam excurrit, terminantur, ſi igitur infinitæ ſint, infinitum finitum erit, &, ut aiunt, exhauſtum, ſiquidem hodiè terminantur & exhauriuntur æternæ ſucceſſionis partes; cum omnes jamdudum pertranſierint: Deinde foret infinito majus; quod utique Æternitas contineret infinita ſecula, plures annos quàm ſecula, plures menſes quàm annos, atque deinceps plures ſeptimanas, dies, horas, ſemihoras, horæ quadrantes, momenta. Foret centuplo major annorum numerus numero ſeculorum infinito; at quantò quæſo plura momenta forent, quorum pene innumera quolibet anno continentur? his comparatus infinitus ſeculorum numerus quàm exiguus, quàm nullus eſſet? Adeo ut demum numero infinito infinities major foret: immo numerus infinitus infinito infinities minor foret, numerus enim infinitorum annorum minorem proportionem ad numerum infinitorum dierum gerit, quàm gerit unus duntaxat annus ad infinitos, quippe totidem infinitates inter infinitatem annorum, & infinitatem dierum intercederent, quot, uno ſolum ſubtracto, in quolibet anno continentur dies, & propterea cum contineat quilibet annus dies 365, inter infinitates annorum & dierum intercederent infinitates 364: Verum non pluſquam unâ infinitate ab uno anno diſtant infiniti. Adde quòd partes, quæ Moyſis ætate effluxerant, aut finitæ erant aut infinitæ: ſi finitæ, finita quæ præceſſerat æternitas; ſi infinitæ, illæ additæ, quæ ex eo tempore ad id quod excurrit ſucceſſerunt, infinito majus conſtituent, Adhæc ſi æternitas partes habeat, ergo vel omnes illius partes ab æterno fuere, vel non: ſi iſtud; ergo omnes ſimul

stant, ab æterno scil. Si hoc; ergo omnes aliquando inceperunt, siquidem incipiat quod ab æterno non sit, atque ita æternitas initium haberet, utpote cujus omnes partes inciperent, ipsa autem ante omnes suas partes esse non potuit. Et si quæ sint istiusmodi alia.

Sunt qui huic postremæ objectioni satis se fecisse putant, de æternitatis partibus distinguendo, quòd primò *distributivè* & sigillatim sumantur, sic singulas inquiunt æternæ successionis partes temporales esse, quia quæque initium habet, omne enim quod sibi præexistens habet, æternum non est, omnis autem successionis sempiter[illegible]tio præcedaneam sequitur, quia exigit ejus ratio n[illegible]mam sed semper priorem habere: Deinde *Collectivè* sumi inquiunt, sicque omnes æternas esse statuunt, quarum nempe immensa aggeries immensam successionem conficiunt, nulla enim pars omnium partium collectione prior est, sic enim extra omnem partem pars superesset; quæ quidem partium omnium collectio in infinitum procedit: Ut enim spatium infinitè per omnes partes simul sumptas, ita tempus per omnium partium defluxum infinitè & ab æterno in æternum fusum est. Quod responsum an adversus adversariorum instantias propugnari possit, videant illius auctores, de illo parum ipse sollicitus sum, utpote qui prædictas omnes objectiones abundè solvi arbitrer, solvi non posse confitendo. Quemadmodum jam ante monuimus ista omnia non tam in æternitatis *successionem* quàm *infinitatem* objectari, uti quæ in quolibet infinito pariter usurpari queant; neque magis successionis infinitatem evertunt quàm spatii; & propterea non æquum est ut quidquam adversus æternam successionem valeant. Atque quidem nihil tantoperè manifestum est, quin istiusmodi ratiociniis labefactetur. Omnia quidem *Euclidis* axiomata, problemata, postulata, si ad *Infinitum* quodvis aptarentur, prorsus aut incerta aut absurda forent: ut isto posito axiomate, *Infinito non dari majus, neque infinitum quovis esse minus*, ausim dicere prima & apertissima

tissima ista omnia Geometriæ postulata, non modò dubia sed manifestò absurda videri, pars enim toti æqualis foret, nempe spatium Orientem versus diffusum, quanquam immensi spatii solùm pars sit, omni spatio æquale foret, siquidem infinitum est. Totum item æquale non foret omnibus suis partibus simul sumptis, ut tota spatii immensitas non plusquam infinita est, tamen pariter infinita illius pars quæ in Orientem procurrit, ut & infinita, quæ in Occiduum, at duplex infinitum uno majus est, & pariter in cæteris. Cæterum ut rem aliquantò fusiùs & clariùs diducam; *Parallelismum* hac in re inter æternitatis successionem & spatii immensitatem explicatius ostendam.

Spatium itaque utrobique infinitum esse, tam perspicuum est, quàm quod maximè; adeo ut si quis tam protervi ingenii fuerit, ut id inficiari sustineat, ad propriam mentem remittendus est; si enim proprias cogitationes paululum consulat, spatii infinitudinem protenus, velit, nolit, agnoscet: Quotusquisq; enim animum ad spatiorum diffusionem advertere velit, coactus infinitam quaquaversum expansionem concipere se fatebitur, in quamcunque plagam se vertat, spatium citra metas & limites immensùm diffundi percipiet: Ubi quæso assignari possit terminus, quo claudi potuit? Qui excogitari possent extima totius quasi pomæria, extra quæ spatii nihil ulterius pateat? Sive in Orientem sive in Occidentem, sive sursum sive deorsum prospiciat, nusquam *limites* agnoscet; sed in omnem partem spatia ulterius & in immensum patere perspiciet; ut tametsi limites alicubi sibi fingat, ulteriora adhuc non superesse spatia imaginari non potest, sed, velit nolit, spatium extra limites, quos inscripserat, ulterius diffundi concipiet, ut tandem fateatur se nusquam finem percipere posse, & spatii vastitatem ita undiquaque ultra fines quoscunque fusam esse, ut nusquam terminus figi queat, quin ulterius serpat in immensum: Quippe ultra assignatum limitem aut solidum aliquid foret, aut inane: si solidum; spa-

 tium

tium quoque foret in quo reponeretur: si inane; id ipsum spatium est, quod in immensum porrectum esse pertendimus. Adde quod omne terminatum alterius generis aliquo terminatur, sicubi igitur desinat spatium, datur aliquid alterius generis ultra omne spatium, quod impossibile, quoniam quicquid sit, alicubi existat necesse est; cum itaque nihil alterius generis, in quod desinat spatium, cogitari potest, necessum est ut ejusdem naturæ spatium in immensum excurrat;

Nunc extra summam quoniam nihil esse fatendum est
Non habet extremum. ——

Adhæc finge *Achillem* πόδας ὠκὺν statim à *Trojæ excidio* viam fuisse ab aliquâ Cœli plagâ auspicatum, & *extra longè flammantia mænia mundi* procedere, ut v. g. orientale spatium percurreret, quousque quæso, antequam terminum quenquam attingere potuit, excurreret? nisi profectò prius viam, quàm metam attigerit, relegaret, frustra foret *Vates*, qui illum *ad iteranda Trojæ fata* aliquando tandem esse rediturum vaticinatus est: immò verò tametsi fingatur ab æterno in æternum rectâ in eandem plagam perrexisse, nusquam demum terminum reperiret.

Præterea si jam finitum constituatur
Omne, quod est spatium; si quis procurrat ad oras
Ultimus extremas, jaciatque volatile telum;
Invalidis utrùm contortum viribus ire
Quò fuerit missum, mavis, longéque volare?
An prohibere aliquid censes, obstareque posse?
Alterutrum fatearis enim, sumasque necesse est;
Quorum utrumque tibi effugium præcludit; & Omne
Cogit ut exemptâ concedas fine patere.
Nam, sive est aliquid, quod probibeat, officiatque,

Quo

Quo minus, quo missum est veniat, finique locet se,
Sive foràs fertur; non est ea finis profecto.
Hoc pacto sequar, atque oras ubicunque locàris
Extremas, quaeram telo quid denique fiat:
Fiet uti nunquam possit consistere finis,
Effugiumque fugae prolatet copia semper.

Ut egregiè, uti maximam partem solet, arguit *Lucretius.* Lib. 1.
jam autem cum spatium infinitum esse adeo certum est, ut nihil supra, ista ratiocinia firma esse negandum est, quæ si firma forent, tolleretur penitus spatii immensitas; quare si rationes, quibus æternitatis successionem eversum eunt, perinde spatium (ut & quodvis aliud infinitum) labefactent, inde colligere par videtur non omnino firmas esse, sed esse sophismata quædam, quæ imbecillitati intellectûs nostri, cum circa *Infinitum* versatur, imponunt; & propterea non adversus æternitatis successionem urgenda esse, cum non tam ipsam speciatim redarguant, quàm omnem in genere infinitudinem, neque istam, nisi propter captûs humani imbecillitatem: si igitur evicero infinitati spatii ista pariter adversari, atque æternitatis successioni, satis me illa solvisse arbitror, etiamsi ceteroqui solvi nequeant. Id autem cuiquam, qui ratiocinia ista ad spatium adaptaret, apprimè constabit.

Ut spatium vel partes finitas habet, vel infinitas; si finitas, ergo & finitum spatium: si infinitas, imprimis terminaretur infinitum, quòd scil. partes omnes, quæ v. g. ab *Oxonio* in Orientem excurrunt, quanquam infinitæ sint (si enim finitæ forent, utrinque terminarentur) tamen hâc urbe terminantur: Daretur insuper infinito majus, in infinito enim spatio milliaria infinita forent, & tamen major foret stadiorum numerus numero milliarium, numerus ulnarum major numero stadiorum, numerus pedum major numero ulnarum, numerus palmorum major numero pedum, numerus digitorum

rum major numero palmorum, & pariter deinceps; cæterùm infinitus milliarium numerus numero digitorum comparatus quàm exiguus & pene nullus foret, uti de æternitatis succesſione deductum eſt: Præterea ſpatium à plagâ hujus urbis Orientali ſitum infinitum eſt, ut pariter occidentale infinitum eſt, cum neutrum terminetur: & tamen utrumque ſimul majus eſt alterutro, atque ita infinito foret infinitum duplò majus. Adde denique quòd partes ſpatii Orientales, quæ urbe *Hieroſolymitanâ* terminantur, infinitæ ſint, iis tamen adjectum quicquid ſpatii inter *Hieroſolymas* & *Londinũ* interjacet, majus ſpatium infinito illo conſtituet; & ſi quæ iſtiuſmodi alia ſint, quæ in æternitatis ſucceſſionem urgentur, huc illa referre licebit. Propterea aut objecta iſta nihil adverſus æternam ſucceſſionem valeant, aut ſimul immenſam ſpatii diffuſionem tollant; cum verò abſurdius nihil ſit, quàm ſpatii immenſitatem abrogari, ſequitur argumenta iſta firma non eſſe, quæ ſi firma eſſent ipſam abrogarent; non itaque æquum eſt ut adverſus æternam ſucceſſionem urgeantur, aut ut propter illa illam repudiemus, quoniam mera ſophiſmata eſſe aliunde deprehendimus, tametſi fortè alioqui ſatis illis fieri non poſſet. Hinc (ut hoc obiter ſubinnuam) non ſine temeritate, ut mihi videtur, jamdiu ſtatutum eſt Deum corpus magnitudinis infinitæ creare non poſſe; id enim qui negant, non tam adverſus corporis, quàm omnem dimenſionum immenſitatem diſputant, quippe nullam probationem adferunt, niſi quæ pariter ſpatii immenſitatem tollat: Quod pariter de multitudine numerove innumerabili dicendum eſt. Satius enim duco intellectûs humani imbecillitatem confiteri, quàm propterea limites Dei Omnipotentiæ ponere, quippe infinita eſt Dei potentia, cavendum itaque ne illam propter ingenii anguſtias circumſcribamus.

Sed pergunt manifeſtè cum rectâ ratione pugnare, ut ex partibus, quarum ſingulæ finitæ ſunt, fiat infinita duratio, ut " tametſi in æternum adderentur durationes finitæ finitis non

" con-

" constituent nisi durationem finitam, nam si supponatur, in-
" quiunt, una pars durationis finita, & tum sic huic parti finitæ
" plures etiam finitæ addantur, quantum universa patitur
" Arithmetica, & hoc in æternum continuetur; tamen cum
" sit additio partis finitæ ad finitam, impossibile erit ut un-
" quam ex istis finitis fiat duratio infinita, finitum enim finito
" additum non producat aliquid nisi finitum.

Verum & hæc per parallelismum inter tempus & spatium diluuntur. Quæro enim an spatium infinitum compingatur ex partibus, quarum cujusque propria extensio finita sit, si affirmetur, ut affirmari necesse est, cùm quæque vicinâ claudatur, ergo ex finitis fit infinitum. Dein designetur una pars spatii, & huic parti in infinitum continuentur aliæ finitæ, pariter non fiet infinita extensio, & ita tolleretur spatii immensitas. Deinde cum assumunt unâ durationis partẽ omnibus aliis præcedaneam, & cui reliquæ in æternũ continuantur, æternitati affingunt primam partem, quod æternitatis rationem destruit; exigit enim illius ratio ut nullum terminum habeat, sed semper ultra procedat, eoque modo in infinitum assurgat, ut in eâ nulla pars, cui cæteræ omnes succedant, designari queat; sed semper altius & altius nullum admittens fastigium provehitur. Siquidem totidem partes habeat æternitas, quot recenseri nequeunt, & durationem tantam, ut quæ nullos limites mensuram nullam agnoscat, sed utrinque interminata sit, neque principio quovis neque fine circumscripta, in quâ nulla pars aut prima aut ultima reperiatur. Ita si Perspicacissimi quidam Chronologi à fælicibus v.g. Salvatoris nostri natalitiis auspicantes repetitis retrò seculis supputarent omnia quæcunque temporis intervalla, dynastias, æras, epochas, parapegmata, Characterismos, & ascendant demum ultra *Annum Magnum Scaligeri*, ultra extinctos quinque *Indorum* Soles, ultra *Persarum*, *Chaldæorum*, *Ægyptiorum*, *Serum Annales* aliorumque omnium, quotquot aniliter vetustatis affectu delirant. Colligant toties totidem secula, calculos in immen-

immensum accumulent, usque & usque per enormes valdè & infinitas annorum myriades assurgant, nihilominus nullum invenirent Æternitatis ortum, nullum Phosphorum. Absq; scaturigine labuntur Æternitatis fluctus ἀεὶ δ' ὑπονήσσεται αἰών *semper delabitur ævum.* Æternæ successionis catena nec primum admittit nexum nec ultimum. Quin & sicut *Æternitas in posterum* nullam sit partem ultimam habitura, sed in immensum diffunditur ævum, ita etiam postulat Æternitatis retroactæ ratio ut nullâ primâ inchoetur, quare cum in æternitate primam partem supponant, à quâ reliquarum continuatio arcessenda sit, par quidem Solæcismus est, ac si in eâ partem ultimam assignarent: sicut itaque *successio in posterum æterna* nunquam partem postrēmam habebit, sed semper sit posteriorem habitura, ita & quæ *retrò æterna* nunquam primam, sed semper priorem habuit partem: ut enim omnis successio prius & posterius includit, ita æterna, ab æterno prius, in æternum posterius. *Quis dinumerare valeat dies Æternitatis*; si quis illos seriatim numerandi periculum audeat, hoc solum lucrabitur, ut illorum numerum iniri nō posse agnoscat, tādēq; ἡσυχάζειν & cōsistere cogetur, quoniam semper & *ultra semper* (*Criticorum veniâ*) procedendum erit, ut tametsi infinita retro transegerit æva, nequaquam initium attingeret; & post iterum infinities infinita, infinita adhuc superessent: ut si detur *æternum* emetiri posse, restaret adhuc *præaternum. Intelligentiam commove, & totum complectere, nihil tenes: totum hoc habet reliquum.* Ad id denique quod aiunt finitum finito additum non producet infinitum: fateor certum finitorum numerum infinitum constituere non posse, tamen nihil repugnat quin ex infinito finitorum numero tandem exurgat infinitum; ut enim finita finities repetita finitum constituunt, ita infinities repetita infinitum, ut documento est spatii immensitas ex innumerabilibus spatiolis conflata. Ut igitur dinumerentur infiniti partes ultra Arithmeticæ numeros pergendum est, quî enim innumerabilium numerus esse queat?

Merc. apud Stob. Ecl. phys. l. 1. c. 9.

Hilar. l. 2. de Trinit.

Sed

Sed porrò persistent assignari posse in æternitate primam partem quæ potest assignari, ergo ante illam nō superest prior assignanda: *propositio identica est*, & propterea negari non potest, *consequentia probatur*, quia si ante primam, quæ assignari potest, superesset prior, prima quæ assignari potest, prima non erit; quoniam restaret prior asignanda, atque ita erit prima quæ potest sumi & non erit prima. Cæterùm tametsi *propositio identica sit*, tamen eo quod falsæ hypothesi innitatur falsa est, secundum Logicorum canonem *propositio de subjecto non supponente, etiamsi identica sit, falsa est*; cum igitur ad propositionem istam præsumatur asignari posse primam partem, quæ potest asignari, quod manifestè repugnans est (primam enim partem in infinito esse imposibile est) propositio quoque, quæ isti præsumptioni innititur, ut absurda sit necesse est. Ut *Chimæra*, quæ potest produci, potest produci; extima immensitatis pars, quæ potest asignari, potest asignari, & tamen contradictionem implicat, ut aut producatur *Chimæra*, aut asignetur extima pars immensitatis: Quomodo itaq; produci potest *Chimæra*,& quodvis aliud imposibile, quod potest produci, & quomodo asignari potest ultima Æternitatis nec non Immensitatis pars, quæ potest asignari; eodem modo asignari potest primum æternitatis momentum, quod potest asignari; verùm sicut *Chimæra*, quæ produci potest,produci non potest; sic Æternitatis prima pars, quæ assumi potest, assumi non potest.

Verum porro insurget aliquis: omnis æternitatis pars vel priorem habuit, vel non; si istud, pars ante omnes partes foret: si hoc ergo prima fuit, prima enim est, quæ priorem non habet. Cavendum autem est à voculâ *omnis*, quoties de infinito agitur: ista enim plerumque designat definitam rerum collectionem, per quam totum intelligimus, extra quod non restat amplius; cum verò in æternitate aut quovis alio infinito complecti non possumus tot partes, quin supersint plures, non nisi cautè admodum istâc voce de iis uti licet, ne

fortè ita de æternitate concipiamus, quasi definita foret, & certum partium numerum haberet. Ne autem nimis hujusmodi subtilitatibus inhæream, prætereo quæ reponunt alii subtiliter fortè potiusquàm solidè; omitto etiam rationem istam urgeri posse adversus spatii immensitatem, & dico solùm, si firma sit, tolletur penitus æternitas *à parte post* nuncupata, in illam enim pari vi urgeri queat. Ut omnes successionis in æternum procursuræ partes vel sibi subsequentem habituræ sunt, vel non; si primum, pars futura est, quæ sequetur omnem successionis partem, sic demum plures esse partes fateamur necesse erit, quàm omnes: & proinde omnes non esse omnes. Si non, ergo futura est ultima æternitatis hora, ultima quippe sit necesse est, cui alia non subsequitur, & sic demum æternitatem transactum iri.

Ad posterius quæsitum, quod supra ventilandum proposuimus, jam tandem devenire licet, an scil. æterna duratio ita sit incommunicabilis Dei proprietas, ut nulli alii competere queat? quod paucis expediendum est.

Omnia olim cepisse S. Scripturæ fide accepimus, ut nobis extra dubitationis aleam esse debeat, an revera sit æternitas Dei solius attributum, nullique alii communicatum: tamen Mundi Æternitatem inter priscos non pauci adseruere, non modo qui mundum supremum esse Numen arbitrabantur, sed & qui illum productum fuisse autumabant: Sic ex *Platonis* sententiâ genitus fuit mundus οὐ κατὰ χρόνον *non tempore*, quòd utique nullâ temporis periodo ceperit, ἀλλὰ κατ' ἐπίνοιαν *sed cogitatione*, quòd nēpe creati ab æterno mundi initiū cogitatione διδασκαλίας χάριν *doctrinæ gratiâ* solum assumi potuisse censuerit. Hanc sententiā totidem sapientum consenserunt, hâc solum ratione persuasi, quia Deus cum Optimus sit, non potest nisi optimè operari; præstat autem mundum ab æternō extitisse, quàm aliquando demum exoriri; ac proinde Deus, qui quod melius est necessariò agit, non potuit quin eum ab æterno produceret: quæ quidem argumentatio ut ut levissima

sit,

ſit, tanti tamen momenti hactenus viſa eſt, ut ferè in nullâ non cauſâ uſurpetur; eâ videlicet imprimis mundum numeris omnibus abſolutum eſſe probatum eunt, ſic Plato in Timæo Deum invidiæ inſontem eſſe non potuiſſe aſſerit, niſi præſtantiſſimum, quoad poſſet, mundum creaſſet. τούτου δ' [φθόνου] ἐκτὸς ὤν, πάντα ὅτι μάλιστα ἐβουλήθη γίνεσθαι παραπλήσια αὐτῷ· & paulo poſt. θέμις δ' οὔτ' ἦν οὔτ' ἔστι τῷ ἀρίστῳ δρᾶν ἄλλο πλὴν τὸ κάλλιστον. *Fas autem neque erat, neq; eſt, quicquam niſi pulcherrimum facere eum, qui eſt optimus.* Hinc protenus mundum animantem & intellectu præditum, & quid non præterea, eſſe colligit, quia præſtantius eſt ut iſtis fruatur quàm careat. Et ad Platonis mentem mundum non potuiſſe præſtantiorem diſpoſitionem adipiſci, utpote qui ab Optimo Opifice extruatur, tuetur inter alios *Vanninus.* Eâdem viâ porrò mundum in æternum perduraturum adſtruunt: *Quidni & mundus in æternum duraturus eſt, quia haudquaquam boni eſt ratione vinctum velle diſſolvere,* inquit in Timæo Plato Cicerone interprete. Quin & eodem argumento alii ſydera omnia animantibus referta eſſe adſtruunt. *Hiccine* (inquit Kepplerus) *omnem in globo telluris conſumpſerit artem, ut non poſſet, omnem bonitatem, ut non vellet cæteros etiam globos convenientibus exornare creaturis? Origenes* item ejus vi perſuaſus ſempiternam mundorum ſucceſſionem adſeruit, quoniam enim recentem mundi creationem inficiari non potuit, inde mundos alios aliis ab omni æternitate ſucceſſiſſe autumavit: ſic & animarum rationalium, antequam in corpora terrena detruderentur, exiſtentiam ſtatuit, quoniam præſtaret illas præextitiſſe, quàm è contra. Denique, ut innumeros alios prætercam, eidem fundamento innixum eſt notiſſimum iſtud plerorumq; è priſcis delirium de *neceſſariâ* mundorum infinitate aut ſaltem ingenti multitudine: nempe ſi Deus ſemper præſtabilius efficiat, ſi itidem unum eſſe mundum bene ſit, ergo præſtabit binos eſſe, & his præſtat adhuc tertium accenſeri,

Amphith. prov. Exerc. 17.

Harmon. l. 5. *c.* 10.

& sic porro quousque velis augendus est mundorum numerus. Neque multùm absimile est ratiocinium, quo mundi pluralitatem adserere conatur Plutarchus
De Orac. defect. ἀγαθὸς γὰρ ὢν τελέως, οὐδεμιᾶς ἀρετῆς ἐνδεὴς ἐστιν, &c. *Deus enim perfectè bonus cùm sit, nullius virtutis est expers, tantum abest, ut justitia atque amicitiæ, utpote quæ pulcherima sunt, Deumq; apprimè decent. --- Sunt ergo extra alii mundi, erga quos utitur virtutibus istis ad communitatem pertinentibus. Non enim erga seipsum, suive partem utitur justitiâ, gratiâ, benignitate, sed erga alios. Quare haud probabile est amicitiæ, vicinitatis, ac commerciorum exortem mundum in inani infinitate fluctuare*, Et quæ deinceps. Quæ omnia idcirco huc congessi, partim ut inde constaret, quàm futilis sit ratio, quâ mundi æternitatem comprobare satagunt, scilicet quâ pariter quælibet fabella, inanisve conjectura stabiliri queat: partim ut uno opere plures simul ineptias difflarem.

Advertere itaque debuissent Deum, quanquam necessariò bonus existat, arbitrii tamen libertate pollere, necesse est igitur ut, quandocunque agit, tam liberè quàm bene agat. Quapropter non obligatur *absolutâ necessitate* ut bene agat, sed *hypotheticâ*, quòd si pro suâ libertate agere velit, necesse est ut bene agat. Hinc pro arbitrio quidq; operari potest, aut ab opere quoque sibi temperare; unde mundum non fabricavisse potuit, aut si pro arbitrio fabricare velit, magis minusve perfectum: quòdque tam perfectum crearit, *bonitatis est*, quòd non perfectiorem, *libertatis*. Immò sanè dum Dei bonitatem illustrare se putant, periculosè admodum ferè singula illius attributa imminuunt, & labefactant: Quis enim Deum summè potentem dixerit, si in mundi creatione ita omnes vires exercuisset, ut nihil præstantius efficere potuit? Isne omnipotens, summè sapiens, immensè bonus, qui nec fabricam ampliorem excogitare valuit, nec condere, quàm sit hujusce mundi machina? quàm angusta Dei cum benignitas, tum potentia forent, quas exhausit opus mundo hoc, quem

occupamus,

occupamus, nihilo perfectius? quàm exiguus foret Deus si omnes suas opes jamdudum effuderat, & Optimum, quod potuit, elaboraverat! Potuit sanè, si libuisset, pestes multas, quæ mundum urgent, submovisse, aliaque longè seu plura seu præstabiliora commoda suppeditasse. Equidem quanquam mundi elegantiam & amplitudinem vehementissimè demiror, tamen tantâ æstimatione & veneratione divinas perfectiones colendas esse arbitror, ut præ illis exigua aut nulla sit mundi gloria & venustas. Næ quidem perversè admodum Dei virtutes ex operibus suis agnoscerem, si ad illorum modulum ipsius immensitatem coarctarem. Adde quod, cum Deo necessitatem ea, quæ fecit, faciendi imponunt, non parum à supremâ Dei potestate delibatur: penes enim absolutissimum illius dominium erat, res quascunque creare, aut è contra; potuitque semper tam à mundi productione abstinere, quàm eundem aliquando condidisse: quod non modo præcipua supremi dominii pars est, sed & aliorum omnium partium & graduum ejusdem fundamentum: nempe quòd jus habeat quidlibet pro arbitrio creandi, hinc exoritur jus & potestas omnia tanquam sua possidendi, iisque, ut lubet, utendi; hinc penes Deum est opera sua quæque conservare, & demoliri, ut in eodem statu maneant permittere, aut in alium sive deteriorem, sive meliorem, ut libet, immutare. Qui itaq; Deum necessariò & ab æterno mundum fabricavisse, atque in illius creatione omnes vires effudisse volunt, tantum abest ut quidquam laudis ubertati benignitatis in Deo adferant, ut Divinæ bonitatis, sapientiæ, potentiæ, potestatis, gloriam & magnitudinem indignè admodum nec sine impiæ audaciæ crimine limitatum & imminutum eant.

Fide itaque, cui nequicquam repugnat ratio, constat sempiternam durationem Dei solius propriam esse; an verò ea *potuit* creaturæ cuiquam, seu speciatim mundo communicari, sequitur ut verbo dicamus. Dico igitur mundum aut quamcunque creaturam (id quanquam non bene capiat intellectus noster)

ab

ab æterno fieri & permanere potuiſſe. Quòd autem captum noſtrum quadantenus effugiat, nihil mirum eſt; inde enim evenire videtur, quòd flacceſcat & deficiat mens noſtra, quoties æternitatem percurrere conamur; quantumcunque enim progreſſi fuerimus, demum intra metam aliquam delaſſatis ſubſiſtendum eſt, & inde non poſſumus niſi concipere omnia, quandocunque eſſe ceperint, intra temporis metas, quas nobis præſcribit ingenii imbecillitas, incepiſſe, & ita nihil exiſtentiæ initium habere poſſe, niſi etiam initium habuerit tempus, in quo permanſerit: ſin in ipſam æternitatem aſſurgere poſſemus, nullo negotio cogitare liceret, quomodo quidpiam ab æterno fieri poſſet; quod ex eo confirmari videtur, quòd quocunque aſſurgamus in æternitate dimetiendâ, intelligimus rem quamque jam tum incipere potuiſſe, adeoq; ſi ſemel comprehendere poſſemus æternitatis infinitatem, protenus etiam non abſurdum videretur rem quamque productam ſimul cum æternitate eſſe potuiſſe: Quippe palam eſt mundum prius extrui potuiſſe, quàm extructus eſt, ſi itaque durationem, quæ mundi natales anteceſſit, aſſumamus, in nullâ ipſius parte cepit demum mundus poſſe creari, quin antea & antea in infinitum creari potuit, nunquam enim creari poſſe incepit; poſſibilitas autem, quæ initii expers eſt, æterna quoque ſit neceſſe eſt, adeoque ab æterno poſſibile erat, ut mundus crearetur: ſin vero dicatur tempus fuiſſe, quo primùm mundus fieri potuit; inquiro ſolùm an momento, quod proximè ante tempus iſtud deceſſit, fieri non potuit? quid, quæſo te, impediit quo minus momento priori perinde ac poſteriori fieri potuiſſet? præterea ſi mundus ab æterno impoſſibilis fuerat, & poſtea fieret poſſibilis, dic ſodes quando ſubmota fuit impoſſibilitas, & quando nata ex illius ruinis poſſibilitas; quandiu impoſſibilis fuerat, & quandiu eſt ex quo poſſibilis eſſe cepit. Quid multis opus eſt? ſi nunquam extitit tempus, in quo mundus produci non potuit, ſequitur ſemper & ab æternis ſeculis produci potuiſſe. Accedit quòd decreta

Dei

Dei quodammodo producta fuerint; nam sive à divinâ essentiâ distinguantur, sive secus, parum interest, cum præfractè ii, adversus quos etiamnum disputatur, æterna esse pertendant, ita tamen ut esse non æterna potuissent, quòd non necessaria, sed libera & quandantenus contingentia agnoscantur, quod si ita sit, cur non mundus etiam ab æterno sic extitisse potuisset? An non potuit Deus mundum jam tum produxisse, cum eundem producere decrevisse statuitur? quid compedes illi injecit, ne potentiam simul cum voluntate exerere potuisset?

Cæterùm ne vocum ambiguitas cuiquam imponat, attendenda est diversitas initii *essentiæ*, & initii *durationis*; illud in *dependentiâ* à causâ situm est, hoc in *coexistentiâ* cum tempore; ita mundus *essentiæ* initium habere potuit, tametsi *durationis* nullum habuisset; quatenus ab æterno produci potuit, & initium (suiipsius) absque temporis initio adipisci. Quod quanquam primâ fronte absurdum præ se ferre videatur nobis, qui rerum primordia æstimamus ab illo temporis momento, quo fluente, incipiant; si verò attentius meditemur, protinus promptum erit deprehendere aliud esse initium rei, & aliud temporis in quo res esse ceperit, alterum enim alteri alienum est, cùm utrumque existere potuit nec tamen coexistere, ita ut fortuitum sit rem incepisse incipiente hâc vel illâ successionis parte, pariter enim potuit in quâlibet aliâ extare, atque adeo prius & prius ab usque omni æternitate; sic quemadmodum æterna successio non habuerit initium, ita res quælibet initium habere potuit simul cum æternâ successione *i. e.* initium sui absque successionis initio.

His suffragantur Scholasticorum haud pauci, Aquinas cum sui sequacibus, Durand. Ocham. Biel. Molina. Suarez. Hurtado, Arriaga, Oviedo, Compton. Alii, & quotquot de duplici æternitate distinguendum esse censent, quarum altera rerum est, quæ durationis neque initium neque finem habent,

quan-

quanquam aliunde pendeant; altera rerum, quæ non modo durationis principio carent, sed & omni *causalitate* & dependentiâ; ista licet initium & finem non habeat, tamen habere posset, hæc neque habet neque habere potest: Hanc solius Dei esse, istam verò creaturarum quoque esse potuisse arbitrantur. Quo disertim iis, quæ contendimus, adstipulantur, etenim quod velint res creatas sempiternæ durationis participes fieri potuisse, nobiscum conspirant; neque dissentiunt, cum alteram æternitatem, quæ non modo durationis exordium, sed & causam & dependentiam excludat, rebus creatis competere non potuisse pertendunt: quippe & ipsi independentem ac absolutam existendi necessitatem solius Dei esse supra monuimus & adstruximus. Eo tamen nomine fortè reprehendendi videntur, quòd oscitanter rerum nomina confuderint, dum independentiam, puramque existendi necessitatem (quam essentialem infinitudinem esse diximus) æternitatis nomine designarent: nimirum ecquæ alia æternitatis notio quàm sempiterna duratio? quid autem independentia à causâ aliquâ ad durationis notionem spectat? ista enim absoluta est, nullamque ad temporis fluxum σχέσιν gerit, hæc autem nihil aliud est, quam respectus coexistentiæ ad jugē æternitatis successionem; quin & illi revera innititur, seu potius eam sequitur, quatenus necesse sit ut quod necessario & independenter existit, æternùm existat, sed de Schol. opinione satis.

Quæ autem è contra objectantur, ejusmodi sunt omnia, quæ supra adversus successionis æternitatem objectata rejecimus. Ut si mundus ab æterno fuerat, sequeretur transactam fore æternam successionem; infinitos præteriisse annos, & tamen plures præteriisse menses, septimanas, dies, horas, &c. Martis, Jovis, Saturni circumvolutiones infinitas fuisse, & proinde, cum Sol, Luna, Venus istis velocius moveantur, illorum circuitus infinitis fuisse plures: infinitos homines decies mille abhinc annis fuisse, & tamen multas hominum myriadas istis postmodum additas fuisse:

fuisse; Infinito capitum numero infinities majorem esse capillorum multitudinem, & ejusmodi reliqua, quæ cum adversus quodlibet infinitum pariter urgeri queant, & satis ex jam ante dictis in negotio æternæ successionis explosa & enervata videantur, non est ut novum negotium nobis facessant, aut ut eadem denuo recoctum eamus, sed eo potius lectorem remitti oportet.

Non possum itaque non laudare *Cl. Cartesii* institutum, qui acquiescere noluit ratiocinio, quod ad Numinis existentiam demonstrandam ab impossibilitate seriei infinitæ in causis & effectibus deducitur. *Quia* (inquit) *per istam causarum successionem non videbar alio posse devenire, quàm ad imperfectionem mei intellectûs agnoscendam, quòd nempe non possim comprehendere quomodo infinitæ tales causæ sibi mutuò ab æterno ita successerint, ut nulla fuerit prima. Nam certè ex eo quod istud non possim comprehendere, non sequitur aliquam primam esse debere, ut neque ex eo quod non possim etiam comprehendere infinitas divisiones in quantitate finitâ sequitur aliquam dari ultimam, ita ut ulterius dividi non possit, sed tantum sequitur intellectum meum, qui est finitus, non capere infinitum.* Et propterea in capite de Dei existentiâ ita argumentum nostrum instituimus, ut non referat, an causarum successio finita sit an infinita. In *Cartesio* autem desideramus constantiam, quòd tertiâ meditatione disertè ab impossibilitate seriei infinitæ in causis & effectibus argumentatus est. *Qualiscunque* (inquit) *tandem mei assignetur causa, potest de illâ rursus quæri an sit à se vel ab aliâ, nam si à se, patet ex dictis illam ipsam Deum esse, si autem sit ab aliâ, rursus eodem modo de hâc alterâ quæretur an sit à se, vel ab aliâ, donec tandem ad causam ultimam deveniatur, quæ erit Deus. Satis enim apertum est nullum hic dari posse progressum in infinitum,* &c. Cæterùm Ego constanter nollem Dei existentiam iis fundamentis inniti, quæ si firma sint, infinitum non esse spatium (quod tamen esse omnium mentibus infixum est) ma-

In respons. ad prim. object.

 nifestò

nifestò sequeretur; nullum enim ratiocinium adversus infinitam causarum & effectuum seriem urgeri potest, quin quod pariter spatii immensitatem impetat, ut superius luculenter commonstratum est. Adde quod ita humanum ingenium procul effugere oporteat, quicquid infinitum est, ut omnia, quæcunque circa id deducere possimus, prorsus dubia sint, & incerta; adeo ut desinat etiam Geometriæ certitudo, si circa infinitum quodvis versaretur, ut supra subinnuimus. Næ quidem, ubi nulla certitudo haberi potest, ibi perquam exigui momenti sint necesse est qualescunque demonstrationes, quamvis illas alioqui diluere & labefactare non possemus.

FINIS.

Σφάλματα quædam Typographica, Partim Importuno quodam Casu, partim Cujusdam (Cujus autem dicere non licet) Incuriâ irrepserunt: Quorum aliis datâ Operâ prætcritis; sive quòd leviora sint, cujusmodi sunt Accentuum Notulæ non ritè & ad amussim affixæ, aliæque ejusmodi Apiculæ; sive quòd apertiora sint, quæ & primo intuitu se produnt, nec sensum perturbant: Reliqua, quæ Lectori minùs attento molestiam creatura arbitror, sic velim

CORRIGANTUR.

Ep.Ded.p.4 l.18.leg. *Utpote cujus.* lib. p.1 l.21. *potuerit.* p.29.l.21. *prima omnium materia.* p.32.l.5. *proinde.* p.33.l.22. *ὑπέγκλητον* p.35.l.23. *ab.* p.36.l.6. *inæquabilitatem.* p.38.l.31. *millenas.* p.39.l.3. *unam.* p.41.l.13. *eundem.* l.28. *ὁμορύησιν* p.44.l.23. *consilium.* p. 49.l.17. *obrigeret.* l.28. *consilio.* p.50.l.19. *patiantur.* l.33. insere *penè* ante idem. p.51.l.1. *prolixitate.* l.ult. *potuisset.* p.52.l.14. *oppugnantium.* p.53.l.10. *consilio* l.24. *χάος*, & sic deinceps. p.55. l.25. *irretitus.* p.56.l.27. *eveniat.* l.28. *fidenter.* p.58.l.6. *interimantur.* p.60.l.21. insere *alterum* ante solstitiale. p.66.l.1. *exortos* p.69.l.26. *pullularet.* p.73. l.4. *mirifico.* l.29. *desudarunt.* l.ult. *objicerentur.* p.83.l.31. *convehentia.* p.84.l.10. *vice.* p.87.l.31. *cessante.* p.89.l.15. *casune.* p.90.l.27. *disruptas.* p.63.l.32. *spiritus.* p.94.l.1. *perplexa.* p.96.l.24. insere *fortuitò* ante concinnatam. p.97.l.ult. *dispergat.* p.111.l.ult. *nutritioni.* p.116.l.31. *sequantur.* p.117.l.16. *phantasiæ.* p.123.l.16. *unius.* p.127.l.11. *colores.* p.135.l.4. *Copernico.* p.136.l.21. *intervallo.* p.137. l.32. *vociferatur.* p.138.l.24. *apparatum.* p.139.l.16. *utramque.* p.148.l.5. *potuerit.* p.31. *Argentinensis.* p.149.l.31. *ducentorum.* l.32. *ducentos.* p.152.l.7. *genuinam.* p.153.l.1. *mundi.* p.157. l.18. *latiùs.* p.167.l.31. *natura.* p.168.l.24. *fit.* p.170 l.6. *ne* p.171.l.13. *proveniat.* p.174.l.ult. *ab.* p.184.l.13. *quorundam.* p.187.l.20. *haberetur.* p.188.l.ult. *prædicatam.* p. 190.l.26. *venerarentur.* p.193. l.21. *quod.* l. ult transfer *antea* ab initio lineæ ad finem. p. 200.l.6. *χαλκοσμητικόν*, p.201.l.30. *immensum.* p.204.l.7. *Ζωροάστρυ* l.8. *ἀνειμάτων*. p. 214. l.26. [illegible] p. 235. l. 2. *ἐπισκοπεῖν.* l. 3. *δυνάμεων.* p.273. l.24. *historia.* p. 287. l. 30. *Jehovam.* p. 291. l. 3. *possit.* *potuerit.* p. 299. l. 5. *dissolubile.* l. 7. *corruptilis.* p. 318. l. 16. *differentiis.* p. 360. l. 17. *ὢν*, p. 366. l. 30. pro crastino leg. *hesterno.*

Cætera, *Benigne Lector*, tuum efflagitant candorem.